
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

87

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

JOHANNIS CLUVERI STORMARI,

SS. Theol. Doctoris, ejusdemqvè olim in Regiâ Soranâ Danorum Academiâ Eqveſtri Profeſſoris, ac poſteà Auſtralis Dithmarſiæ Superintendentis,

ORTHOTOMIA APOSTOLICA

Omnium Qvatuordecim. Epiſtolarum Pauli Apoſtoli veram. analyſin, ac brevem, ubi opus eſt, epiliſin exhibens, cum ingenuis vulgatae verſionis Caſtigationibus edita

a

M. MICHAELE CLUVERO, Autoris filio

Præmiſſa eſt D. ABRAHAMI CALOVII Profeſſoris Theologi Regiomontani Præfatio de comentariis Paulinis, uſuque hujus Orthotomiae

LIPSIAE,
Sumptibus MARTINI HALLERVORDII, *Bibliopolæ*,
Typis GREGORII RITZSCHII,
Anno CIↃ IↃC XLIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

2. Timoth. 2, 15.

Solicitè cura, teipſum probatum Deo *ex-*
...rium minimè pudendum, ὀρθο-
...ſcantem) verbum veritatis.

...fit propriæ

BIBLIOTHECA REGIA HAVNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS
& Strenuisſimis
DOMINIS,

Dn. JUSTINO HOG/
Dn. de Giordſlöff/ ꝛc. Eqviti aurato, Regni Daniæ Cancellario, Præſidi Calloënſi,

Dn. DETHLEVO REVENTLOVIO,
Dn. de Reetz & Zieſendorff ꝛc. Sereniſs. ac Potentiſs. Regis CHRISTIANI IV. per SLESWIGAM, HOLSATIAM, STORMARIAM, & DITHMARSIAM Cancellario, Præſidi Haderslebienſi;

Dn. CHRISTIANO RANTZOVIO,
Dn. de Bredenburg/ Rantzow/ & Lindewit ꝛc. Ducatuum Sleswigæ, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ Senatori, Præſidi Rendesburgenſi;

Dominis meis ſubmiſsa mente æternùm colendis,

Salutem à DEO ter opt. ter max. perpetuamq́; felicitatem.

RECtiſsimè illos Theologos officio ſuo fungi, ILLUSTRES, MAGNIFICI, & GENEROSI DOMINI, qvi neglectis litigiis & inanibus λογομαχίαις ſanis adhæreſcunt JESU CHRISTI ſermonibus, & ei, qvæ ſecundum pieta-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

tem eſt, doctrinæ, amplectentes fidelem & firmum, qvi ſecundum doctrinam eſt, ſermonem, ut ſint potentes exhortari in doctrina ſalutari, & contradicentes arguere, de eo nullus piorum dubitat. Illi enim ſollicitè curant, ut ſemetipſos ſtatuant DEO probatos, miniméq; pudendos operarios, rectè ſecantes verbum veritatis, & majorem conſcientiæ & charitatis, qvàm inflantis ſcientiæ rationem habendam eſſe ducunt.

In horum numero Parentem meum, ut reperiretur, dum vivebat, unicè deſideraſſe, atqve eò omnes conatus vireſq; ſuas contuliſſe, non eſt qvod VESTRIS ILLUSTRIBUS MAGNIFICENTIIS prolixè perſvadeam, qvibus ratio, methodus & ſcopus ſtudiorum ipſius è ſcriptis, qvæ dum in vivis erat, publici juris fecit, me tacente procul dubio, abunde dudum fuit perſpectus; & è poſthumis poſthac, DEO auxiliante, luci etiam dandis luculentius demonſtrabitur. Vidit nimirum Parens, qvàm arduum ac difficile ſit munus, verſari in domo DEI, tanqvam œconomum myſteriorum ejus, & qvod deceat conſervos nihil celare conſilii divini, qvod ipſe eis ad ſalutem notum eſſe voluit: Vidit etiam qvam grave ſit homini onus, vincere ſuas cogitationes & cupiditates, atqvè in pravo hoc mundo fidem ac bonam conſcientiam cuſtodire. Paucos vidit eſſe Chriſtianorum, qvi id ſeriò agerent, ſtudioq; ſibi unicè ducerent, multò plures qvi contemnerent. Intellexit autem per divinam gratiam, plurimum poſſe hac in re cum prædicationis Evangelicæ auditu, ſacrorum librorum lectionem, & meditationem freqventiorem, qvippe qvam paſſim à DEO commendatam minimis, maximis, doctis indoctiſq; deprehendit. Sicut enim certiſſimus fuit, Divinos illos ſcriptores, non tantùm eruditis, verum etiam plebeiis ſcripſiſſe; ſic qvoqve libros

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

eorum à qvibusvis Spiritum CHRISTI habentibus, ſalubriter legi, & qvantum ad ſalutem intereſt, intelligi poſſe meritò ſtatuit. Hoc enim niſi verum eſt, qvare omnium claſſium hominibus, dictum, prælectum & ſcriptum fuit DEI verbum, jam inde ab initio? Et qvomodo verâ præditi erunt fide idiotæ, ſi non DEO, ſed hominibus tantummodo credunt? In hoc igitur ſedulò incumbere ſibi decrevit, ut pro talento ſuo qvibusvis Chriſtianis ad ſcripturam ipſam aperiret viam, eamq; rectè ſectam & in partes diſtributam populari & communi methodo explicaret. Cum enim alios libros oſtenſa methodo, ſcopoq; dicentis faciliores reddi noverit, in ſacris etiam idem fieri, ſibi perſvaſit. In qvo laborum genere plura adhuc, licet non omnia perfecta & elaborata reliqvit, hæc autem in anteceſſum mihi placuit emittere.

Qvam pauci autem Studioſorum, MAGNIFICI ac ILLUSTRES DOMINI, hoc præſenti ſeculo in Academiis id ſeriò agant, ut ipſa ſacra monumenta adeant, atqve ex iis ſolidam DEI notitiam petant, experientia loqvitur: eorum obſcuritatem prætendentes, & prolixos commentarios accuſantes ipſemet novi plurimos. Utrisq; pro ſuo modulo Parens p. m. mederi voluit, commentarium hunc brevem in omnes epiſtolas Pauli conſcribens, textumq; ſacrum nihilominus ſuæ luci vindicans. Sed ſatius eſſe arbitror, aliorum de eo, ejusqve laboribus & ſtudiis ſincera expectare judicia, qvàm in Genitorem meum cumulatas congerere laudes, qvod indecorum fore non ignoro.

Qvod autem Vobis, MAGNIFICI, ILLUSTRES & GENEROSI DOMINI, huncce ipſius laborem inſcribere debuerim, non una me cauſa commovit. Præter ſublimem enim ſtemmatum veſtrorum ſplendorem, qvi orbi terrarum adeò dilucidus & perſpicuus eſt, ut meis encomiis ſe

non patiatur illuſtrari; munerumq́; veſtris humeris impoſitorum dignitatem & eminentiam, qvibus ita præſtis, ut conſiliis veſtris arduis, eruditione ſingulari, & tam naturali, qvam ex longa & multiplici rerum experientiâ, acqviſita prudentia accuratisſimâ, ſincerum DEI cultum in Eccleſiis, pacem & juſtitiam in Rebuspublicis, diſciplinas & artes liberales in Scholis, per inclytisſimū Daniæ Regnū, eidemq; unitas provincias, florere ac vigere faciatis: exigit id ſingularis veſter favor ac beneficentia, qvo qvosvis eruditos, literarumq́; veros ac ſtrenuos cultores benignè proſeqvimini.

Inprimis id efflagitant ſingulorum veſtrorum non tantùm in Parentem meum, ſed etiam in Me, reliqvamq; ejus ſuperſtitem progeniem congeſta beneficia, qvorum ſempiterna nos vobis memoria obſtrinxiſtis. Qvanqvam hanc dedicatiunculam non compenſationis alicujus loco æſtimem, ſed exiguam ſaltem grati animi indicinam publicè extare velim; cùm tenuitatis meæ mihi conſcius ne minimam tantorum beneficiorum partem à me reponi poſſe, palàm & ſincerè confitear.

Qvo enim loco Tua Magnificentia, Illuſtris Dn. JUSTINE HOG/ parentem meum habuerit, toto illo ſeptennio, qvo in prælustri Academia Sorana Theologicæ Profesſionis & Paſtoratûs officium obibat, Tuq; ejusdem Collegii Præſes, ſummusqve Director audiebas, teſtábuntur mecum omnes cujusvis ordinis mortales tunc temporis ibidem degentes. Qvantâ benevolentiâ, qvantâq; munificentiâ ipſum qvotidiano ferè convictu Tuo uſum, amplexus fueris, mihi ipſi, licèt eo tempore nondum ephebo, in recenti adhuc eſt memoriâ; & non ſemel ex ipſius ore audivi, qvòd in conſesſu ſpectatorum virorum Tuos eruditisſimos & cordatisſimos ſermones, ad qvos eum illo ſeptennio benignè admiſiſti,

ſti,ſumma cum delectatione meminerit. Uti autem hujus adhuc recordor,ita nunqvam oblivioni tradam, (& ſi facerem, ſcelus admitterem,) qvod me ipſum nihil tale meritum,ex mero paterno adfectu,& nunqvam ſatis laudanda propenſione, cùm à prima pueritia, qvando inter Regios Scholæ Soranæ alumnos numerabar,tùm non ita pridem in Academia ibidem viventem,tam opera, qvam conſiliis adjuvare non ſis dedignatus. DEUMq́; teſtor, qvod centies occaſionem exoptaverim gratias ſaltem debitas Illuſtri T. M. agendi, (cujus tamen voti ob locorum diſtantiam compos fieri neqvivi,) cùm referendi nulla mihi fuerit,aut in poſterum ſperanda ſit facultas.

De Tuo itidem, Magnifice & Illuſtris Dn. DETHLEVE REVENTLOVI, erga Me meosq́; benigno adfectu jam dudum ſpem concepi certisſimam,qvippe qvi,ſic aliis mihi referentibus,& Parentis mei dudum denati, & meæ tenuitatis,pro innato ac genuino Tuo, qvem meritò omnes prædicant,candore & humanitate,honorificam aliqvoties feciſti mentionem; & Fratrem meum germanum (pro qvâ benignitate DEus æternùm Tibi benefaciat) Tecum tam liberaliter alis,atqve plurima propenſisſimi in eum animi edis ſpecimina.

Tua etiam,Illuſtris & Generoſiſſime Dn.CHRISTIANE RANTZOVI, eximia in Remp. literariam merita, qvod alumnos Tuos,æterna cum laude Tua,amplis in Academiis ſuſtentas ſtipendiis, ut à mei ordinis hominibus qvotidie decantantur; ita largisſimi Tui in familiam noſtram favoris à prima adoleſcentia haud obſcurè declarata indicia,in asſiduâ apud Me meosq́; erunt commemoratione.

Deniqve ſi, qvi aliqvo modo ſtudia literarum publicis monumentis adjuvare moliuntur, ad eruditos & in eminen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

nentiâ conſtitutos eruditorum Fautores, ut ſcriptis ſuis exinde apud bonos comendationem, & contra Zoilos qvosq; autoritatem concilient, certatim confluunt; qvantò majori id Ego facio fiduciâ, cui Veſtra in dijudicandis aliorum ſcriptis dexteritas, iisdemqve, ſi mereantur, propugnandis candor, liberalitas, & ſolertia multis nominibus eſt cognita & perſpecta.

Qvibus omnibus adductus perſvaſisſimum mihi habeo, V. V. V. I. I. I. M. M. M. hunc conatum meum minimè improbaturas, ſed qvalecqvale hoc munuſculum, ex gratisſimo animo profectum, benigna fronte eſſe accepturas.

Qvapropter etiam nihil addo ampliùs, niſi qvod DEUM ſupplici venerer mente, ut V. V. V. I. I. I. M. M. M. tot conſpicuis virtutibus, & ad communem mortalium ſalutem pertinentibus, pro immensâ ſua bonitate dotatas, Serenisſimo ac Potentisſimo Regi noſtro, ejusqve Regnis & Provinciis, cum præluſtribus Veſtris familiis, è qvibus paria Vobis patriæ columina nobis in poſterum pollicemur, diu ſuperſtites ac incolumes conſervet. Valete igitur, Illuſtres Domini, meqvè clientem Veſtrum, eo qvo Parentem meum proſecuti eſtis, largiſſimo favore & patrocinio ſublevate. Ego ne degener ipſius ſim filius, aut Veſtra benevolentia indignus unqvam reperiar, omnes nervos ſedulò intendam. Valete iterum atqve iterum, & favete.

Dabam Regiomonti Pruſſorum, die Johannis Baptiſtæ ſacro. ANNO ciↃ IↃc XLII.

V. V. V. I. I. I. M. M. M.
ſubmiſſâ mente æternùm colenti

M. MICHAELI CLUVERO,
SS. Theol. Studioſo.

In Nomine Jesu!

ABRAHAM CALOVIUS

SS. THEOLOGIÆ DOCTOR,

ejusdemq; in Academ. Regiomont. P.P. Facultat. Theol. nunc Decanus,

LECTORI BENEVOLO

σύνεσιν ἐν πᾶσι!

CUm multæ ſint & præclaræ διαιρέσεις διακονιῶν, qvæ vulgò à Theologis *dona miniſtrantia* vocantur, qvibus variè Spiritus S. inſtruit & exornat miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei πρὸς τὸ συμφέρον, *ad utilitatem Eccleſiæ*, 1. Cor. 12. v. 7. & πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων εἰς ἔργον διακονίας εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, *ad coagmentationem ſanctorum in opus miniſterii ad ædificationem corporis Chriſti*, Eph. 4. v. 12. ut miniſtri verbi ceu *homines Dei* evadant ἄρτιοι πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένοι, & *perfecti* in ſeſe & *ad omne opus bonum miniſterii perfectè inſtructi*, 2. Tim. 3. v. 16. Tum verò eminet præcipuè in illis donum Interpretandi verbum Dei, qvod προφητείας nomine honoratur, Rom. 12. v. 6. 2. Petr. 1. v. 20. & διδαχὴ vel *doctrina* κατ' ἐξαίρετον λόγον indigitatur, 1. Cor. 12. v. 6. Unde Interpretes Scripturæ aut προφῆται dicuntur, ut 1. Cor. 14. v. 32. aut διδάσκαλοι vel *Doctores*, præcipuè verò ubi nominis diſcerniculo ſeqveſtrandi ſunt *à Prophetis* κυρίως ita dictis, qvi *divinô Spiritûs afflatu vaticinantur, qvæ impleri oporteat*, ut eos deſcribit *Juſtin. in Dial. cum Tryph.* qvemadmodum in utroqve catalogo Apoſtolico Virorum θεοσδότων καὶ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ὀργανοπέμπτων, 1. Cor. 12, 28. & Epheſ. 4, 11. videre eſt. Qvod rectè advertit Commonitor doctiſſimus *Vincentius Lyrinenſis*, tertium ordinem prioris catalogi ſic enarrans: *Doctores ſunt, qvi tractatores nunc appellantur, qvos hic idem Apoſtolus etiam Prophetas interdum nuncupat, eò qvod per eos Prophetarum myſteria populis aperiuntur.* Scilicet uti qvondam προφητεία futurorum prænuncia donum fuit eminentiſſimum Spiritûs Sancti, ita ceſſante ἀποκαλύψει τῶν μελλόντων, *eorum, qvæ fieri oporteret, revelatione*, non eſt facile qvicqvam in Eccleſiâ, cum προφητείᾳ ἑρμηνευτικῇ vel *donô interpretationis Scripturæ*, qvod conferri nedum præferri eidem debeat. Idcircò D. Petrus *interpretem* ſummum & unum Scripturæ S. non minùs qvàm Autorem facit Spiritum Sanctum: qvod uti *Prophetia non ex voluntate hominis propriâ*, ſed unicè ex afflatu & *agitatione Spiritûs Sancti* allata eſt, ita non è *propriâ* vel privatâ ἐπιλύσει, ſed ex mente Spiritûs Sancti unicè reſolvenda & explicanda ſit, 2. Epiſt. 1, 20. 21. Paulus verò, qvem Hieronymus *S. Scripturarum armarium* appellitat, admodum operoſus eſt in commendando interpretationis Scripturæ dono, idq; etiam in contentionem adducit cum excellentiſſimo lingvarum dono, *qvod primum Apoſtoli tantâ cum admiratione obtinuerunt*: imò non dubitat hoc extenuare, ut illud extollat, integrum ferè caput ejusdem impendens elogio, qvod eſt *decimum qvartum prioris ad Corinthios*: ubi ſic exorditur orationem: ζηλοῦτε τὰ πνευματικὰ μᾶλλον δὲ ἵνα προφητεύητε, *æmulemini ſpiritualia, MAXIME verò ut prophetetis. Nam qvi lingvis loqvitur, non hominibus loqvitur, ſed* DEO: *Nemo enim audit, ſpiritu licet myſteria loqvatur: At qvi prophetat, hominibus loqvitur* ÆDIFICATIONEM, EXHORTATIONEM & CONSOLATIONEM. *Qvi loqvitur lingvâ, ſeipſum ædificat: qvi verò prophetat, ECCLESIAM ædificat.* Ita ſcilicet, *ſaxum*, qvod dicitur, *amuſſi applicat* Gentium Doctor, *Eccleſiæ* ÆDIFICATIONEM *ubiqve reqvirens.* Eqvidem *ſpiritu impelli concitariq; & lingvis loqventi & prophetanti commune eſt. At hoc differunt, qvod hic utilis eſt audientibus etiam: lingvis enim loqventes, qvi munus idem non habent, percipere non poſſunt. Qvantum igitur privato publicum differt, tantum prophetia lingvis*, ut παραφράζει optimus Apoſtoli interpres, qvi ab aureâ ſermonis præſtantiâ nomen adeptus eſt. Ideóq; non immeritò

exoptat S. Apoſtolus, *ut omnes lingvis loqvantur, MAGIS autem ut prophetent.*

Qvod ſanctisſimum Viri θεηλάτȣ deſiderium id, credo, effecit, ut tot tamq; præclaros nactus ſit Apoſtolus ſcriptorum ſuorum tractatores. Si enim ullum S. codicis ſcriptum, hujus certè Apoſtoli monumenta ſacra & numero plurimos & eruditione præſtantisſimos obtinuerunt interpretes, qvi Prophetiæ donum κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τȣ̃ Χριςȣ̃ vel inprimis collocandum duxerunt in ejus ſcripta θεόπνευςα qvi dicente *Chryſoſtomo* in homil. 8. de laud. Paul. *totum prorſus orbem fulgentibus lingvæ ſuæ radiis illuminavit:* in qvem *largisſimè Spiritûs Sancti munus effuſum eſt, unde & mirabiles nobis fluvios genuit, non ſecundùm Paradiſi fontes qvatuor tantùm, ſed multò etiam plures & qvotidiè fluentes, nec terram rigantes, ſed animas hominum ad producendum virtutum germina ſuſcitantes,* ut iterum dignisſimus Apoſtoli præco *homil. 1.* ait,

Omnibus qvippe ſeculis habuit Apoſtolus ſuos in Eccleſiâ Prophetas vel tractatores, qvi vel omnia ſua ſcripta, vel aliqva ſaltim commentariis illuſtrârunt: è qvibus tamen plurimorum ſacra meletemata temporum injuria nobis abſtulit, multorum etiam, procul omni dubio, ne memoria qvidem ætatem noſtram asſecuta. Proximô ſtatim ab ætate Apoſtoli ſeculô celebratur potisſimùm HERACLIUS, qvem ſub *Commodô* valdè incommodo, & *Severo* maximè ſevero in *omnes* Pauli Epiſtolas commentarios conſcripſiſſe, author eſt *Hieron. in catal. ſcriptor. Eccleſiaſtic.*

Seculô ſubſeqventi ORIGENEM πολυγραφώτατον *Adamantium & calcenterum* idcircò dictum, varia volumina ἐξηγηματικῶν ſuper pleraſq; Apoſtoli Epiſtolas concinnâſſe, tùm *è Pamphili*, tùm *ex Hieronymi* colligimus teſtimoniis, qvorum ille *in Apolog. pro Origene* laudat commentaria ſuper Epiſtolas ad *Coloſſenſes, primam ad Theſſalonicenſes,* ad *Titum,* & ad *Ebræos:* hic verò *XV. volumina* ejusdem ſuper Epiſtolam ad *Romanos* convertit in Latinum ſermonem, in qvibus & *magnificam dicendi tubam,* & profundos ſenſus miratur, qvem etiam prolixè *in Epiſtol. ad Corinth. priorem* ſcripſiſſe teſtatur Tom. II. in Epiſt. ad Pammach. p. 117. Qvin & profitetur Hieron. *ſeſe imbecillitatem virium ſuarum ſentientem, Origenis commentarios ſeqvutum,* in commentario ſuo ſuper Epiſtol. ad *Galatas,* ut & ſuper Epiſt. ad *Ephe-*

ſios. Ætate eâdem auditor Origenis DIONYSIUS *Alexandr. Epiſcopus* & PIERIUS *Presbyter* ejusdem Eccleſiæ, *Origenes junior* nuncupatus, latisſimè Epiſtolam *priorem ad Corinthios* interpretati ſunt, notante *Hieronymo ad Pammach.* ALEXANDER verò *Cappadoc. Epiſcopus* Epiſtolam *ad Galatas* enarravit, teſte eôdem *Hieronymo in proœm. ſup. Epiſt. ad Galat.*

TERTIUM ſeculum prophetantes ſuper literas Apoſtolicas habuit THEODORETUM *Heraclienſem* & EUSEBIUM *Emisſen. Epiſcopos*, annotante *catalogô Hieronymi*, qvorum etiam commentariis in Epiſtolam *ad Galatas* ſeſe uſum esſe, gratô animô profitetur Hieronymus *in proœm. ad Gal.* nec non EUSEBIUM PAMPHILI *Cæſar. Epiſcop.* qvem prolixè Epiſtolam *priorem ad Corinthios* interpretatum esſe perhibet iterum Hieronym. *in Epiſt. cit. ad Pammach.* ut & VICTORINUM *Afrum*, cujus commentarios in Epiſtolas Paulinas commemorat *Catalogus Dd. Eccl.* itemq; APOLLINARIUM *Juniorem Laodicen. Epiſc.* & DIDYMUM *Alexandrin.* qvos *priorem ad Corinthios, ad Galatas*, & ad *Epheſios* expoſuisſe refert *Hieronymus ad Pammach. l. c.* ut & *in proœm. ſuper Epiſt. ad Galat. & Epheſ. Didymum* etſi *à primâ ætate oculis captum, & ob id elementorum qvoqve ignarum videntem ſuum*, itemq; *videntem Prophetam* nuncupans, cujus audiendi gratiâ *Alexandriam* perrexit, *cùm jam canis ſpargebatur caput, & Magiſtrum potiùs, qvàm diſcipulum docebat.* Seculô iſtô ſcripſit qvoqve exegeſes in Apoſtolum DIODORUS *Tarſenſis Epiſcopus*, ut teſtatur Hieronym. *in catal. Dd. Eccleſ.* qvem S. Scripturas ad literam expoſuisſe, neglectâ theoriâ ſpeculationum refert *Socrat. lib. 6. hiſtor. Eccleſ. c. 3. & Sozomen. l. 8. c. 2.* Scripſit & GREGORIUS *Nysſenus Epiſc. Pater Patrum* merito ſuo dictus, enarrans Epiſtolam ad *Philippenſes*, teſte Cyrillô: in *Latinâ* verò Eccleſiâ AMBROSIUS *Mediolanenſ. Epiſc.* (qvem Theodoſius Imperator *ſolum dignè vocari Epiſcopum* teſtatus eſt) *omnes Epiſtolas Paulinas* nervoſis explicationibus illuſtravit.

QVARTA porrò ætas non impares dedit Magiſtris diſcipulos, Prophetis filios, imò qvi doctrinâ & ſacrarum literarum peritiâ, famâ teſte, longo illos poſt ſe reliqvêre intervallo; JOHANNEM *Conſtantinopolitanum ArchiEpiſcopum* dico, & HIERONYMUM EUSEBII *Stridonenſ. Presbyterum*: qvorum *illum* Chriſtianorum Demoſthe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſthenem, *hunc* Ciceronem Chriſtianorum dixêre Critici. De *illo* refert Nicephorus *l.13. hiſt. Eccleſ. c.2.* annuente Socrate & Sozomenô, qvod *Diodorum Tarſenſem*, cujus auditor erat, præcipuè ſectatus ſit *in modô interpretationis*, ut *iſte Euſebium Emisſenum* imitari amabat, qvod *contemplationum ſubtilitates declinans tantùm in ipſius literæ ſenſusq; hiſtorici expoſitione occupatus eſſet:* qvam eâ etiam facilitate tradidit, ut non facilè parem, nedum ſuperiorem habuerit in Græciâ universâ. Unde *Suidas* id ei tribuit elogii, qvod & *lingva ejus admirabili orationis fluore* ὑπὲρ τὰς Νιλῴας καταῤῥάκτας *ipſis etiam abruptis Nili fluctibus fœcundior fuerit:* & Prophetiæ dono eminens *ſic illuſtrârit Scripturam, ut alius nemo: Pauli* tamen *Epiſtolas* præ cæteris divinis libris vehementiori eum complexum eſſe amore, teſtatur *Georgius Patriarcha Alexandr.* in vit. Chryſoſtomi. HIERONYMUS verò Apollinaris & Didymi Alexandrini auditor, non minùs eminuit inter Latinos, qvàm Chryſoſtomus inter Græcos, imò inter utrosq; facilè principatum obtinuit: *Qvem omnes vel penè omnes, qvi ante illum ex utrâqve parte orbis de doctrinâ Eccleſiaſticâ ſcripſerunt, legisſe* tradit Auguſtinus lib. 1. adverſ. Julian. *in qvô unô* συλλήβδην *conjunctum fuit, eximium fuit, qvicqvid in aliis per partes miramur, qvoqve nemo magis univerſam divinam Scripturam edidicit, imbibit, concoxit, verſavit, meditatus eſt,* judice Eraſmô in præfat. ſup. oper. Hieron. Unde ſenſus *literalis* & *Grammaticus* uni Hieronymo præ cæteris vindicatus fuit à Latinis Dd. qvem in illo etiam mirati ſunt, qvi poſthabitâ literali ſententiâ myſticis penitùs immerſi fuerunt ſenſibus. Expoſuit autem Hieronymus qvatuor ſolùm Epiſtolas Paulinas, *Galaticam, Epheſinam, ad Titum & ad Philemonem,* qvod ipſe profitetur *in Catalogo Dd. Eccleſiaſt.* & ſtylus ejusdem abundè comprobat, qvem diverſum deprehendimus in aliis, qvæ ipſi asſuuntur, commentariis. Cæterùm Duum-Viris illis Prophetarum adjungimus alios qvoqve hujus ſeculi Patres, magni nominis Doctores: AURELIUM AUGUSTINUM *Hippon. Epiſcopum,* Patrum acutisſimum, *qvô Chriſtianus orbis nihil habuit vel magis aureum, vel auguſtius,* Eraſmô judice. Qvi etſi ſolam Epiſtolam *ad Galatas* continuâ expoſitione perſeqvutus ſit, σποραδικῶς tamen ita Pauli ſententias dilucidavit in operibus ſuis, ut integrum corpus in omnes Pauli Epiſtolas inde ſeqventium Doctorum collegerit induſtria; SEVERIA-

NUM item *Gabalenſ.Epiſc.* Chryſoſtomo exulanti ſurrogatum, qvem *in divinis Scripturis eruditum & in homiliis declamatorem admirabilem fuiſſe, & expoſitionem in Epiſtolam ad Galatas adornaſſe* teſtatur *Gennadius in catalog. Illuſtr. Viror.* THEODORETUM qvoqve octingentarum Eccleſiarum paſtorem, qvi commentarios *in omnes Pauli Epiſtolas* concinnavit, in qvibus, Sixtô Senenſe dicente, *qvantum fieri poteſt, ſuccinctè, eleganter, ordinatè ac piè ſenſus Pauli explicantur, & ſententiæ ſententiis, qvod in Paulo videtur difficilimum, miro artificiô conjunguntur:* Ejusq; σύγχρονον CYRILLUM *Alexandr. Epiſc.* ut & HESYCHIUM *Hieroſolym.* qvi uterqve commentariis illuſtravit divinam Pauli ad *Ebræos* Epiſtolam: ne de aliis hujus ſeculi luminibus qvicqvam dicamus, qvo ad ἀκμὴν perductum videbatur prophetiæ donum.

Seculis verò ſubſeqventibus etſi cum aliis SS. chariſmaſi donum qvoqve interpretationis paulatim ceperit imminui, donec tandem regnantibus tenebris Papalibus Spiritus prorſus extingvi videretur: excitati tamen ſubinde fuêre in Eccleſiâ, prout viſum τῷ δωρεδότῃ Spiritui, qvi operam non omninò contemnendam locarunt in explicandis Paulinis literis tùm è Græcis, tùm è Latinis Dd. præſertim verò qvà occupati fuerunt in colligendis aut contrahendis veterum ſententiis, qvibus ampliori menſurâ donum Prophetiæ conceſſum agnoſcebant. Seculo enim QVINTO floruit CONSTANTINUS *Antioch. Presbyter,* qvi ex operibus Præceptoris *Chryſoſtomi* exegeſin collegit in Epiſtolam ad *Ebræos*, qvæ idcircò enarrationibus ejus in *reliqvas* Pauli Epiſtolas accenſetur. Floruit & CÆLIUS SEDULIUS, qvi ex *Origene, Ambroſiò, Hieronymò & Auguſtinò* potiſſimùm concinnavit commentaria in *omnes* Pauli Epiſtolas. Floruit PRIMASIUS *Uticenſis,* qvi pariter *ex Ambroſio, Hieronymo & Auguſtino in omnes* Paulinas Epiſtolas enarrationem coagmentavit. Floruit PETRUS TRIPOLITANUS, qvi è ſolo *Auguſtino cunctas* Pauli Epiſtolas dilucidavit. Seculo SEXTO ISIDORUS HISPALENSIS & PATHERIUS *Gregorii M. diſcipuli* ex operibus Præceptoris ut in alias Scripturas, ita & in literas Apoſtolicas ſcholia & interpretationes concinnârunt. SEPTIMA Ætate *venerabilis* BEDA collectanea in *omnes* Pauli Epiſtolas ex omnibus *Auguſtini* operibus, ſententiis ac verbis ejusdem in unum coacervatis edidit. ALBINUS

item

item vel *Alcuinus* commentarios in easdem adornavit è præcipuis Eccleſiæ Dd. ad exemplum *Bedæ* præceptoris. OCTAVO ſeculo inter *Græcos* PHOTIUS *Patriarcha Conſtantinopol.* ſcholia ex variis Græcis Patribus in *omnes* Pauli Epiſtolas collegit: Sic & OECUMENIUS *catenam* è Græcis Dd. contextam ſuper eaſdem adornavit. Inter *Latinos* verò HAYMO *Halberſtad. Epiſcopus* è veterum Interpp. dictis concinnavit exegeſin in Paulinas Epiſtolas: Similiter & RABANUS *Maurus Archi-Epiſc. Mogunt.* commentaria ſua in Apoſtolum conſcripſit, adhibitis prædeceſſorum expoſitionibus inde ab *Hieronymo* usqve ad *Bedam*, & ſervatis ipſorum dictis ac ſenſibus, è cujus porrò operibus *Gloſſam ordinariam* concinnâſſe dicitur, ſuper *univerſam Scripturam*, diſcipulus ejusdem STRABUS *Fuldenſis*, qvem authorem ejusdem facit *Trithemius*, qvanqvam *Antoninus* & *Ganguinus* autorem illius dicant *Alcuinum*. NONO ſeculo è *Græcis* Apoſtoli interpretibus celebratur THEOPHYLACTUS *Bulgariæ Archi-Epiſcop. Chryſoſtomi* Epitomator doctiſſimus, è Latinis REMIGIUS *Antiſiodorenſis Epiſcop. Ambroſii* & *Auguſtini* ſectator eximius. DECIMO ſeculo EUTHYMIUS *Zigaben.* commentariis illuſtravit Paulum è plerisqve Patribus & cumprimis *Chryſoſtomo* contextis: in *Latinâ* verò Eccleſiâ RADULPHUS *Flaviacenſis omnes* Pauli Epiſtolas interpretatus eſt. UNDECIMO ſeculo LANFRANCUS & ANSHELMUS uterqve *Archi-Epiſcopus Cantuarenſ.* interpretum munere functi ſunt *in ſcripta Apoſtolica*.

Seqvioribus autem ſeculis qvò plus invaluit Scholaſticorum barbaries, eò magis defecit interpretationis facultas, ut à multis obſcuratus potiùs, qvàm illuſtratus, depravatus qvàm explicatus ſit Apoſtoli ſenſus. Laudantur tamen inter Scholaſticos hi præcipuè *interpp. Paulini*, ANSHELMUS *Laudunenſ. gloſſæ interlinearis Autor*, HUGO *de S. Victore*, *lingva Auguſtini* dictus, PETRUS LOMBARDUS *ſententiarum Magiſter*, qvi ex *Ambroſio*, *Hilario*, *Auguſtino*, *Caſſiodoro*, *Remigio* præcipuè commentationes ſuas depromſit: BRUNO *Carthuſian*: GILBERTUS *Porretanus*, STEPHANUS item *Langton*, & MATTHÆUS *de Aqvaſparta Cardinales*, nec non PETRUS de *Tarantaſiâ*, poſteà INNOCENTIUS V. *Pontifex Rom.* ALBERTUS M. *Epiſcopus Ratisbonenſ.* ejusq; diſcipulus THOMAS *de Aqvin.* Scholaſticorum Anteſignanus, ut & HUGO

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Carenſis Cardinalis, qvi *primus* dicitur *Concordantias Biblicas* inveniſſe: ÆGIDIUS *Columnius*, ALBERTUS *Patavinus*, ANGELUS de CAMARINO, GREGORIUS ARIMINENS. AUGUSTINUS *Amonas*, JOHANNES de ISIDINIO, JOHANNES BACCO &c. qvi *omnes* Epiſtolas conati ſunt explicare. In qvibus legendis vel maximè Apoſtolo monitore opus eſt: πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε. *omnia probate, qvod bonum eſt, retinete*. 1. Theſſ. 5. 21. Commiſcent qvippe cum ὑποτυπώσει τῶν ὑγιαινόντων λόγων nonnunqvam βεβήλους κενοφωνίας, cum doctrinâ Apoſtolicâ traditiones humanas, *obtunduntq́;* non rarò *altitudinem divini Spiritûs commentis ſuis*, ut Hieronym. loqvitur: nec *expectant dictorum intelligentiam ex dictis*, ut monet Hilarius l. 1. de Trin. *ſed important potius* in multis, *non referunt ſed adferunt, idq́; cogunt videri dictis contineri, qvod ante lectionem præſumſerunt intelligendum*. Qvod Cacoëthes in *poſterioribus Scholaſticis* potiſſimum notamus; qvi præterea variis effictis ſenſibus myſticis, & *verè meris allegoriis*, id eſt, *alieniloqviis*, interprete B. Luthero, *lymphatico in Scripturis vagantur errore, & ſubtracto fundamento literæ, qvaſi in aëre qværunt ædificare*, ut Auguſtin. loqvitur, qviqve Hieronymo dicente, *ingenii ſui acumina putant Eccleſiæ eſſe Sacramenta*.

Poſtqvam autem per ineffabilem DEI gratiam purior doctrina Apoſtolica è tenebris plusqvam Cimmeriis regni AntiChriſti effulſit, orbemqve Chriſtianum denuò illuſtravit; vero qvoqve ſenſui ſacrarum literarum, & cumprimis qvas *electionis vas, tuba Evangelii, rugitus leonis Noſtri, tonitru gentium, flumen eloqventiæ Chriſtianæ* Eccleſiæ dedicavit, lux inſignis conciliata fuit, ut non amplius ſub modio reconditæ, ſed ſuper candelabrum poſitæ, viderentur, omnibusq; in domo DEI ſpirituali lucerent. Qvid hac in parte Thaumaſiander noſter B. LUTHERUS præſtiterit, nemini obſcurum eſſe arbitror. *Res* enim *ipſa oſtendit, Lutheri enarrationes longè antecellere aliorum interpretum ſcriptis*, cenſente ita Criticorum ſuperioris ſeculi anteſignano *Philippo Melanchthone*. *Qvod ſi veritas ingenuè & apertè exponenda eſt, ipſa collatio enarrationum me in hanc ducit ſententiam, ut exiſtimem, omnes commentarios veteres & recentes, etiamſi in unam maſſam conflentur, & id, qvod optimum eſt, ex iis decerpatur, non*

ta-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

tamen cum hujus viri ſcriptis conferri & comparari poſſe, ait graviſſimus Epiſcopus Nicol. Anisdorffius. Certus ſum nunqvam exoriturum eſſe, qvi eum felicitate docendi ac dexteritate interpretandi Scripturam ſacram & Spiritu victurus ſit, ſcribit ad Eberum cordatus ille Scripturæ interpres D. *Hieronym. Wellerus.* Et alibi : *Dicam qvod ſentio, ſcribimus qvidem paſſim & tractamus Scripturas, abſit invidia verbo, ſed Luthero collati, diſcipuli ſumus. Hoc judicium non ex amore fluit, ſed potius amor ex judicio.* Qvæ ſanè judicia verisſima eſſe, ne *hoſtes* qvidem Lutheri diffiteri potuêre. Qvod de ipſo *Eraſmo* teſtatur Philipp. in præfat. T. 3. Luther. *Scio*, inqvit, *Eraſmum ſolitum dicere, neminem eſſe interpretem dexteriorem omnium, qvorum extant literæ poſt Apoſtolos. Andreas Maſius* eruditisſimus interpres Pontificius *in unâ ſcriptorum Lutheri paginâ plus eſſe ſolidæ Theologiæ* confesſus eſt, *qvàm interdum in toto libro alicujus Patris.* Qvanqvam autem ad exemplum *Auguſtini* ſolam Epiſtolam ad *Galatas* continuâ expoſitione interpretatus ſit *B. Lutherus*, gemino in eandem adornato commentario verè aureo gemmeoqve: *omnes* tamen Pauli Epiſtolas non immeritò illuſtraſſe & dilucidaſſe cenſendus eſt, non tantùm qvod *translatio* ejus *Germanica* ſit inſtar commentarii luculenti, *qvam omnibus etiam commentariis tàm Græcis qvàm Latinis præferre non dubitat Tilemann. Heshuſius in confeſſ. de union. perſonal.* ſed etiam qvod *doctrinam Apoſtoli* omnibus ſuis ſcriptis à corruptelis qvibusvis Papiſticis vindicarit, & præterea *ſententias plerasq; omnes* in operibus ſuis ita dilucidarit ſparſim, *ut ſi collectæ fuerint explicationes ejusdem in unum commentarium, Gloſſam ejusmodi ordinariam conficere poſſint, cui nulla ſimilis conſcribi qveat*, cenſente Cunr. Porta in paſtor. Lutheri f. 37. Ut taceam, qvod *præfationes B. Lutheri ſuper ſingulas Epiſtolas Paulinas integri alicujus commentarii vicem præſtent*, ut iterum non abs re judicat Porta. Hunc ergò interpretum & Prophetarum novisſimorum temporum coryphæum πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων ſeqvuti ſunt *plurimi à multijuga doctrinâ, ſolidâ lingvarum peritiâ, judicio ſubacto, & exqviſitâ Scripturæ cognitione celeberrimi Theologi* JOH. BUGENHAGIUS POMER. PHILIPPUS MELAN-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

CHTHON, JOHANNES BRENTIUS, CASPAR CRUCIGER SENIOR, HIERONYMUS WELLERUS, ERASMUS SARCERIUS, GEORGIUS MAJOR, MATTHIAS FLACIUS, DAVID CHYTRÆUS, JOHANNES WIGANDUS, TILEMANNUS HESHUSIUS, LUCAS OSIANDER, NICOLAUS SELNECCERUS, ÆGIDIUS HUNNIUS, GEORGIUS MYLIUS, AMBROSIUS REUDENIUS, DAVID RUNGIUS, JOH. WINCKELMANNUS, DANIEL CRAMERUS, FRIDERICUS BALDUINUS, JOH. GERHARDUS, GEORGIUS WEINRICHIUS, *οἱ νῦν ἐν ἁγίοις*, MATTHIAS HOE AB HOENEG, ut & meus JOH. QVISTORPIUS, aliiqve Eccleſiæ DEI magno cum fructu adhuc inſervientes; ne *de aliarum partium interpretibus* qvicqvam dicam, qvi vel omnibus, vel nonnullis ſaltim Pauli Epiſtolis explicandis operam navarunt, in multis ſanè, qvæ præſertim ad phraſin Apoſtoli è lingvâ originali veterumqve interpretum collatione rectius dijudicandam faciunt, haud contemnendam.

Illis autem melioris notæ interpretibus non immeritò acceuſemus *athletam Chriſti, dum in Eccleſia militante agebat, non minus præclarum qvàm ſtrenuum* Dn. D. JOHANNEM CLUVERUM *Profeſſorem Soranum Theologum, & Superintendentem Dithmarſum Regium.* Cui *viro DEI* ut πίονι μέτρῳ conceſſerat Spiritus Sanctus προφητείας vel *interpretandi donum eminentiſſimum*, ita non rectius talentum divinitus conceſſum ſe collocare poſſe judicavit, qvàm in ea Novi Teſtamenti ſcripta, qvæ ut præ cæteris *ſententiis nervoſis, & myſteriis abſconditis* refertiſſima ſunt, ita interpretem deſiderant non *ſublimioris* tantùm *judicii*, *doctrinæq; exactioris*, ſed cumprimis *Spiritûs verè Theologici. Paulinas* dico *Epiſtolas*, & *Johanneam Apocalypſin.* Nam uti de *hâc* pronunciat Hieronymus in Epiſt. ad Paulin. *Apocalypſis tot habet Sacramenta, qvot verba: imo in verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ:* ita de *Paulo* judicat Euſebius, lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. c. 24. qvod *in verbis & ſenſibus ſit præpotens, & in parvo Epiſtolarum corpore*

im-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

immenſa contineat atq; innumera Sacramenta. De *Apocalypſeos dilucidatione Cluverianâ* ut impræſentiarum verba faciam, inſtituti ratio non permittit: & exponent id longè diſertius *Admodum Reverendi atq; Celeberrimi Theologi Regiæ Haffnienſis Academiæ*, qvorum judicium utpote ſolidiſsimum meritò ſuſpiciet, ac venerabitur Eccleſia. Non poſſum tamen qvin exoptem hoc loco, παρέργως qvidem, at maximè ſeriò, ut qvod jam pridem *Potentiſſimi Regis* DANIÆ, *Religionis orthodoxæ Aſſertoris conſtantiſſimi* (qvem diu ſervet Eccleſiæ ſummum Numen!) laudatiſſima & æternâ memoriâ digna in Eccleſiam ſolicitudo peculiari ſancivit privilegio & diplomate Regio, in uſum Eccleſiæ publicum tandem perducatur; nihil addubitans, qvin commentarii hujus eximii publicatione impletum iri, cordati lectores deprædicaturi ſint, qvod *Irenæus* de Prophetiis aſſerit l. 4. adverſ. hæreſ. c. 43. *Omnis prophetia priusqvam habeat efficaciam, ænigmata & ambiguitas ſunt hominibus. Cum autem venerit tempus & evenerit, qvod prophetatum eſt, tunc Prophetiæ habent liqvidam & certam expoſitionem.* De *commentariis* verò *Paulinis*, ut qvod res eſt dicam, fateor, inſigni gaudio me affectum ob laborem præclarum, qvem impendit *Theologus optimus*; qvod ſcripto brevi, at exqviſito elaborato ſtudio *Epiſtolarum omnium S. Apoſtoli Analyſis & Orthotomia* exhiberetur, *ſatis luculenta & methodica:* Qvâ & *ſcopum* cujusvis Epiſtolæ genuinum dextrè proponere, & *argumenta omnia*, prout ad eundem collineant, perſpicuè enarrare ſategit Autor, ut facili negotio tum εἱρμὸς τῆς ἀκολουθείας, ſeu *ratio conſeqvutionis* in tractatione Apoſtolicâ, tum etiam τὸ ἔδαφος (qvod dixêre veteres) vel *totus Scripturæ contextus* omnibus legentibus conſtare poſſit. *Ut* enim *in ſtatuâ disjectâ, neqve de totius operis pulchritudine neqve de partium Symmetriâ judicari poteſt, ita nullius autoris ſententiam rectè perſpiciet, ſi qvis non cognoverit totum autorem. Et ſæpè fit, ut fragmenta à reliqvo avulſa corpore depraventur, nec accipiantur juxta auctorum voluntatem. Prodeſt igitur in unaqvaqve re disputationes integras animo complecti atq; tenere*, ut rectiſſimè de Scripturæ Sacræ meditatione judicat *Philippus* in præfat. diſpoſ. ſuper Epiſtol. ad Roman,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Qvod jam olim monuit S. Hieronymus in cap. 25. Matth. *Prudentem ſemper admoneo lectorem, ut non ſuperſtitioſis acqvieſcat interpretationibus, & qvæ commaticè pro fingentium dicuntur arbitrio, ſed conſideret priora, media, & ſeqventia, & nectat ſibi univerſa, qvæ ſcripta ſunt.* Huic rei autem qvum plurimum inſervire poſſe viderem præſentem *orthotomiam Apoſtolicam*, non dubitavi eandem carmine illo ἐγκωμιαστικῷ, qvod Philippeæ dispoſitioni additum eſt, condecorare ac lectori commendare. Cui præterea pergratum fore confido, qvod hîc *ſuccinctam* habeat *locorum difficiliorum* ἐπίλυσιν, non propriâ voluntate allatam, ſed è contextu tractationis Apoſtolicæ & locorum ſimilium collatione enatam, qvum *legitima & ſine periculo ſit Scripturæ expoſitio, qvæ fit ſecundum ipſas Scripturas*, dicente *Ireneo l. 4. adverſ. hæreſ. c. 63.* Qvam porrò ita adornavit ὁ μακαρίτης noſter, ut *nec ad plenum Apoſtoli ſenſum qvid deſiderari, & nullum ob prolixitatem lectori ſuboriri poſſit faſtidium:* qvum in exiguo volumine ſolida omnium Epiſtolarum habeatur explicatio, multis iisqve ſæpè copioſiſſimis aliorum commentis, præſertim verò *Scholaſticorum & Pontificiorum*, longâ ſerie varias enarrationes recenſentium, & peſſimam plerunqve eligentium, longè præſtantior atqve pretioſior. Faciet inſuper hæc *orthotomia* plurimum ad *diluendas calumnias*, & προφάσεις tum improborum Sophiſtarum, tum aliorum ſupinâ negligentiâ occupatiſſimorum hominum, qvi vel ὑποθέσει δουλεύοντες Apoſtolum juxta cum reliqvis Scriptoribus θεοπνεύστοις *obſcuritatis* poſtulant, vel deſidiæ ſuæ in ἐρευνήσει literarum Apoſtolicarum hunc præcipuè ſubſternunt prætextum, qvod *difficiliores* ſint, qvàm ut plenus earum ſenſus ex iisdem absqve aliorum prolixis commentis haberi poſſit. Qvam criminationem falſiſſimam eſſe vel hæc Exegeſis convincit, è ſolo Scripturæ contextu inſtituta, ſimulqve egregiè confirmat illud *Epiphanij*, qvod habetur *hæreſ. 76.* πάντα σαφῆ ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ βουλομένοις εὐσεβεῖ λογισμῷ προσέρχεσθαι τῷ θείῳ λόγῳ. Nec verò præterit hic commentarius, utut exiguus, ſicco pede *vocum & phraſium Apoſtoli emphaſes & epitaſes*, ſed evolvit easdem non rarò è

linguâ

lingvâ originali, notatqve eâdem operâ plerasqve *interpretis vulgaris* à textu authentico exerrationes, & ingenuis, ſuccinctis pariter atqve perſpicuis caſtigationibus emendat easdem. Qvæ qvidem opera non poterit non valdè ſeſe probare candido lectori: qvum *Autor optimus* ut omnia alia, ita hoc qvoqve juxta Apoſtoli noſtri monitum, & Spiritus, qvo ferebatur, inſtinctum, unicè *ad ædificationem Eccleſiæ* direxerit: ut textum Latinum vulgatum non omninò abjiceret, qvippe in ſuo genere antiqviſſimum, & uſitatiſſimum, ſed ad *Græcam veritatem*, ubi deflectit ab eâdem, reduceret, atqve perficeret, *qvod non ſolùm illuſtrium Theologorum exempla ſvadent, ſed etiam toties monent Hieronymus & Auguſtinus, & ipſa Romanorum Pontificum decreta jubent*, fatente *Eraſmo in præfat. ſup. Nov. Teſtament.* qvâ de re prolixè egimus *Tomo primo Commentarii Apodictico-Elenchtici ſuper Auguſtanam Confeſſionem* adverſus modernos μισοχάγυς.

Tu, *Lector Benevole*, grato fruere animo laboribus *optimè meriti Theologi* utiliſſimis, & votum ejus meumqve ſeriò adimplere ſtude, proprio tuo commodo. Qvod fiet, ubi *cum diligentiori Scripturæ meditatione vivam conjunxeris praxin doctrinæ, qvæ eſt ſecundum pietatem, qvo myſterium fidei purâ foveatur conſcientiâ*. 1. Timoth. 2. 9. *ut charitas noſtra magis magisqve abundet in ſcientiâ, & in omni ſenſu; ut probemus potiora, ſimusqve ſinceri & ſine offenſâ in diem CHRISTI, repleti fructu juſtitiæ, per JESUM CHRISTUM in gloriam & laudem DEI. Phil. 1. 9. ſeqq.*

Idem DOMINUS noſter JESUS CHRISTUS, qvi aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, & dona accepit pro hominibus, conſervet perpetuo DONUM interpretationis in Eccleſiâ, eiqve cœlitùs largiatur Prophetas, & Doctores Θεοδιδάκτυς, *qvi verbum veritatis rectè ſecent, & contradicentes potenter convincant, hoc præſertim noviſſimo tempore, qvo maximè indocti*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

atque inſtabiles tum Paulinas Epiſtolas tum cæteras quoque Scripturas detorquent ad ſuam ipſorum perditionem: Cuſtodiat denique dilectos ſuos, ne illorum nefariorum errore abducti à propriâ excidant firmitate, ſed creſcant in gratiâ & agnitione ipſius Domini & Servatoris noſtri JESU CHRISTI. Ei ſit gloria & nunc & in diem æternitatis, Amen. Regiomonti Poruſſorum pridie Calendar. Martii cIↄ Iↄc XLIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

V Iſa obſcura prius multis oratio Pauli eſt,
Omnis ubi ſeries unus acervus erat.
Singula ſed poſtqvam ſunt ordine membra retexta,
Diſpoſitæ clarum res modo lumen habent.
Commendatus erit tibi, LECTOR AMICE, libellus.
Eſt breve, ſed magni grande laboris opus.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

EPISTOLÆ S. PAULI
APOSTOLI AD ROMANOS
ANALYSIS CUM EPILYSI BREVISSIMA.

IAm viginti ſex annos in Apoſtolatu exegerat Paulus, & aliqvoties Romanam urbem, caput terrarum orbis, adire concupierat, qvando in Spiritu decrevit, ſcripto exponere Evangelium illis, qvos corpore adire nondum licebat. *Redigit* igitur *Romanis in memoriam totum Evangelium, tanqvam miniſter JESU Chriſti ad gentes, ut fiat oblatio gentium accepta, ſanctificata in Spiritu Sanctô*, qvemadmodum ipſe ſcribit cap. 5, 15. 16.

Non eſt autem prima Epiſtolarum hæc, qvas evulgavit Chriſtiano orbi Apoſtolus, ſed ordine temporis ſeptima. Præceſſerunt enim ad Theſſalonicenſes & Corinthios binæ, & ad Titum una, & ad Timotheum prior. Veruntamen copia ſermonis & dignitate argumenti prima cenſetur meritò, atqve hinc etiam primum inter Epiſtolas Apoſtolorum locum occupavit. Scripta eſt, ut ſupputatio noſtra, fini Epiſtolarum ſuffixa docet, anno Domini LXI. Neronis qvinto, cùm per Græciam in Palæſtinam iter moliretur Apoſtolus, ac poſtremùm viſeret Corinthios. Act. 19, 21. & 20, 2. Rom. 15, 25. & 16, 23.

ANALYSIS GENERALIS.

CÆterùm Evangelii, hâc Epiſtolâ expoſiti, partes ſunt duæ: *Una de fide in JESUM Chriſtum, ad juſtitiam & ſalutem; Altera de bonis operibus, in qvibus credentes DEO proximoq; placere neceſſe eſt.*

Fides enim, qvà DEUM reſpicit, amplectitur juſtitiam ejus in CHRISTO JESU donatam, atqve ita juſtificatur impius.

 Eadem

Eadem adepta juſtitiam, qvâ reſpicit hominem ipſum, offert traditq́; eum DEO totum in ſervitium, veramq́; DEI & proximi dilectionem efficit. Hæc fidei operatio à cap.12. usqve finem ferè Epiſtolæ pertexitur.

Tractatio tota qvatuor conſtat partibus.

Prima eſt *Exordium*, usqve ad capitis primi verſiculum decimum ſextum.

Altera *Propoſitio*, verſu 16. 17. his verbis edita: Evangelium eſt potentia DEI ad ſalutem omni credenti, Judæo primùm & Græco.

Tertia, ἔκθεσις *ſeu Expoſitio* eſt, ipſius doctrinæ Evangelicæ, à verſu 18. capitis primi, usqve ad capitis decimi qvinti verſum 14.

Qvarta, *Concluſio*, à verſu 14. capitis XV. usqve ad finem Epiſtolæ.

CAPUT PRIMUM.

CApite primô *Exordium, Propoſitio, & Expoſitionis initium* continetur.

Exordium Epiſtolæ bimembre eſt, primò ſalutationem Apoſtolicam, deinde narrationem, benevolentiæ, attentioni & docilitati accommodatam complectens.

Salutatione deſcribuntur *ſalutans, ſalutati, & ſalus ipſa.*

Salutans, à nomine & attributis.

1 Nomen eſt *Paulus.*

Attributa ſunt: *Servus JEſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium DEI.*

Amplificantur ab objecto officii Apoſtolici, qvod eſt *Evangelium DEI.*

Evangelii enim hujus commendatur primùm autoritas & origo
2 divina, dum inqvit: *qvod antè promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis.* (Prophetæ enim de venturâ gratiâ vaticinati, diviniſq́; de Chriſto revelationibus illuſtrati, nobis ſua ſcripta reliqvêre, non ſibi, 1.Petr. 1, 10.11.12. infrà cap.16,26. Luc.1,70. & 24,27.44. Act.3,10. & 10,43.)

3 Deinde ſubjectum, de qvô agit. *Eſt enim Evangelium DEI*

DEI de Filio ejus. (Scripturæ ſcilicet de Chriſto teſtantur, Johan. 5, 39. in capite libri ſcriptum eſt de eo, Pſalm. 40, 8.) Inſeritur ipſius Chriſti deſcriptio, qvoad utramqve naturam, humanam & divinam; tùm qvoad divinæ manifeſtationem, & nomina inſuper ejus officium declarantia. *Qvi,* inqvit, *factus eſt ex ſemine David ſecundùm carnem,* (Matthæi 1, 1. Luc. 1, 32. &c. Eſai. 7, 14. & 11, 1. 10.) *qvi prædeſtinatus eſt* (τοῦ ὁρισθέντος, qvi definitus &
declaratus eſt, Syrus וְאֶתִּידַע, & cognitus eſt) *Filius DEI in vir-* 4
tute, ſecundùm Spiritum ſanctificationis, (qvô glorificatus, Joh. 16, 14. juſtificatus, 1. Timoth. 3, 16. teſtatusq́; eſt, Johan. 15, 26.) *ex reſurrectione mortuorum.* (Nam ſicut ex infirmitate hominum, verè aſſumpta, rectè decernitur, hominem verum fuiſſe qvi mortuus eſt; ita ex virtute divinâ, qvâ mortem ſuperavit, infallibiliter ſtatuitur, ὁρίζεται, DEUM fuiſſe, qvi animam à ſe poſitam reſumere, qvando voluit, potuit, Joh. 10, 18. Itaqve reſuſcitatum conſpicatus Thomas exclamabat, DEus meus, & Dominus meus, Joh. 20, 28.) *JESU Chriſti Domini noſtri.*

Amplificantur attributa Autoris, etiam à deſcriptione Apoſtolatus, *qvæ eſt gratia & ablegatio, accepta per JEſum*
Chriſtum, ad obedientiam fidei inter omnes gentes, pro 5
nomine ipſius. (Cauſa efficiens τῆς ἀποστολῆς eſt *Chriſtus.* Forma eſt *gratia ablegationis ad omnes gentes, pro nomine JESU Chriſti prædicando.* Finis, *obedientia fidei gentium,* ut nempè gentes perſvaſæ de nomine JESU Chriſti, per fidem ſe ſubjiciant Evangelio.)

Inter illas gentes connumerari etiam Romanos, manifeſtum eſt, ideóq; innuit, legationem ſibi ad eos qvoqve commiſſam, qvam hâc ſcriptione expedire cupiat pro tempore. Igitur ait:
In qvibus eſtis & vos, vocati JEſu Chriſti. 6

Qvi ſalutantur ergò, ſunt Romani: *Omnibus,* ait, *qvi ſunt Romæ, dilectis DEI, vocatis ſanctis,* i. e. Eccleſiæ Romanæ, qvæ cœtus eſt dilectorum vocatorumq́; à DEO, ſanctificatorum in JEsu Chriſto per Spiritum Sanctum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

7 Salus eſt: *Gratia vobis & pax à DEO Patre no-*
ſtrô, & Dominô JEſu Chriſtô (multiplicetur, 2. Petr. 1, 2.)
Hactenus Exordium, ſeqvitur.

NARRATIO.

NArratione duo inprimis commemorat Apoſtolus, nimirum ſtudium affectumq; ſuum in Romanos, verſu 8. &c. & cauſam ſcriptionis hujus propriam & proximam.

Studium affectumq; ſuum duobus declarat argumentis: Primum Gratiarum actione pro donis Romanorum, qvæ habent, verſu 8. &c. Deinde Precatione pro eorundem incrementô, ſuâ præſentis operâ porrò parando, verſu 9.10.11.12.

Gratiarum actio hæc eſt: *Primùm qvidem gratias ago*
8 *DEO meo per JEſum Chriſtum, pro omnibus vobis,*
qvia fides veſtra annunciatur in universô mundô.
(Non tantùm habetis fidem, ſed ſic habetis, ut innotuerit ex urbe illâ principe toti terrarum orbi.)

Precatione notat DEUM, cui preces offert, notat precum asſiduitatem, notat argumentum earum. Addit cauſam ϖροκαταρκτι-
9 κὴν & finalem. *Teſtis enim mihi DEUS, cui ſervio in Spi-*
ritu meô (mihi dato) *in Evangelio Filii ejus,* (qvod eſt etiam
Patris Evangelium, ut ſuprà verſu 1.) *qvòd ſine intermisſione*
10 *memoriam veſtri facio: Semper in orationibus meis*
obſecrans, (hæc precum asſiduitas: ſeqvitur earum argumentum)
ſi qvo modo tandem aliqvando proſperum iter habeam, in voluntate DEI veniendi ad vos. (Nam ex volun-
11 tate & directione DEI pendet omnis functio mea.) *Deſidero e-*
nim vos videre, (hæc cauſa precum ejusmodi) *ut aliqvid*
impertiar vobis gratiæ ſpiritualis, (miniſterio meo) *ad*
12 *confirmandos vos, id eſt, ſimul conſolari in vobis* (συμ-
ϖαρακληθῆναι, ut inter nos exhortemur & conſolemur, ego in vobis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

bis, vos in me) *per eam, qvæ invicem eſt, fidem, veſtram atqve meam.*

Huc usqve ſtudii & affectus declaratio.

Cauſam ſcriptionis hanc ponit, qvod ex officii debitô, in animô habens proficiſci ad Romanos, impeditus fuit, ac proinde calamo peragendum, qvod ore non liceat.

Cupiditatem proficiſcendi ſic narrat : *Nolo autem vos* 13
ignorare fratres, qvod ſæpè propoſui venire ad vos, & probibitus ſum usqve adhuc, ut aliqvem fructum habeam & in vobis, ſicut & in cæteris gentibus, (qvas jam circumivi à Jeroſolyma usqve ad Illyricum, Rom. 15, 19.) Inſerit officii obligationem : *Græcis ac barbaris ſapientibus* (ſecun- 14
dùm carnem, 1. Corinth. 1, 26.) *& inſipientibus debitor ſum.* (Chriſtus enim, cùm me legavit, neminem excepit, Act. 26, 17. 18.)
Itaqve qvod in me, promptum eſt & vobis, qvi Romæ 15
eſtis, evangelizare, (qvod jam ſcripto facio, dum ore non licet.)

PROPOSITIO TOTIUS EPISTOLÆ.

PRopoſitionem nunc leni Μεταβάσει uſus ſubnectit. *Non enim* 16
(inqvit) *erubeſco Evangelium* (τȣ̃ Χριςȣ̃, Chriſti, qvod mihi commiſſum eſt, ſed promtè illud plenaq; fiducia enuncio inter gentes.) Hæc eſt tranſitio ad propoſitionem.

Propoſitio ipſa eſt : *Potentia enim DEI eſt ad ſalutem omni credenti, Judæo primùm & Græco.* (Evangelium illud, qvod vobis annuncio, DEI qvædam potentia eſt, efficax DEI organon eſt, qvô credentibus ei univerſis ſalutem confert æternam, primùm qvidem Judæis, à qvibus exivit, Eſaiæ 2, 3. Pſalmo 50, 2. & 110, 2. Mich. 4, 2. Mox verò pariter gentibus, qvas eadem gratia complectitur.)

Firmat, oſtensô Evangelii ſubjectô, in qvo declarando verſatur, & ſimul ſcopo, cui comparatum eſt; adducto ad id oraculo Prophetico Habacuc 2, 4. *Juſtitia enim DEI* (qvam DEUS donat ho- 17

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

mini, non qvam homo præſtat ſecundùm Legem, Roman.3, 22. 25. & 10,3. 2.Cor.5,21.Phil.3,5. 2.Petr.1,1. Rom.5,15.17.) *in Evangelio revelatur, ex fide* (DEI promittentis, Rom.3,3.) *in fidem* (hominis credentis:) *ſicut ſcriptum eſt, Juſtus autem ex fide vivet,* (fidem DEI, licet protrahentis Meſſiæ adventum, non in dubium vocans, ſed ſuam ei fidem adhibens, eaq; Chriſtum firmiter tenens, vivet in æternum, Gal.3,11. Hebr. 10,38.)

ENARRATIO PROPOSITIONIS.

"Ἔκθεσις ſeu *Enarratio* propoſiti thematis bipartita eſt. Primùm enim docet; *Fide ſalutem à DEO eſſe obtinendam, tàm Judæis, qvàm Græcis; id agit per undecim capita.* Deinde *eâdem fide ſic vivendum, ut corpora noſtra DEO conſecremus in ſervitium, fidemq; per opera pietatis & dilectionis exerceamus,* cap. 12.13.14.15.

PARS PRIOR EPISTOLÆ, HOMINEM FIDE SALVARI.

PArs prior, qvòd juſtitia & ſalus fide obtineatur, cùm à Judæis, tùm à Græcis, declaratur primùm qvidem κατασκευαστικῶς, id eſt, per argumenta confirmantia, cap. hôc primô, ſecundô, tertiô, qvartô, qvintô.

Poſteà verò ἀνασκευαστικῶς, hoc eſt, per objectionum contrariarum diſſolutionem, capite ſextô & ſeptimô.

Tertiò illuſtratur ſpeciali de Judæis & gentibus tractatu, qvô in ſolâ DEI gratiâ utriusqve partis ſalutem eſſe poſitam, demonſtrat, capite 9.10.11.

Igitur principiô confirmat, fide Evangelii obtineri juſtitiam & ſalutem, duabus probationum claſſibus.

Primâ claſſe demonſtrat omnium hominum damnationem, cui ſe peccatis fecerunt obnoxios. Si enim omnes homines peccati judicio attinentur, neceſſe eſt, ut potentiâ Evangelii per fidem conſeqvantur ſalutem. Itaqve aſſerit, revelationem factam cœlitùs per Legem naturæ & Scripturæ, ex qvâ de omnium hominum corruptione conſtet.

Alterâ argumentorum claſſe formam modumq; juſtitiæ, per Evangelium revelatæ, explicat, prægnantisſimis docens probationibus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

bus, qvòd absqve operibus, fide in JEſum Chriſtum juſtificari oporteat omnes ſalvandos. Hæc incipit verſ.21. capitis tertii, & perducitur usqve ad initium ſexti.

CONFIRMATIONIS ARGUMENTATIO PRIOR, DE OMNIUM HOMINUM MISERIA.

PRior harum argumentationum tractatur qvatuor partibus: *Propoſitione*, inqvam, *Confirmatione*, *Confutatione objectionum* contrariarum, cap. 2,25. & *Concluſione*, cap.3, 19.20.

Propoſitio eſt; DEUS revelat de cœlo iram ſuam, ſuper impietatem & iniqvitatem omnem omnium hominum.

Confirmationis argumentum generale primum, ducitur ab univerſalis ſeu communis revelationis divinæ violatione nefariâ, hôc modô: Qvi revelatam & agnitam DEI veritatem turpiſsimè & iniqviſsimè violant, ii iræ divinæ ſunt obnoxii, & mortis rei. At omnes homines agnitam DEI veritatem violant. Ergò omnes iræ divinæ obnoxii, & mortis rei ſunt.

Major ſuâ luce radiat, ejusq; veritatem ipſi homines perſpiciunt facilè, ut verſ.32. etiam innuit, dicendo: Juſtitiam DEI cognoverunt, qvod talia patrantes mortis rei ſunt: & revelatur ira DEI de cœlô adverſus iniqvitatem ejusmodi.

Minoris probatio gemina eſt. Primùm asſeritur, DEUM revelâſſe hominibus, per creationem mundi, æternam potentiam & divinitatem ſuam, cum cognitione juris, & diſcrimine honeſtorum ac turpium.

Secundò, hanc patefactionem veritatis ab humanô genere indignè ac nefariè violari, cap.1,21. Sic tractatur primum argumentum generale, & ad verſum 12. ſecundi capitis extenditur.

Alterum eſt dilemmaticum, ſumptum à diſtinctis prævaricationibus, gentium ac Judæorum, ſecundùm diſtinctas revelationes utrisqve factas, cap.2, 12. &c.

Confutatio duas Judæorum objectiones, unam à circumciſionis privilegiô, cap.2,25. alteram ab abſurdo petitam, cap.3,1. refellit.

Concluſio, dicta & probata ad Judæos, totumq; adeò mundum accommodat, cap.3, 19.20.

Sed veniamus ad textum: Propoſitio his verbis enunciatur:

Reve-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

18 *Revelatur enim ira DEI de cœlo, ſuper omnem impie-*
tatem & injuſtitiam hominum eorum, qvi veritatem
in injuſtitiâ detinent, (qvales ſunt omnes per naturam, prout
ſeqventibus evincitur. hoc eſt: teſtatur DEUS de cœlô in ipſis homi-
num animis, irâ ſuâ dignam eſſe hominum impietatem & injuſti-
tiam, veritatis agnitionem polluentium.)

19 Jam probat, homines veritatem DEI cognoviſſe: *Qvia*
qvod notum eſt DEI, (γνωςὸν, cognoſcibile DEI) *mani fe-*
20 *ſtum eſt in illis. DEUS enim illis manifeſtavit. Inviſi-*
bilia enim ipſius, à creaturâ mundi per ea, qvæ facta
ſunt, intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna qvoqve ejus
virtus & divinitas. (Etſi inviſibilis eſt DEUS, tamen operibus
creationis ſe qvodammodo conſpicuum reddidit, ut ipſa ejus inviſi-
bilia, qvòd DEUS ſit, isq; æternæ infinitæq; potentiæ, ac proinde ab
omnibus creaturis honorandus colendusq;, ex pulcherrimâ hâc
mundi machinâ mentibus humanis innoteſcant.) *ut ſint inexcu-*
ſabiles. (Sap.13,4.5.&c. Eſa. 40, 12.26.)

Porrò demonſtrat agnitam DEI veritatem, iniqviſſimè detentam ab hominibus, nec operibus eâ dignis prolatam aut excultam. Id facit qvinqve documentis.

PROBATUR, HOMINES COGNITAM VERITATEM ABJECISSE.

PRimùm ex idololatriâ & impietate voluntariâ in DEUM. Tùm ex nefandis & pudendis libidinibus, verſ. 24. Tertiò ex promiſcuâ omnigenæ iniqvitatis colluvie, verſ. 28. Qvartò ex pertinaciâ & obſtinatione abruptâ, verſ. 32. Qvintò ex ipſorum judicum malitiâ, cap. 2, 1.

Primum palàm eſt, ab iis veritatem agnitionis DEI detineri in-
juſtè, qvi agnitum DEUM non tantùm non glorificant, ut DEUM, ſed
etiam loco ejus imagines ac idola venerantur. At id fecerunt totô
21 terrarum Orbe homines. *Qvia qvùm cognoviſſent Deum,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

non ſicut DEUM glorificaverunt, aut gratias egerunt,
(gnari eſſe inviſibile, æternum atqve omnipotens Numen, ab omni-
bus ſanctâ mente colendum, Act.17,25.26.27.28.29. illud minimè ve-
nerati ſunt,) *ſed evanuerunt* (ἐματαιώθησαν. Syriacè: אֶסְתַּרְקוּ,
inanes & vacui facti ſunt ab illâ ſcientiâ) *in cogitationibus ſuis,*
& obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim, 22
ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, (ut planum in Poëtis, Phi-
loſophis, Legislatoribus,) *& mutaverunt gloriam incorru-* 23
ptibilis DEI, (cujus immortalis virtus conſpicua eſt è cœli ter-
ræq; gubernatione, ſuprà verſ. 20.) *in ſimilitudinem imaginis*
corruptibilis hominis, & volucrum, & qvadrupedum,
& ſerpentum. (Pſalm.106,20. Sapient.13. Teſtes ſunt libri Roma-
norum, Græcorum, Aſiaticorum, Ægyptiorum.)

Secundò planum eſt, nefandarum libidinum autores ac perpetratores DEI notitiam turpiter habere. Eas verò invenêre & perpetravêre homines, veritatem DEI in mendacium commutantes, ut oſtendit à conjunctô DEI judiciô, ſuis eos cupiditatibus relinqventis, qvod revelatam ipſius gloriam tàm nefariè blaſphemant. Item, ex effectis ſingularibus tùm fœminarum, tùm marium.

Propter qvod, inqvit, *tradidit illos DEUS in deſi-* 24
deria cordis eorum (ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις, in deſideriis, & per de-
ſideria cordis eorum, qvæ ipſi à ſeipſis & principe mundi hujus, non
à DEO concipiunt, 1.Joh.2,16.17. tradidit illos) *in immunditiam,*
ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſeipſis. (Qvàm ju-
ſtè? qvi DEUM inhoneſtant, puniuntur de ſe ipſis.) *Qvi,* inqvit, 25
commutaverunt veritatem DEI in mendaciô, (per men-
dacium eam transformârunt) *& coluerunt, & ſervierunt*
creaturæ potiùs, qvàm creatori, qvi eſt benedictus in
ſecula. Amen. Propterea tradidit illos DEUS in paſ- 26

ſiones ignominiæ, (ut dedecoroſa patiantur, qvi dedecorârunt
DEUM.)
Effecta ſunt nefanda: *Nam fœminæ eorum immuta-*
verunt naturalem uſum in eum uſum, qvi eſt contra
27 *naturam*, (ut in Priapejis, myſteriis bonæ Deæ, Eleuſimiis.) *Simi-*
liter autem & maſculi, relictô naturali uſu fœminæ, ex-
arſerunt in deſideriis ſuis invicem, maſculi in maſculos
turpitudinem operantes, (ut Sodomitæ, Benjamitæ Gibeani,
Nero, & alii infiniti, παιδεραςαὶ, pædicones, exoleti,) *& merce-*
dem, qvā oportuit erroris ſui in ſemetipſis recipientes,
(flagitiorum ſuorum ſupplicia à ſeipſis exigentes.)
Tertiò, coarguit injuſtam veritatis divinæ tractationem, è con-
gerie ſcelerum & flagitiorum, qvibus ſe polluit genus humanum,
non ſine juſtô DEI judiciô, exinde profanitatem mortalibus ſuam ob
oculos ponentis. Ait enim: *Et ſicut non probaverunt*,
28 (דְלָא דָנוּ בְנַפְשְׁהוֹן Syriacè, non judicaverunt in ſeipſis, habitâ deli-
beratione non ſtatuerunt apud ſe, laudabile eſſe) *DEUM habe-*
re in notitiâ, tradidit illos DEUS in reprobum ſenſum,
(DEUS juſto judicio contemptum ſui vindicavit deſertione eorum,
ac traditione in poteſtatem Satanæ, ut ab eo mentes excæcarentur,
Pſal. 81, 13. 2. Cor. 4, 2. 2. Theſs. 2, 11.) *ut faciant ea, qvæ non con-*
venit. Repletos omni iniqvitate, (nunc ſingulatim comme-
29 morat omnium vitiorum farraginem, reprobæ mentis indicinam,
crimina, ſi qvis numeret, viginti duo,) *fornicatione, malitiâ,*
avaritiâ, neqvitiâ, plenos invidiâ, homicidiô, conten-
tione, dolô, malignitate, (κακοηθείας, machinationibus & mo-
ribus malis oppletos, non aliter tentatos, ut ſolent qvandoqve ſan-
cti, ſed iis vitiis obnoxios planè ac mancipatos) *ſuſurrones, de-*
30 *tractores, DEO odibiles*, (θεοςυγεῖς, DEI oſores) *contume-*
lio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

lioſos, ſuperbos, elatos, (ἀλαζόνας, jactabundos,) *inventores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, in-* 31
compoſitos, (ἀσυνθέτους, irreconciliabiles) *ſine affectione,* (naturali, ἀστόργους,) *absqve fœdere,* (ἀσπόνδους, fœdifragos,) *ſine miſericordiâ.*

Qvartò, eandem veritatis agnitæ contumeliam declarat apertisſimè, qvod ipſis vitiis, qvantumcunqve agnitis, delectantur mor-
tales improbi. *Qvi qvum juſtitiam DEI* (τὸ δικαίωμα τοῦ 32
Θεοῦ jus DEI, Syriacè דִּינֵהּ judicium DEI) *cognovisſent, qvod qvi talia agunt, digni ſunt morte,* (novisſima exempla meriti,) *non ſolùm ea faciunt* (contra conſcientiam propriam, ſeq; ipſos damnantes,) *ſed etiam conſentiunt* (συνευδοκοῦσι, condelectantur) *facientibus.* Hic autem ſupremus malitiæ gradus eſt, & facere, qvæ ſcias eſſe improba, & voluptate affici, ſi alium videas facere, Eſai. 3, 9. Jerem. 11, 15.

CAPUT SECUNDUM.

CApite ſecundô, qvintum argumentum ſubnectit probandæ asſertioni, qvod humanum genus notitiam DEI iniqvè ac turpiter detineat. Deinde proponit alteram probationem generalem, qvâ demonſtrat, tùm Ethnicos legem naturæ, tùm Judæos ſcriptam legem neqviter transgredi, ac propterea utrosqve reos eſſe divini judicii, verſ. 12. Tertiò priorem Judæorum objectionem, qvâ ſe numero peccatorum eximere ſtudent, refellit, verſ. 25. Porrò argumentum illud qvintum, qvô injuſta veritatis detentio comprobatur, tale eſt: Si ſunt, qvi alios judicant, & tamen id faciunt, qvod in aliis damnant, veritatem DEI injuſtè detinent. Verum prius. Ergò poſterius. Et per conſeqvens illorum damnatio juſta eſt. Nam datô, qvòd non omnes delectentur ſceleribus aliorum, ſed ea judicent damnentq; : tamen qvia iidem judices hoc, qvod damnant, faciunt, utiqve ſibimetipſis ſententiam mortis dicunt. Conſeqventiam Majoris apoſtrophe occupatoria, & interrogatione exornat Apoſtolus,

1 cùm inqvit: *Propter qvod inexcuſabilis es, ô homo, omnis qvi judicas. In qvo enim judicas alterum, teipſum condemnas.*

Antecedens ſimpliciter enunciat: *Eadem*, inqvit, *agis, qvi judicas*, puta eadem, qvæ in aliis damnas. Conſeqvens à
2 communi ſenſu probat: *Scimus enim, qvod judicium DEI eſt ſecundùm veritatem in eos, qvi talia agunt.*

Porrò pergens in Apoſtrophe exprobratoriâ, oſtendit validiſſimam eſſe argumenti conſeqventiam, nempè paratum eſſe judicium DEI illis, qvi alios malè agentes judicant, & ipſimet iisdem, qvæ damnant, ſceleribus indulgent. Qvod ut faciat, refellit primùm inania improborum de longanimitate & tolerantia DEI ſomnia, qvibus in eas adducuntur ratiocinationes, tanqvam ſpernat ipſe humanas neqvitias, ac relinqvere eas velit inultas: Qvibus deinde apponit deſcriptionem judicii DEI, indicans, qvibus, qvidnam, à qvô, & qvaliter exſpectandum ſit.

3 *Exiſtimas autem hoc, ô homo, qvi judicas eos, qvi talia agunt, & facis ea, qvod tu effugies judicium DEI?*
(Nonne abſurda opinio eſt, putare humanis ſolùm judiciis improbos eſſe obnoxios, at judices pravos, damnatis à ſe vitiis obligatos,
4 DEI judicium elapſuros?) *An divitias bonitatis ejus, & ſapientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, qvod benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit?* (An neſcis, conſveſſe DEUM, qvò gravius homines ex commutatione rerum doleant, qvos pro ſcelere eorum ulciſci ſtatuit, his ſecundiores aliqvandiu res, & diuturniorem impunitatem concedere, ac niſi benignitate ejus ad pœnitentiam mutantur, tarditatem ſupplicii gra-
5 vitate penſare?) *ſecundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii DEI?* (Oppono tuis cogitationibus veram temporariæ iſtius impunitatis rationem. Eâ ſcias te ad reſipi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſcendum invitari; ſin indureſcis, & ſpretâ conſcientiâ, faciendis ſce-
leribus inſveſcis; theſauros tibi pœnarum colligis, in die judicii ex-
promendos.) *Qvia DEUS reddet unicuiqve ſecundùm* 6
opera ejus, (præſtitutô ad id tempore, omnibus ignoto, at omni-
bus metuendo.) Huc usqve improborum, impunitatem ſibi ſomni-
antium, refutatio.

Subjungit deſcriptionem judicii pleniorem, qvô veritatis con-
temptores perterrefaciat, atqve necesſitatem perfugii ad JEſum
Chriſtum, Evangelio manifeſtatum, perſvadeat. Significat enim,
qvinam à DEO præmia exſpectare habeant. *Iis qvidem, qvi ſe-* 7
cundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem
& incorruptionem qværunt, vitam æternam (dabit
DEUS. Non enim tantum bonos eſſe neceſſe eſt, ſed & conſtanter
bonos, & ſecundùm illam conſtantiam patientiamq; virtutis, non
vanam & caducam gloriam, ſed immortalitatem, & æternam apud
DEUM gloriam conſectari, qvi præmia ab illô judice opperiuntur.)
Iis autem, qvi ſunt ex contentione, & qvi non acqvi- 8
eſcunt veritati, credunt autem iniqvitati. (τοῖς δὲ ἐξ ἐρι-
θείας, καὶ ἀπειθοῦσι μὲν τῇ ἀληθείᾳ, i.e. verum ex irritatione, nec
acqvieſcentibus qvidem veritate, obtemperantibus verò iniqvitati,
nimirum corde durô irritantibus DEI iram, dum nec veritati agnitæ
obediunt, ſed & continuatis ſceleribus propriæ iniqvitati indulgent,)
ira & indignatio, tribulatio & anguſtia, in omnem 9
animam hominis, operantis malum, Judæi primùm,
(qvi plus veritatis divinæ habet cognitum) *& Græci*, (cui ea ex re-
rum omnium fabricatione & regimine pateſcit. Suprà cap. 1, 19. 20.)
Repetit, qvod antè dixerat de vitâ æternâ, eamq; gloriâ, honore &
pace affluentem facit. *Gloria autem*, inqvit, *& honor & pax* 10
omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco.
Addit, qvaliter illa diſpenſanda atqve expectanda, nimirum citra
omnem perſonarum reſpectum. *Non enim acceptio perſona-* 11

rum apud DEUM, (nulla conditionum externarum, generis, formæ, divitiarum, potentiæ aut egeſtatis conſideratio. Par in omnes & æqvabilis juſtitia, Job. 34, 19. Matth. 22, 16. 2. Corinth. 10, 7. Deuter. 10, 17. 2. Paral. 19, 7. Epheſ. 6, 9. Col. 3, 25. Jac. 2, 1. Judæ 16.)

II. PROBATUR, JUDÆOS ET ETHNICOS PARITER ESSE PECCATORES.

NUnc oportunè ad alterum argumentum generale, qvô omnes homines peccati conſcientia alligat, progreditur, præfatus paululùm proximis verſiculis de pari Judæorum Græcorumq; apud DEUM adſpectu. Argumentum tale erit: Qvi legem ſcriptam & non ſcriptam violant, utriqve ſupplicia debent DEO. Ethnici ſeu Græci legem innatam, Judæi ſcriptam violant. Ergò utriqve DEO ſupplicia debent.

12 Propoſitio his verbis exprimitur: *Qvicunqve enim ſine lege peccârunt, ſine lege* (ſcriptâ) *peribunt: & qvicunq; in lege* (ſcriptâ) *peccaverunt, per legem* (ſcriptam) *judicabuntur*. Jungendus eſt verſiculus 16:
16 *In die qvum judicabit DEUS occulta cordium, ſecundùm Evangelium meum* (ſecundùm timorem Evangelii à me prædicati, qvô judicium illud prænuncio exercendum) *per JEſum Chriſtum*. Intermedii verſus 13. 14. 15. parentheſi includuntur.

13 Probatur iis major propoſitio, à jure & juſtitiâ: *Non enim auditores legis juſti ſunt apud DEUM, ſed factores legis juſtificabuntur*, i.e. juſti pronunciabuntur. Gnari autem legis, & violantes eam, tantò atrociores pœnas dabunt.

Minorem dupliciter confirmat Paulus, ſecundùm duplex ſubjectum, qvod habet. De gentibus prius agit, qvas ſat habet docere, eſſe legis naturæ ſcientes. Nam eandem ab illis violari, non opus habet denuò evincere, cùm id præcedenti argumentatione peregerit. Gentes igitur legem habere, mentibus ſuis ingenitam, declarat, tùm à factis earum honeſtis ſecundùm legem, tùm à conſcientiarum
14 tribunali in ipſis. *Qvum enim gentes, qvæ legem non habent,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

bent (præſcriptam, ut Judæi) ***naturaliter ea, qvæ legis ſunt,***
faciunt, (multa à lege præcepta agunt, naturæ ſeu rectæ rationis in-
ſtinctu,) ***ejusmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.***
(Manifeſti enim ſunt ſcientiæ legalis ex operibus honeſtis, qvæ legi
congrua faciunt.) ***Qvi oſtendunt opus legis*** (à lege præſcri- 15
ptum) ***ſcriptum in cordibus ſuis*** (naturaliter) ***teſtimonium***
reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem
cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium.
(Verte: Cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.
Nam, qvod pueri ſciunt, duobus Ablativis reſpondent Græcè duo
Genitivi, conſeqventiam deſignantes. Patet igitur conſcientiæ teſti-
monio, in qvâ homo propriis à cogitationibus ſeu accuſatur, ſeu ab-
ſolvitur, inſcriptam eſſe gentibus non renatis regulam ſeu legem, di-
vinæ illæ Scripturæ congruentem, ſecundùm qvam illæ naturaliter
de ſeipſis judicium faciunt.)

Secundò jam de Judæis tractat, converſô ad ipſos per Apoſtro-
phen ſermone. Eorum primò exponit excellentiam, qvâ Græcos ſeu
gentiles antecedunt, multiplicem. Concedit enim, qvæ ipſi jacti-
tant, titulum, doctrinæ principia ſolidioris, agnitionem DEI veri,
qvis ſit, & qvid velit homines facere, magiſterium deniqve aliorum:
ſed exprobrat eis viciſſim indigniſſimum eorum donorum abuſum,
eosq́; & inſcitiâ affectatâ, & moribus pravis legem polluere oſtendit,
recenſens, qvæ adverſus ſecundam & primam legis tabulam commit-
tunt, eaqvè teſtimonio proprii eorum Prophetæ confirmans.
Si autem tu (Vulgatus legit εἰ δὲ. Emendatiora exemplaria ha- 17
bent ἴδε, Ecce,) ***tu Judæus cognominaris, & reqvieſcis in***
lege, (ipsô DEI digitô ſcriptâ, & verbô ejus universô cœlitùs revela-
tô niteris tanqvam fundamentô immobili) ***& gloriaris in Deo***
(tot miraculis & beneficiis majoribus tuis cognito. Et rectè qvidem.)
Et noſti voluntatem (ejus ex Moſe, Pſalmis & Prophetis,) ***&*** 18
probas utiliora (τὰ διαφέροντα, excellentia, Phil. 1, 10. qvibus
differt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

differt & antecellit Judaiſmus gentiliſmum) *inſtructus per le-*
gem, (κατηχούμενος ἐκ τοῦ νόμου, è lege patriâ à teneris imbutus
ejusmodi inſtitutione, qvam vivâ voce reddere poſsis, 2. Timoth. 3, 15.
19 Matth. 21, 15. 16. Pſal. 78, 4. 5.) *Confidis te ipſum eſſe ducem cœ-*
corum, lumen eorum, qvi in tenebris ſunt, (gentium,
DEUM verum ignorantium, Pſalm. 76, 2. & 147, 19. 20. Eſa. 60, 1. 2. 3.)
20 *eruditorem inſipientium, Magiſtrum infantium, ha-*
bentem formam ſcientiæ & veritatis in lege (infallibi-
lem.) Hactenus conceſsit ſua Judæis privilegia; jam oſtendit eorum
pravilegia.

21 *Qvi ergò alium doces, teipſum non doces? qvi*
prædicas non furandum, furaris, (qvotidianas exercendo
uſuras & expilando proximos,) *qvi dicis non mœchandum*,
mœcharis, (projectisſimus ad libidinem, haudqvaqvam unâ
uxore es contentus, licitamq; polygamiam ſomnias, Matth. 19, 3. &c.)
22 *qvi abominaris idola, ſacrilegium facis*, (templum DEI in
ſpeluncam latronum commutas, ſacrificia DEO deſtinata ab unô
vendis alteri, ſiclos ſacros communi pecunia, qvæſtuoſa tibi colly-
biſtica, permutas, Luc. 19. Johan. 2. Matth. 21. Malach. 1. 2. 3.)
23 *Qvi in lege gloriaris, per prævaricationem legis*
24 *DEUM inhonoras. Nomen enim per vos blaſphema-*
tur inter gentes, ſicut ſcriptum eſt. (Eſa. 52, 5. Ezech. 36, 20. 22.
Legatur Tacitus Hiſtoriarum lib. 5. Cicero pro Flacco, aliisq; genti-
lium, nomen DEI ob Judæorum vitia blasphemantes.)

Confutare jam aggreditur duas objectiones, qvas Judæi adverſum hanc Pauli accuſationem movere asſveverant.

Prima eſt à circumciſionis privilegiô, & virtute ſpeciali ducta.

Altera ab abſurdô, qvod, ſtante Pauli dogmate de omnium hominum corruptione & miſeriâ, ſeqvatur, nullam eſſe circumciſionis utilitatem, nullam Judæorum præ gentibus eminentiam.

Priorem objectionem tacitè occupat Apoſtolus, qvæ integrè pro-

propoſita ſic ſonabit: Circumciſio non ſinit hominem damnari. Judæis adeſt circumciſio. Ergò non damnatio.

Refutat Apoſtolus, negando primùm propoſitionem; hoc eſt, negando ineſſe illam circumciſioni virtutem, niſi ſi qvis totam legem impleat. Loqvitur ſcilicet ex Judæorum hypotheſi, qvi circumciſionem non ut ſacramentum gratiæ, ſed ut legis præceptum aliqvod ſervabant. Negationem illam probat, comparando Judæum peccatorem cum Ethnico frugi & juſto: ex qvâ collatione patet, circumciſionem ex ſe non prodeſſe, ſed tantùm juſto, tàm mente qvàm corpore circumciſo; cùm certum ſit, juſtum utut carne præputiatum præſtare Judæo vel decies circumciſo. Verba contextûs ſunt: *Nam* 25
circumciſio qvidem prodeſt, ſi legem obſerves: ſi autem prævaricator legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt. (Non amplius pro circumciſô, ſed pro incircumciſô te habet DEUS, Levit. 26,41. Deut. 10,16. & 30,6. Jerem. 4,4. & 6,10. & 9,25.26. Act. 7,51. Phil. 3,2.3.) *Si igitur præputium legis juſti-* 26
tias (τὰ δικαιώματα, jura) *cuſtodiat, nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur?* (Si qvis præputiatus legem impleat, nonne circumciſi locô habebitur?) *Et judicabit id,* 27
qvod ex naturâ eſt præputium, legem conſummans, te qvi per literam & circumciſionē prævaricator legis es. (διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς. διὰ pro ἐν σὺν; ut ſit ſenſus, te literâ & circumciſione inſtructum, ſeu cum literâ & circumciſione repertum. (Sic 2. Corinth. 5,7.) Judicabit te, ſicut Ninevitæ Judæos, Matth. 12,41.)

Secundò reſpondet, diſtingvendo inter verum Judaiſmum & falſum, item, inter externam circumciſionem ſeu literalem, & internam ſeu ſpiritualem, ſive, qvod idem eſt, inter circumciſionem humanam & divinam. Prodeſſe igitur, ait, circumciſionem externam, ſi conjungatur interna. Si interna abſit, nihil valere externam. *Non enim, qvi in manifeſto, Judæus eſt, neqve qvæ in* 28
manifeſto in carne, circumciſio eſt: ſed qvi in abſcon- 29

 ditô

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ditô (cordis) *Judæus eſt, & circumciſio cordis in ſpiritu, non literâ. Cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt,* (non externam faciem aut figuram, ſed intima animi humani adſpiciente, 1.Sam.16,7.) Chryſoſt. in h.l. ταῦτα εἰπὼν ἐξέβαλε τὰ σωματικὰ ἅπαντα· καὶ γὰρ ἡ περιτομὴ ἐν τῷ φανερῷ, καὶ τὰ σάββατα, καὶ αἱ θυσίαι, καὶ οἱ καθαρισμοὶ ἅπερ ἅπαντα δι' ἑνὸς ᾐνίξατο ῥήματος, εἰπών: οὐ γὰρ ἐν τῷ φανερῷ Ἰουδαῖός ἐστιν. ἀλλ' ἐπειδὴ τῆς περιτομῆς πολὺς ἦν ὁ λόγος ὅπουγε καὶ τὸ σάββατον αὐτῇ παραχωρεῖ, εἰκότως τὰ πλείονα πρὸς αὐτὴν ἀποτείνεται. i.e. Hæc dicens, univerſa ſimul corporalia excluſit. Nam & circumciſio in manifeſtô eſt, & ſabbata & ſacrificia & purgationes. Qvæ omnia unius velut verbi ænigmate ſubindicavit, cùm inqvit: Non is qvi in manifeſtô Judæus eſt. Sed qvoniam circumciſionis ſumma erat æſtimatio, qvippe cui & ſabbatum cedebat, plura illa meritò ad ipſam extenduntur.

CAPUT TERTIUM.

HOc capite perſeqvitur confutationem exceptionum Judaicarum, qvibus declinari videbatur eluiq; communis πανολεθρίας crimen, Judæis perinde ac gentibus adſperſum. Tùm ad alteram probationum claſſem, qvibus hominem fide Evangelii juſtificari docetur, procedit. Itaq; altera Judæorum objectio qvaſi ab abſurdô petita eſt. Videtur enim ex Apoſtoli aſſertione emergere hoc πόρισμα, Judæis intolerandum, qvòd nulla circumciſionis utilitas, nulla Judæorum præſentibus eminentia ſit. Ea enim interrogationis iſtius prolepticæ vis eſt, qvam movet;
1 *Qvid ergò ampliùs Judæo eſt, aut qvæ utilitas circumciſionis?* puta, ſi nihil plus Judæo, qvàm Ethnico juſtitiæ eſt coram DEO, nulla Judaiſmi aut circumciſionis ſupererit prærogativa. Id qvod abſurdum. Reſpondet dupliciter Paulus. Primum concedit, habere Judæos, in qvô gentes antecellant. Deinde negat illud eſſe, qvod ipſi putent, nempè juſtitiam & ſanctitatem ex lege.

Qvo excellant, id ait eſſe depoſitum eloqviorum DEI, qvæ Ju-
2 dæorum genti præ aliis nationibus ſint concredita. *Multum* (inqvit) *ampliùs eſt Judæo, qvàm Ethnico. Primum*

(qvi-

(qvidem,) *qvod credita ſunt illis eloqvia DEI.* (Hoc, vult
dicere, præcipuum eſt, qvò Judæus Græcum antecedit, atteſtante
Moſe Deut.4,32.34. Davide Pſalm.147,19.20. infrà cap.9,3. Ac ne qvis
objiciat, id vile nimis ac modicum eſſe, qvod multi ſermonibus Dei
fidem derogârunt, reſpondet, perfidiam hominum nihil detrahere
excellentiæ verborum Dei. *Qvid enim, ſi qvidam* (illorum, 3
πλεονάζει) *non crediderunt? Nunqvid incredulitas illo-*
rum fidem DEI evacuabit? Abſit. Eſto autem DEUS 4
verax, omnis autem homo mendax, (Pſalm. 116, 11.) *ſicut*
ſcriptum eſt, ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vin-
cas, cùm judicaris. (Pſal.51,6.) Reſponſionem hanc vindicat ite-
rum ab abſurdô, qvod ex eâ nonnulli deducere conabantur, ajentes:
Si fides Dei eniteſcit ex hominum perfidiâ, ergò DEUS injuſtè iraſci-
tur hominum iniqvitati, imò facienda erunt mala, ut tantum inde
proveniat boni. Qvam conſeqventiam ſat habet, tanqvam mani-
feſtè blaſphemam, rejeciſſe.

Si autem (ait) *noſtra iniqvitas juſtitiam DEI com-* 5
mendat, qvid dicemus? Numqvid iniqvus eſt DEUS,
qvi infert iram? ſecundùm hominem dico, (i.e. hominum
more argumentor.) *Abſit: Alioqvin qvomodo judicabit* 6
DEUS mundum. (Si iniqvus foret DEUS, nec juſtas ſatis ira-
ſcendi haberet cauſas, qvomodo mundum judicaret?) *Si enim* 7
(ait homo in Deum injurius) *veritas Deo meo mendacia ab-*
undavit, in gloriam ipſius, qvid adhuc & ego tanqvam
peccator judicor? Et non, ſicut blaſphemamur, & ſicut 8
ajunt qvidam nos dicere, faciamus mala, ut veniant
bona? qvorum damnatio juſta eſt, (ſcientium, qvàm lucu-
lentam nobis, ipſiq; adeò DEO injuriam faciant. Neqve enim qvic-
qvam facit ad illorum excuſationem, ſi DEUS bonus ipſorum mali-
tiâ ad ſuam gloriam utitur.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Jam redit ad objectionem primariam, & negat ullam eſſe excellentiam juſtitiæ, qvam è circumciſione, carnali ortu, & converſatione legali, Judæi ſibi ſomniabant. Et qvidem falſam nullamq; eſſe iſtam prærogativam, demonſtrat primùm è probatione prægreſsâ, qvâ Judæos Græcosq; pariter peccati reos eſſe evicit. Deinde ex dilucidis Prophetarum & Pſalmorum teſtimoniis, confirmantibus tùm univerſalem omnium hominum iniqvitatem, mentisq; ac voluntatis eorum corruptelam, qvam omnium virium membrorumq; depravatio conſeqvitur; tùm pacis omnis ac ſalutis defectum.

9 *Qvid ergò? Præcellimus? Neqvaqvam. Præcauſati*
enim ſumus (προῃτιασάμεθα, cauſas ante attulimus) *Judæos*
& Græcos omnes ſub peccatô eſſe. (Firma ſtat probatio cap.
1. & 2. adducta, de omnium Judæorum ac Græcorum iniqvitate.)
10 *Sicut ſcriptum eſt, qvia non eſt juſtus qvisqvam,*
11 (Pſalm. 14, 3. & 53, 3. 4. &c.) *non eſt intelligens* (mente,) *non eſt*
12 *reqvirens DEUM* (voluntate.) *Omnes declinaverunt,*
ſimul inutiles facti ſunt, (fœtuerunt, ineptiq; evaſerunt ad
omne bonum,) *non eſt qvi faciat bonum, non eſt usqve*
ad unum. Idipſum teſtatur Scriptura ſingulatim de præcipuis hominum
membris ac viribus, gutture, lingvâ, labiis, ore, pedibus, ocu-
13 lis. *Sepulchrum* (inqvit Pſal. 5, 10.) *patens guttur eorum, lin-*
gvis ſuis dolosè agebant, (Pſal. 141, 3.) *venenum aſpidum*
ſub labiis eorum. (Ex gutture nil niſi fœtor morticinus, & qvo
alii qvoqve enecentur. Lingvæ dolorum concinnatrices, labia
ad inſtar aſpidum venenata, qvibus alii punguntur lethaliter.)
14 *Qvorum os maledictione* (in DEUM,) *& amaritudine*
(in proximum) *plenum eſt.* (Pſal. 10, 7.) *Veloces pedes eorum*
15 *ad effundendum ſangvinem.* (Eſai. 59, 7.) *Contritio & in-*
16 *felicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt.*
17 *Non eſt timor DEI ante oculos eorum.* (Pſal. 36, 1.)
18

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Ex hiſce jam diſputatis infer concluſionem, qvâ primùm Ju-
dæos, nihil obſtantibus, qvæ jactant, privilegiis, damnari ; deinde
totum mundum nexu inexcuſabilium iniqvitatum illigari decernit.
Scimus autem, qvoniam qvæcunqve lex loqvitur, iis 19
qvi in lege ſunt, loqvitur, (qvales inprimis Judæi, lege devin-
cti,) *ut omne os obſtruatur, & ſubditus* (ὑπόδικος, obno-
xius criminis, reus) *fiat omnis mundus DEO*, (nemini vel uno
excepto.) Rationem ſubdit brevem, ſed invictam formandæ huic
concluſioni petitam ex officiô legis propriô, qvod eſt oſtendere pec-
catum, non pronunciare qvenqvam juſtum. *Qvia*, inqvit, *ex* 20
operibus legis non juſtificabitur omnis (ulla) *caro coram
ipſo. Per legem enim agnitio peccati.*

CONFIRMATIONIS ARGUMENTATIO POSTERIOR DE MODO JUSTIFICATIONIS NOSTRÆ CORAM DEO.

HUcusqve, prout ipſa etiam concluſio loqvitur, prolatum dedit
Paulus, univerſum planè mundum ex lege ſcripta & innata pec-
cati convinci, ac proinde ex ſeipsô neminem juſtificari poſſe : Nunc
ad alteram argumentorum claſſem pergit, qvâ diximus ex modô for-
mâq; juſtificationis adſtrui, qvàm verum ſit, revelari in Evangeliô
juſtitiam DEI ad ſalutem omni credenti.

Hujus tractatûs partes ſunt, Propoſitio, Explicatio, Confirma-
tio, & Peroratio.

Propoſitione repetitur idipſum, qvod cap.1,16.17. dixerat, revelari
in Evangeliô juſtitiam DEI ex fide in fidem. Sicut enim ira DEI cœli-
tùs patefit per legem, peccata arguentem, ut verſu antecedente &
cap.4,15. ait Paulus; ſic juſtitia ſalutifera innoteſcit per Evangelium,
qvemadmodum ſcribit his verbis : *Nunc autem ſine lege* 21
(peccatorum indice) *juſtitia DEI*, (hominibus qvæ imputatur)
manifeſtata eſt, (per Evangelium, ſupra cap. 1, 18.) *teſtificata
à lege* (Pentateucho Moſis, qvæ lex indigitatur paſſim, tametſi qvo-
qve plurimum de Chriſtô teſtimonii ferat, Matth. 5, 17. & 11, 13, &
22,40. Luc.16,16. & 24,44. Joh.1,46. Act. 13,15. & 28,23. 1.Corinth.9,9.

Gal.4,21.) *& Prophetis* (propheticis ſcriptis. Omnes enim Prophetæ Chriſto teſtimonium perhibent, Act. 10,43.)

Explicatio propoſitionis hujus rationem modumq; juſtificandi tradit, initio qvidem brevius verſ.22.23. mox verò fuſius verſ.23. &c. Exponit autem primùm cauſas efficientes, qvæ ſunt DEUS juſtus & miſericors, ſeu DEUS ſecundùm juſtitiam gratiamq; ſuam expenſus. Tùm Chriſtus JEſus Redemptor, tanqvam cauſa meritoria, verſ. 24.25. Tùm fides tanqvam cauſa organica, verſ.22,25. Secundò ſubjectum juſtificationis, qvi ſunt omnes credentes absqve diſtinctione, non alii. Ratio additur ex antecedente, qvia omnes peccaverunt, & deſtituuntur gloriâ DEI, verſ.22.23. unde eos omnes ac ſingulos reſtitutione indigere colligitur. Tertiò tradit formam ipſam, qvæ eſt juſtitia DEI fidei imputata, vel juſtificatio gratuita è gratiâ DEI, per redemptionem Chriſti, qvi fide intuendus tanqvam propitiatorium, à DEO propoſitum, in & per ſangvinem ſuum, verſ.22. 23.25. Item, condonatio præcedentium peccatorum, per tolerantiam DEI. Ibidem. Qvartò finem indicat eſſe juſtitiæ divinæ demonſtrationem, ut nempe DEUS appareat juſtus, neminem juſtificans absq; interveniente lytrô expiatoriô, & ſangvinis Chriſti fide.

Verba Apoſtoli hæc ſunt: *Revelatur* autem *ſine lege ju-*
22 *ſtitia DEI per fidem JEſu Chriſti, in omnes & ſuper*
omnes qvi credunt. Non enim eſt differentia. Omnes
23 *enim peccaverunt, & egent gloriâ DEI,* (non habentes à ſe
qvicqvam gloriæ, ſed divinæ gloriæ egeni, ut patuit è disputatione
præcedenti.) *Juſtificati gratis* (ſine ullô ſuô meritô) *per gra-*
24 *tiam ipſius, per redemptionem qvæ eſt in Chriſto JEſu,*
(qvam ipſe ſolus præſtitit, & nemo præter ipſum, planè ſatisfaciens pro univerſi mundi peccatis, 1. Johan. 2,2. 1. Timoth. 2,4.5.)
25 *Qvem propoſuit DEUS propitiationem* (ἱλαστήριον, propitiatorium, gratiæ thronum) *per fidem in ſangvine ipſius.*
(Nam ſicut olim DEUS in propitiatoriô manufactô habitabat, ſeq; propitium declarabat populo eò reſpicienti, fidemq; oblationibus

viſtimarum teſtificanti, Exod.25,20.22. & 30,6. Levit. 16,2.13. Num. 7,
89. ſic verum & ſpirituale propitiatorium propoſuit omnibus ipſum
Chriſtum, in qvo clemens & gratioſus appareat omnibus in ſan-
gvineô ejus ſacrificiô fidem locantibus, Hebr. 4, 16. & 10, 22.)
*Ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remisſionem præ-
cedentium deliſtorum.* (Demonſtrandæ enim juſtitiæ propo-
ſuit propitiatorium in ſangvine Filii, qvandoqvidem per eum præce-
dentia deliſta, omnium etiam patrum, remittuntur.) *in ſuſtenta-* 26
tione (ἀνοχῇ, tolerantia) *DEI,* (tolerantis peccatores & peccato-
rum expiationem opperientis) *ad oſtenſionem juſtitiæ in hôc
tempore,* (qvô ipſum ſacrificium expiatorium oblatum eſt) *ut ſit
ipſe juſtus,* (non relinqvens peccata inulta, ſed in Chriſtô ea pu-
niens, ut nobis pax conficiatur, Eſai. 53,5. Pſal. 69,5.10.) *& juſtifi-
cans eum, qvi eſt ex fide JEſu.* (nec operibus ſuis nititur, ſed
Chriſti obedientiam ſuam reputat.)

Jam ſeqvitur Confirmatio hujusmodi juſtificationis, qvam qva-
tuor argumentis primariis expedit Apoſtolus.

Primum ducit à propriô veræ juſtificationis conſeſtario, qvod
eſt excluſio gloriationis. Ea enim demum vera juſtificationis via eſt,
per qvam omnis gloriatio hominis excluditur. At excluditur per ju-
ſtificationem fidei, non per juſtitiam operum. Si enim homo ex lege
operum juſtificaretur, haberet in ſe & de ſe non parum gloriari. Itaq;
fidei juſtificatio vera, operum falſa eſt.

Aſſumptum exprimitur oratione interrogatoriâ & dialogiſticâ:
Ubi eſt ergò gloriatio? inqvit. *Excluſa eſt. Per qvam le-* 27
gem? factorum? Non, ſed per legem, i. e. doſtrinam *fidei.*
(1.Cor.1,29.31. Epheſ.2,9. Phil.3,3. Rom.10,17.) *Arbitramur enim* 28
(verte: Statuimus ergò, λογιζόμεθα οὖν, ratiocinamur igitur.)
juſtificari hominem per fidem, ſine operibus legis.
(Fidei enim juſtificatio omnem gloriam DEO in ſolidum adſcribit,
operum juſtificatio homini gloriationem relinqvit, qvalis tamen
nulla valere poteſt, aut debet in oculis & vultu DEI. Itaqve ſine ope-
ribus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ribus juxta legem factis, fide ſolâ hominem juſtificari decernimus, ut qvi gloriatur, tantùm in DEO glorietur.) Chryſoſtomus in hunc locum: οὐκ εἶπεν Ἰουδαῖον, ἢ τὸν ὑπὸ τὸν νόμον ὄντα, ἀλλ᾽ ἐξαγαγὼν τὸν λόγον εἰς εὐροχωρίαν, καὶ τῇ οἰκουμένῃ τὰς θύρας ἀνοίξας τῆς σωτηρίας, φησὶν ἄνθρωπον, τὸ κοινὸν τῆς φύσεως ὄνομα θείς. Εἰ γὰρ πάντων ἐστὶ θεὸς, καὶ προνοεῖται πάντων. Εἰ δὲ προνοεῖται πάντων, πάντας ὁμοίως σώζει διὰ τῆς πίστεως. Hoc eſt: Non dixit Judæum, aut eum qvi ſub lege esſet, ſed orationem in campum latiorem educens, ac ſalutis valvas univerſo terrarum orbi pandens, ait hominem, commune naturæ nomen adhibens. Si enim omnium DEUS eſt, & omnibus certè conſulit: ſi autem omnibus conſulit, omnes per fidem æqvè ſervat.

Alterum argumentum ducit ab abſurdô è contrariâ ſententiâ emergente. Si enim homo ex legis operibus juſtificaretur, non ex fide, eſſet DEUS tantùm Judæorum DEUS, qvi ſoli legem habuerunt, non gentium. At conſeqvens eſt abſurdum. Ergò antecedens. Aſ-
29 ſumptum interrogatione declarat, dicendo: *An Judæorum DEUS tantùm? nónne & gentium? imò & gentium.* (Nam & illis benedictio in ſemine Abrahæ promittitur, & Chriſtus earum lux, deſiderium, exſpectatio, gaudium, ſalus in Scripturis appellatur.) Aſſerit ab unitate DEI, & uniformitate viarum ejus. Eandem enim ſalutis viam gentibus, qvam Judæis dedicavit.
30 *Qvoniam unus eſt DEUS, qvi juſtificabit circumciſionem,* id eſt, circumciſos *ex fide, & præputium,* id eſt, præputiatos *ex fide.* (Qvicunqve crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: Qvicunqve non crediderit, condemnabitur, Marc. 16, 16.)

Huic argumento cùm reponi poſſet, naſci inde hoc abſurdi, qvòd Lex ab ipsô DEÔ lata per fidem deſtruatur, ſi Judæis nulla in lege juſtitia ſit repoſita: Subdit ἀνθυποφορὰν, & negat conſeqvens, imò invertit, aſſeverans legem hâc viâ non tantùm non deſtrui, ſed
31 etiam ſtabiliri. *Legem ergò,* inqvit, *deſtruimus per fidem?* (ajentes nec Judæos, nec carnem ex lege juſtificari?) *Abſit, ſed legem ſtatuimus,* (ſtabilimus, impletionem ejus urgentes, qvodlibet

libet ejus jota ratum pronunciantes, hominem ſolummodò implendæ illi imparem demonſtrantes. Infrà cap. 6.7. Matth. 5, 17.18.)

CAPUT QVARTUM.

TErtium argumentum, qvô probat D. Paulus, juſtificari hominem non ex ſuis operibus, ſed ex fide JEſu Chriſti, hoc capite pertractatur. Cujus generalis ſyllogiſmus hic eſt: Sicut Abraham eſt juſtificatus, ſic etiam omnes filii ejus, Judæi & Græci. (Ratio connexionis eſt, qvia pater eſt omnium credentium, tàm è præputiò, qvàm è circumciſione, verſ. 11.12.16.17. Et ſcriptum eſt, qvomodo juſtificatus ſit, non propter ipſum ſolum, ſed propter nos omnes, verſ. 23.) Aſſumtio: At Abraham non ex operibus, ſed ex fide juſtificatus eſt. Ergò ſic oportet omnes ejus filios, Judæos juxta ac Græcos, juſtificari.

Tractatio hujus argumenti tribus conſtat membris: Exordiô, Argumentatione & Concluſione.

Exordium ſeu propoſitio interrogando effertur: *Qvid dicemus inveniſſe Abrahamum patrem noſtrum ſecundùm carnem?* i. e. Qvid dicemus, Abrahamum noſtrum ſecundùm carnem patrem inveniſſe juſtitiæ, aut (ut alii malunt conſtruere, inter qvos & Syrus interpres) inveniſſe ſecundùm carnem, puta ſecundùm ſe ſuasq; vires conſideratum, extra reſpectum gratuitæ miſericordiæ DEI? q.d. Abraham nihil juſtitiæ aut gloriationis invenit in ſeipsô, tanqvam in carne, qvod proferret in conſpectum DEI. Nam ſi homo in ſeipsô gloriatur, in carne gloriatur.

Argumentatio ipſa bipartita eſt. Primum enim adſtruit Apoſtolus, Abrahamum non eſſe juſtificatum ex operibus ſuis, ſed ex fide, id qvod erat aſſumptum ſyllogiſmi antè propoſiti. Deinde firmat majorem, nimirum ſic juſtificandos eſſe Judæos & Græcos, qvemadmodum Abraham juſtificatus eſt.

Aſſumtum confirmat qvatuor argumentis.

Primum capit ex abſurdô aſſertionis contrariæ. Si enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriationem, ſed inanem, qvæ nihil eſt apud DEUM. At hoc abſurdum eſt ſtatuere de Abrahamô, qvòd omni verâ gloriatione caruerit, qvæ eſt in ipſo DEO.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Ergò Abraham non ex operibus juſtificatus eſt. Alii ſic concludunt, tanqvam Ellipſis ſit in verbis Apoſtoli: Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriationem apud DEUM in operibus. Sed non habet gloriationem apud DEUM in operibus. Ergò ex iis non eſt juſtificatus.

Prius argumentum multò planius elicitur è verbis Apoſtoli,
2 qvæ ſic habent: *Si enim Abraham ex operibus juſtificatus*
eſt, habet gloriationem, ſed non apud DEUM. (At conſeqvens eſt abſurdum. Ergò antecedens.)

3 Alterum petitur à teſtimoniô Scripturæ Moſaicæ. *Qvid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham DEO, & imputatum illi ad juſtitiam.* (Geneſ.15,6. Id de Abrahamo dicitur, qvando jam multos annos DEO ſervierat.)

Tertium à definitione imputationis fidei, per antitheſin imputationis operum, hôc modô informatur: Cui tanqvam operanti imputatur merces, ei ex debitô, non ex gratiâ imputatur. At Abrahamo non tanqvam operanti, ſed tanqvam credenti imputata eſt, non merces, ſed juſtitia. Ergò ex gratiâ ei, non ex debitô imputata eſt. Et vice verſâ: Cui tanqvam credenti ex gratiâ imputatur juſtitia, is non ex operibus juſtificatur. Ratio eſt, qvia operanti non ex gratiâ, ſed ſecundùm debitum imputaretur. Subſumo: Abrahamo tanqvam credenti imputata eſt juſtitia. Ergò non ex operibus juſtificatus eſt.

Verba contextûs Apoſtolici ſunt lucida ſatis, ut vel ſola doceant,
4 ceant, qvomodo juſtificetur homo in conſpectu DEI. *Ei autem,*
qvi operatur, merces non imputatur ſecundùm gra-
5 *tiam, ſed ſecundùm debitum. Ei verò, qvi non operatur, credenti autem in eum, qvi juſtificat* (juſtum pronunciat) *impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam.* (Fides accipiens & amplectens Chriſti juſtitiam, imputatur illi per ſe injuſto pro juſtitiâ, ut ita injuſtus juſtificetur aliena juſtitia, qvi ſecundùm debitum operis ſui condemnandus eſſet in ſuâ injuſtitiâ.)

Qvartum ſumitur è teſtimoniô Davidis, qvi nullorum factâ mentione operum, hominem gratuitâ peccatorum remiſſione juſti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ficari aſſerit. *Sicut & David dicit beatitudinem hominis* 6
(illius eſſe,) *cui DEUS acceptam fert* (λογίζεται, imputat.)
juſtitiam ſine operibus, (non ſuam operum, ſed DEI juſtitiam
ex fide.) *Beati qvorum remiſſæ ſunt iniqvitates, & qvo-* 7
rum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputabit 8
Dominus peccatum. (Pſal.32,1.2. Ergò beatitudo hominis conſiſtit in peccati condonatione, obtectione, non-imputatione iniqvitatis, divinæq; juſtitiæ Chriſti imputatione.) Hactenus Confirmatio aſſumpti: ſuccedit Majoris comprobatio.

Porrò Propoſitionem Majorem, qvæ eſt, ſic juſtificandos eſſe Judæos & gentes, qvemadmodum juſtificatus fuit Abrahamus, comprobat duplici argumento; qvorum alterum ſumit à tempore illius juſtificationis, alterum à naturâ & conditione promiſſionis, Abrahamo & ſemini ejus datæ.

Nam ex tempore colligit, juſtificatum eſſe Abrahamum ante circumciſionem, poſteà verò illam ſignaculi inſtar eſſe additam juſtitiæ fidei, qvam præputiatus obtinuerat. Unde conficitur, eum rectè patrem credentium, tàm circumciſorum, qvàm præputiatorum appellari, ac proinde ad eundem modum juſtificari filios, qvô pater juſtificatus eſt. Argumentatio hæc illuſtratur interrogatione & reſponſione. Ait enim: *Beatitudo ergò hæc in circumciſione* 9
tantùm, an etiam in præputio? (ἐπὶ τὴν περιτομὴν, ἢ καὶ ἐπὶ
τὴν ἀκροβυστίαν, num ad circumciſionem, an etiam ad præputium
pertinet?) *Dicimus enim, qvia reputata eſt Abrahæ fi-*
des ad juſtitiam. Qvomodo ergò reputata eſt? In cir- 10
cumciſione (ὄντι exiſtenti,) *an in præputiô? Non in circum-*
ciſione, ſed in præputiô. (Nam qvatuordecim ut minimum
annis ante circumciſionem, juſtum pronunciat Scriptura Abraha-
mum, Gen.15,6. & 16,16. & 17,24.) *Et ſignum accepit circum-* 11
ciſionis (Geneſ.17,11.) *ſignaculum juſtitiæ fidei, qvæ* (eſt,
erat potiùs) *in præputiô: ut ſit pater omnium credentium*

12 *per præputium, ut reputetur & illis ad juſtitiam. Et ſit
pater circumciſionis, non iis tantùm, qvi ſunt ex cir-
cumciſione, ſed & iis, qvi ſectantur veſtigia fidei, qvæ
eſt in præputiò patris noſtri Abrahæ.*

Deinde ex naturâ promiſſionis patet, cui fidem habuit Abra-
ham, qvòd in exemplum ire debeat ipſius juſtificatio, tàm gentibus,
qvàm Judæis. Nam promiſſio iſta non pependit ex lege, ſed ex verâ
DEI gratiâ, qvæ æqvalis & certa eſt omni ſemini, tàm circumciſo,
qvàm præputiato. Eſto enthymema: Promiſſio facta Abrahæ non
pendet ex lege, ſed è gratiâ promittentis. Ergò per fidem illius, tàm
Ethnici, qvàm Judæi, juſti ac hæredes cenſebuntur, atqve eôdem
cum Abrahamô jure erunt.

13 *Non enim per legem promisſio Abrahæ aut ſemi-
ni ejus, ut hæres esſet mundi, ſed per juſtitiam fidei.*
Probatur primum à conſeqventi abſurditate propoſitionis contradi-
14 ctoriæ. *Si enim ex lege hæredes ſunt, exinanita eſt fides,*
15 *abolita eſt promisſio.* Ratio patet: *Qvia lex iram ope-
ratur,* (qvoniam ab omnibus violatur, ac proinde in omnes iram
DEI provocat. Non igitur ulli qvicqvam boni per eam contingeret
conditionem promiſſum, ſed potiùs ira & maledictio.) *ubi enim
non eſt lex, nec eſt prævaricatio.* (per legem ergò prævarica-
tio intenditur, qvod cognita per eam DEI voluntas contemnitur.
Itaqve iratus DEUS nec conferet inimico ſuo hæreditatem, nec ille
credere poteſt, DEUM ſibi ob legis impletionem eam collaturum,
obedientiæ ſibi ſuæ conſcius.)

Idipſum confirmatur à conſeqventi propoſitionis datæ eo omni
acceptione digniſſimo. Si enim ex gratiâ, fide acceptâ, confertur hæ-
reditas Abrahamo, & ſemini ejus, firma eſt promiſſio omni ſemini,
16 non legali tantùm, ſed & ſpirituali, qvod ex fide eſt. *Propterea,*
ait, *ex fide, ut ſecundùm gratiam, ut firma ſit promisſio
omni ſemini, non ei, qvi* (qvod) *ex lege eſt ſolum, ſed &*

ei,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ei, qvi (qvod) *ex fide eſt Abrahæ.* (Nam utriqve filii, tùm qvi
ſecundùm legem & carnem, tùm qvi ſecundùm fidem & ſpiritum ei
naſcuntur, per unam eandemq; gratiam hæreditate promiſſa poti-
untur.) Approbat hanc fidei firmitudinem, partim dictis Scripturæ
Moſaicæ, verſ.17.18. partim fidei Abrahamicæ deſcriptione. v.19. &c.

Qvi eſt, inqvit, *pater omnium, ſicut ſcriptum eſt,* 17
qvia patrem multarum gentium poſui te (Geneſ. 17, 6.)
ante DEUM, cui credidit, (nam coram hominibus alii ſunt
patres gentium, non Abrahamus, at coram DEO Abrahamus multa-
rum gentium parens eſt,) *qvi vivificat mortuos, & vocat
ea, qvæ non ſunt.* (Hebr.11,12.19. Cui credidit Abraham, ſtatuens
ſe filium ex emortuô corpore procreaturum, eundemq; occiſum, di-
vina potentia recepturum, & ſemen ex eô ad inſtar ſtellarum cœli
habiturum, qvanqvam nil tale exſtabat, aut unqvam exſtiturum vi-
debatur.) *Qvi contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret pa-* 18
*ter multarum gentium, ſecundùm qvod dictum eſt, ſic
erit ſemen tuum.* (Teſtimonium Moſis legitur Geneſ. 15, 5.
& 22, 17.)

Deſcribit fidem Abrahami, removendo, qvæ eam infringere
potuerant, & ponendo, ex qvibus alita ea & confirmata eſt.
Et non infirmatus eſt fide, nec conſideravit corpus 19
*ſuum jam emortuum, qvùm ferè centum esſet anno-
rum, & emortuam vulvam Saræ.* (Geneſ. 18, 11. 12.) *In re-* 20
*promisſione autem DEI non hæſitavit diffidentiâ, ſed
confortatus eſt fide, dans gloriam DEO* (veritatis & po-
tentiæ.) *Plenisſimè ſciens* (& ſtatuens, πληροφορηθεὶς,) *qvia* 21
qvæcunqve promiſit, potens eſt & præſtare. Ideò & re- 22
putatum eſt illi ad juſtitiam. (Niſi enim firmiter credidisſet,
ſed dubitâſſet, nihil juſtitiæ reportâſſet à DEO.)

Concluſio hujus argumentationis ſeqvitur, qvâ applicat Apo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſtolus exemplum Abrahami ad omnes credentes, tùm à fine Scripturæ propriô, tùm à rerum creditarum ſimilitudine aut identitate.
23 *Non eſt enim tantùm ſcriptum propter ipſum, qvia re-*
24 *putatum eſt illi, ſed & propter nos, qvibus reputabitur*
(fides ad juſtitiam) *credentibus in eum, qvi ſuſcitavit JE-*
SUM Dominum noſtrum ex mortuis. (Qvemadmodum
etiam credidit Abraham, DEUM ex emortuô corpore poſſe ſuſcitare
ſemen illud, qvô benedicendæ erant gentes, & ſic filium ſuum vivificare
occiſum, & ipſum Meſſiam, ſuô tempore exhibendum.)
25 *Qvi traditus eſt propter delicta noſtra,* (ut pro iis pœ-
nam lueret,) *& reſurrexit propter juſtificationem no-*
ſtram, (ut ad fidem adductos juſtificaret, ſeu juſtitiâ ſuâ veſtitos
abſolveret, juſtosq; pronunciaret, qvod non potuiſſet, niſi ex morte
revixiſſet.)

CAPUT QVINTUM.

PErgit demonſtrare juſtitiam gratuitam, productô qvartô argumentô, qvod à veræ juſtificationis fructibus ſeu effectis ſumtum eſt, in hanc ſententiam:

Qvam juſtificationem ſeqvitur pax cum DEO, gloriatio in ſpe gloriæ DEI, in ipſis etiam tribulationibus dilectio DEI, ea vera, omniq; acceptione digna eſt. Major ut ſatis nota omittitur. Minor enunciatur qvinqve verſibus primis, & deinceps confirmatur usqve ad verſiculum vigeſimum.

Tractatio itaqve bimembris eſt, Propoſitione conſtans & Confirmatione. Poſteà ſubditur totius ſecundæ argumentationis, qvam à modô & forma juſtificationis duxit, concluſio. verſ. 20.21.

In Propoſitione eloqvitur primum, pacem gigni è juſtificatio-
1 ne fidei, cùm ait: *Juſtificati ergò ex fide pacem habemus*
ad DEUM, per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum:
per qvem etiam habemus acceſſum (ἐσχήκαμεν, habuimus)
2 *in gratiam illam, in qvâ ſtamus.* (Nam ſicut Chriſtus pacem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

cem nobis conciliavit apud DEUM, ſic qvoqve aditum ad cognitionem pacis illius nobis aperuit, datâ fide, & adoptionis Spiritu.) Secundò ſpem, gloriationem, DEI dilectionem, gradatione eleganti provehit è causâ efficiente, qvi eſt Spiritus Sanctus, qvem per juſtitiam fidei conſeqvimur. *Et gloriamur*, inqvit, *in ſpe gloriæ* 3
DEI. Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes qvòd tribulatio patientiam operatur. (Thren.3,27.28. Qvi enim afflictionis expers, non diſcit patientiam.)
Patientia autem probationem. (Patientiâ enim exploramur, 4
probamurq́; ſinceri καὶ εἰλικρινεῖς, ad inſtar auri purgati, 1.Petr.1,7.)
Probatio verò ſpem (uberioris gloriæ. Alioqvi nec absqve ſpe patientia ulla, ſed probatus jam fortius ſperat, & majorem gloriam ſperat.) *Spes autem non confundit, qvia charitas DEI,* 5
(qvâ nos DEUS, DEUMq́; vicisſim nos complectimur,) *diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qvi datus eſt nobis.* (Is enim teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, nos à DEO diligi, ejusq́; amorem vicisſim cordibus in noſtris accendit, qvantumvis nos mundus oderit, 1. Joh.3,24. & 4,13.)

Confirmat hosce fructus edere juſtificationem fidei à causâ efficiente, & comparatione contrarii.

Cauſa efficiens pacis noſtræ eſt dilectio Chriſti & Patris, eaq́; tanta, ut impios nos & inimicos adhuc complexa ſit ardentisſimè. Qvod ſi DEUS impios & inimicos ſibi reconciliare voluit morte Filii ſui, & Chriſtus pro impiis mori ſuſtinuit, qvantò magis reconciliati & juſtificati pacem cum ipsô habebunt, nihilq́; mali timebunt? Illuſtratur antitheſi ſtatus hominum, qvatenus in Chriſtô, & absqve Chriſtô ſunt, verſ. 6.8.9.10. item αὐξήσει, ſeu incremento à pace & tranqvillitate cordis, ad gloriationem in ipſo DEO, verſ. 11. qvin & συγκρίσει minoris, verſ.7. vix enim pro juſto moreretur qvispiam, nedum pro injuſto, eoq́; inimico.

Ut qvid enim (ἔτι γὰρ, etiam enim) *Chriſtus, qvùm* 6
adhuc infirmi esſemus, (ſecundùm carnem viventes) *ſecundùm*

7 *dùm tempus pro impiis mortuus eſt. Vix enim pro in-*
juſtô qvis moritur. Nam pro bono forſitan qvis audeat
mori, (qvemadmodum narrant gentes de Codro, Curtio, & aliis.)
8 *Commendat autem charitatem ſuam DEUS in nobis,*
(εἰς ἡμᾶς, in nos) *qvoniam cùm adhuc peccatores eſſemus,*
9 *Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multò igitur magis*
nunc juſtificati (à peccatis abſoluti purgatiq́;) *in ſangvine*
10 *ipſius, ſalvi erimus ab irâ per ipſum. Si enim cùm ini-*
mici eſſemus, reconciliati ſumus DEO per mortem Filii
ejus, multò magis reconciliati ſalvi erimus in vitâ ejus.
(Qvi à morte reſuſcitatus eſt, nonne ſalvabit facilè, pro qvibus mor-
tem oppetiit ? & nonne ſalvabit jam amicos, qvos ſangvine fusô
11 mercatus eſt inimicos ?) *Non ſolùm autem, ſed & gloriamur*
in DEO per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, per
qvem nunc reconciliationem accepimus. (Tantus enim er-
ga immerentes & inimicos amor, qvid non pacis, qvid non ſpei, qvid
non gloriationis juſtificatis pariat?)

Porrò in comparatione ſic verſatur, ut inobedientiam Adami & fructus ejus, componat cum Chriſti obedientiâ, ejusq́; fructibus, pace, inqvam, ſpe & gloriatione gloriæ per ipſum comparatæ. Si enim Adami, unius hominis, inobedientia peccato potuit & morti involvere, qvicqvid eſt hominum in univerſo mundo, poterit etiam Chriſti, unius hominis obedientia, juſtos & beatos reddere omnes. Et conſeqventer, DEUS non magis iraſcetur hominibus ob peccatum Adami, qvàm propitiabitur ob juſtitiam filii hominis JEſu Chriſti.

Similitudinis hujus πρότασις eſt verſu duodecimô, ſed ἀνανταπόδοτος. Nam anteqvam apodoſin perſpicuam ſubjiciat, probat priùs protaſeos ipſius veritatem, peccatum ſcilicet per unum hominem intrâſſe in mundum; Probat & conſeqventis ſeu apodoſeos certitudinem & præeminentiam. Poſteà demum ſubditur plena ἀπόδοσις, repetitâ etiam προτάσει, & ἐπιμονῇ illuſtratâ, verſ. 18. 19.

Pro-

Propterea ſicut per unum hominem peccatum in 12
hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita
in omnes homines mors pertranſiit, in qvô (ἐφ' ᾧ, Syrus &
Arabs: in eo qvod, ſeu qvandoqvidem. Confer 2. Corinth. 5, 4.)
omnes peccaverunt. (Probat per unum hominem intrâſſe pec-
catum, & ad omnes pertransiſſe, probatq; ex effectu peccati propriô,
qvæ eſt mors. *Usqve ad legem enim peccatum erat in* 13
mundô, (non cæpit primùm latâ lege,) *peccatum autem non*
imputatur (ab eô, cui peccatur, nec reputatur ab eô, à qvo pecca-
tur,) *qvùm lex non eſt.* (Tunc enim invaleſcit peccatum, & à le-
gislatore imputatur valdiùs, qvod ſanctionem voluntatis ſuæ videt
contemptui habitam. Exempli gratiâ: Polygamia qvanqvam pecca-
tum erat, ante Chriſti adventum, tamen ita non fuit ſeu reputata,
ſeu imputata, qvòd lex non adeò perſpicua exſtabat de unâ uxore du-
cenda, ſicuti nunc exſtat. Ita peccatum fuit in mundo, non illud
tantùm, qvod commiſit Adam, ſed multiplex & varium, id qvod te-
ſtatur mors regnans ab Adamo ad Moſen, etiam illis, qvi non pecca-
verant ſicut Adam. Unde igitur illa peccati vis, ut omnes ſint mor-
tui, qvi tamen arborem vetitam non attigerant? Nimirum hinc pa-
tet, peccatum Adami omnes corrupiſſe, per illud in omnes mortem
graſſari, etiam illos, qvi nec fructum arboris guſtârunt, nec legem
Moſis acceperunt.) *Sed regnavit mors ab Adam usqve ad* 14
Moſen, etiam in eos, qvi non peccaverunt in ſimilitu-
dinem prævaricationis Adæ, qvi eſt forma futuri,
(τύπος τοῦ μέλλοντος, typus venturi, alterius ſcilicet Adami, qvi
eſt Chriſtus. Qvemadmodum enim ille, qvotqvot ex ipsô ſunt, etiam-
ſi non veſcentibus fructu ligni, cauſa mortis exſtitit, per manduca-
tionem introductæ: Ita & Chriſtus, qvotqvot ex ipsô ſunt, etiamſi
juſtitiam non operantibus, juſtitiæ autor factus eſt, qvam per lignum
crucis nobis donavit. Propterea ſurſum & deorſum uni inhæreſcit,
& continuè unum in medium producit. Verba ſunt Chryſoſtomi,
pulchrè hæc explicantis Tom. 3. Etonenſi pag. 72.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Porrò conſeqventis certitudinem coarguit oppoſitione qvadruplici, primùm peccati & gratiæ, deinde Adami & JESU Chriſti, tum judicii & gratiæ, & deniqve regni mortis & regni vitæ. Nam profectò ut longè pronior DEUS eſt ad gratiam, qvàm judicium, ad ſalvandum, qvàm damnandum: ita potentior eſſe debet obedientia Chriſti ad vitam omnibus conficiendam, qvàm inobedientia Adami ad mortem. Si tantum ergò potuit unius hominis peccatum, ut omnes peccato obſtringeret, qvantò magis unius JEſu Chriſti juſtitia, ut omnes juſtos conſtituat. Major enim utiqve JEſus Chriſtus, qvàm Adam: Major vis boni, qvàm mali: potentior DEUS, qvàm
15 Satanas. Itaqve ſcribit: *Sed non ſicut delictum, ita & do-
num. Si enim unius delictô multi mortui ſunt, multò
magis gratia DEI, & donum in gratiâ,* (juſtitia ſcilicet,
infrà verſ. 17.) *qvæ eſt unius hominis JEſu Chriſti, in plu-
res abundavit.* (Nonne enim gratia DEI & donum JEſu Chriſti
præpolleret delicto Adami? Si illud tantùm valuit ad mortem, non-
16 ne magis valebit gratia Chriſti ad vitam?) *Et non ſicut per u-
num peccantem, donum.* (Non ſicut per unum Adamum unum
peccatum adſperſum eſt omnibus, ita donum ſoli iſti peccato tol-
lendo obvenit.) *Nam judicium qvidem ex unô* (peccatô) *in
condemnationem* (omnium:) *gratia autem ex multis de-
lictis in juſtificationem* (omnium. Indignum eſt enim ibi con-
ſiſtere gratiam, ubi conſtitit delictum, nec præpollere ad omnium
17 aliorum delictorum expirationem.) *Si enim unius delicto
mors regnavit per unum, multò magis abundantiam
gratiæ, & donationis juſtitiæ* (per gratiam ſeu favorem DEI)
*accipientes, in vitâ regnabunt, per unum, JESUM
Chriſtum.* (DEI enim regnum huic qvantum prævalet regno te-
nebrarum!)

Confirmata igitur ſatis ſuperq; conſeqventia illationis iſtius-
18 modi, ἀπόδοσιν ipſam ſubjungit hiſce verbis: *Igitur ſicut per*

unius

unius delictum in omnes homines in condemnationem:
ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtifica-
tionem vitæ. Sicut per unius hominis inobedientiam 19
peccatores conſtituti ſunt multi, (qvoniam in ipſius lumbis
omnes peccato infecti ſunt,) *ſic per unius obedientiam juſti*
conſtituentur multi, (qvoniam in ipſô omnes legem impleve-
runt. Conſtituentur autem juſti perfectisſimè, in glorioſô illô Domi-
ni noſtri JEſu Chriſti adventu, Gal. 5,5. Eph. 5,27. qvicunq; initium
τῆς ὑποστάσεως ad finem firmum retinent, Hebr. 3,14. Qvin & omnes
in Chriſtô nunc conſtituuntur juſti, στάσιν ſeu ſtatum ſortiti juſto-
rum, qvatenus ipſe omnium peccata expiavit, & pro omnibus legem
implevit.)

Qvarta pars hujus ſecundæ argumentationis (ut ſuprà dictum)
eſt Concluſio. Nam ſicut cap. 3,21. in propoſitione declaravit, ex qvô
doctrinæ genere petenda ſit juſtificationis ratio, ita nunc in epilogo
ſubjungit, cur alterum doctrinæ genus, Lex nimirum ſuperaccesſe-
rit, qvandoqvidem Abrahamum & alios, ante legem & circumciſio-
nem ipſam, fuiſſe juſtificatos aſſeruit. *Lex autem ſubintra-* 20
vit, inqvit, *ut abundaret delictum,* (agnitum & imputatum,
ſcilicet peccatori, voluntatis divinæ conſcio. Suprà verſ. 13. & 4, 15.)

Deinde concludit allatam ſimilitudinem, aſſerens, abundante
peccatô, exuberâſſe tamen gratiam, modô ſcilicet anteà explicatô.
Ubi autem abundavit peccatum, ſuperabundavit gra- 21
tia; Ut, ſicut regnavit peccatum in morte, (mortem cor-
poris atqve animæ omnibus inferendo:) *ſic etiam gratia re-*
gnet per juſtitiam in vitam æternam, per JE-
SUM CHRISTUM Dominum
noſtrum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

CAPUT SEXTUM.

CONFUTATIO EORUM, QVÆ ADVERSUS TRADITAM JUSTIFICATIONIS DOCTRINAM OBJICI POTERANT.

HUcusqve veram juſtitiæ coram DEO adipiſcendæ viam demonſtravit, munivitq; Apoſtolus, asſerens nec patere aliam, niſi qvæ eſt per fidem JEſu Chriſti, neq; aliam Abrahamo, Davidi, omnibusq; aliis ſanctis esſe calcatam. Huic autem doctrinæ qvia varia, eaq; in ſpeciem ardua objici ſolebant, ſive à Judæis, ſive à gentibus, aggreditur nunc porrò confutare iſta capitibus tribus, ſexto, ſeptimo & octavo.

Confutationis hujus partes tres ſunt.

Prima eſt ipſa confutatio argumentorum qvatuor, qvorum primum commemoratur cap.6,1. Alterum cap.6,15. Tertium cap.7,7. Qvartum cap.7,13.

Altera eſt Ἀντικατασκευή, confutatis objectionibus oppoſita argumentatio, ducta à deſcriptione juſtificatorum, cap.8,1. &c.

Tertia eſt concluſio, exponens gloriationem ſpiritualem, ex verâ juſtificationis doctrinâ exorientem, cap.8,31. &c.

Capite igitur ſextô duæ objectiones disſolvuntur, utraqve à ſeqventi abſurdô & impiô ducta.

Prima hæc eſt: Si abundante peccatô abundat gratia, manendum erit in peccato, ut abundet gratia. Conſeqvens eſt abſurdum. Ergò antecedens, ac proinde perperam docuit Paulus, transgresſores Legis abundante Chriſti gratiâ juſtificari.

Negat Paulus conſeqventiam hypotheſeos, & rejicit, adductô argumentô, qvô illationis iſtius abſurditas evincitur. Qvod ducit à proprietate illorum, qvi peccati exuberantiam agnoverunt, & in regnum gratiæ Chriſti transducti ſunt. Illi enim vivificati ſunt DEO, mortuiq; peccato, ac propterea neutiqvam in peccatis perſeverare cupiunt, verſ.2.

Confirmat hoc primum à Baptiſmo, ejusq; fructu & fine propriô, omnibus Chriſtianis notô, verſ.3.4. Poſteà illuſtrat ſimilitudine inſitionis, verſ.5. docens Baptiſmum eſſe tanqvam connaturationem, ut ſic appellem, & confirmationem noſtri cum Chriſto, tàm qvà mortem, qvàm vitam. Utrumqve membrum proponit brevi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ter verſ.5. Prius, qvomodo commoriamur Chriſto, explicat verſ.6.7. qvomodo convivificemur, verſ.8.9.10. Idq́; applicat Romanis verſ.11.

Tertiò ſubjungit exhortationem, ex antecedentibus argumentis exſtructam, & conſeqventiæ objectionis, qvâ dicitur permanendum eſſe in peccatô, planè contrariam. Ex adverſo enim docet Paulus, non permanendum in peccato per Chriſtum deſtructo, nec permittendum ei dominium, verſ.12. Neq; pugnandum pro eo, ſed oppugnandum potiùs, & oſtendendam vitam ſpiritualem, inq́; ea juſtitiam propugnandam, verſ.13.

Qvartò concludit hujus objectionis diſſolutionem, à ſpe victoriæ. Peccatum enim non dominaturum homini, à qvô oppugnatur, qviq́; gratiâ libertatis ſpiritualis pollet, nec rigido Legis impotentis ſubeſt ſervitio, verſ.4.

Hæc eſt primæ objectionis tractatio, cujus nunc verba percurremus. *Qvid ergò dicemus? Permanebimus in peccatô,* 1
ut gratia abundet? (faciemusne malum, ut proveniat bonum? Rom.3,8.) *Abſit. Qvi enim mortui ſumus peccato, qvo-* 2
modo adbuc vivemus in illo? (ſtudiosè enim in peccatis permanere, eſt peccatis vivere, inq́; iis ætatem ducere.) *An ignora-* 3
tis, qvod qvicunqve baptizati ſumus in Chriſto JEſu, (εἰς Χριστὸν, in Chriſtum, in nomine, & in nomen Chriſti JEſu,) *in morte* (εἰς τὸν θάνατον, in mortem) *ipſius baptizati ſumus?* (qvòd ipſe pro nobis mortuus ſit, nosq́; viciſſim ei victuri, 2.Cor.5,15.)
Conſepulti enim (οὖν, igitur) *ſumus cum illo per Baptiſmum* 4
in mortem, (aqvis immerſi vel affuſi, cum ipſo ſepulti ſumus, ad mortis ſimilitudinem,) *ut qvomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris* (in ipsô exertam, qva erat hominis filius, Epheſ.1,19.20.) *ita & nos in novitate vitæ ambulemus,* (per eundem Patrem regeniti in reſurrectione Chriſti, & cum ipsô reſuſcitati è morte peccati, ad vitam juſtitiæ, Epheſ.2,1.2. 1.Petr.1,4.) *Si enim complantati* (σύμφυτοι, connaturati, con- 5

creti, in einander gewachſen/) *facti ſumus ſimilitudine mortis*
6 *ejus, ſimul & reſurrectionis erimus. Hoc ſcientes, qvòd*
vetus noſter homo (ſecundùm qvem corrupti peccato ſumus)
ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ul-
tra non ſerviamus peccato. (Nos, qvatenus peccatores ſu-
mus, commortui ſumus Chriſto, peccata noſtra delenti in ligno, eoq́;
fine, ut ipſum hoc corpus, peccato obſeptum deditumq́;, deſtruatur
indies, nec ſerviamus ampliùs peccato, ſed peccatum ſerviat obno-
xiumq́; ſit dictamini Spiritûs. Corpus vocat, qvod alibi carnem, ex-
teriorem hominem, veterem hominem, non qvòd anima & intelle-
ctus peccato careant, inq́; ſolô corpore illud habitet, ſed qvòd homo
irregenitus ad ea tantùm attendit, qvæ ſenſu corporis asſeqvitur &
percipit, easq́; ſectatur voluptates, qvæ corpus carnemq́; afficiunt.
Qvi proinde rectisſimè caro appellatur, qvia tanqvam mente casſus,
viſibilia conſectatur, inviſibilia negligit. Aliàs in animâ præcipuè
habitare peccatum, teſtatus eſt ſuprà Rom. 7, 21. 22. 28. & 3, 11. 12. Epheſ.
4, 17. 18. Et corpus etiam per animam illuminatam vivificari pariter,
in regeneratione hâc priori, docet hic ipſe locus. Si enim corpus pec-
cati deſtruitur, corpus juſtitiæ inſtauratur, qvemadmodum verſ. 13.
jubet membra præbere arma juſtitiæ. Et inferiùs cap. 12, 1. Corpus tan-
qvam hoſtiam vivam offerre præcipit Domino. Similiter 1. Cor. 6,
15. 16. 19.) *Qvi enim mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato.*
7 (Syrus: אתחרר, liberatus eſt à peccatô, non qvòd nullum habuerit
unqvam, ſed qvòd nullum habeat ampliùs. Argumentum πάσης
ἀποδοχῆς ἄξιον, hoc eſt: Qvi mortuus eſt, juſtificatus, i. e. abſolutus
eſt à peccato, ſcil. à reatu ejus & dominiô ejus. A reatu, qvia ſemel
mortuus, non opus habet iterum mori. A dominiô ejus, qvia in
mortuo corpore ſe exercere neqvit. Omnes baptizati mortui ſunt;
qvippe cum Chriſto crucifixi, mortui & ſepulti. Ergò omnes bapti-
zati, à peccato juſtificati ſunt. Nec prima mors, nec ſecunda poteſta-
tem habet in eos ampliùs. Utramq; Chriſtus unicâ ſuâ morte ſuſtulit,
in qvo ipſi reputantur mortui.) *Si autem mortui ſumus cum*
8 *Chriſto, credimus, qvia ſimul etiam vivemus cum ipſo.*
(Eph.

(Eph.2,5.6. Col.3,5. & 2,11. 2.Tim.2.11.) *Scientes, qvod Chriſtus* 9
reſurgens ex mortuis, jam non moritur: mors illi ultra
non dominatur. (Hebr.9,27.28.) *Qvod enim mortuus eſt,* 10
peccato mortuus eſt ſemel: qvod autem vivit, vivit
DEO. Ita & vos exiſtimate nos mortuos qvidem eſſe 11
peccato (ſemel in Chriſto, cui per Baptiſmum eſtis inſiti, & ſic con-
creti, ut à peccati reatu juxta ac dominio liberi,) *viventes au-*
tem DEO in Chriſto JEſu Domino noſtro.

Hinc deducit exhortationem: *Non ergò regnet pecca-* 12
tum in mortali corpore veſtro, (carnis pravitas non regnet in
vobis,) *ut obediatis ei in concupiſcentiis ejus.* (Peccatum il-
lud ab Adamo in omnes transiens, qvod originale ſolet appellari,
tentat & allicit hominem, & cupiditates in ipsô procreat varias, qvæ
ſi concipiant per delectationem & asſenſum, pariter peccatum mor-
tale, i.e. mortem generans, teſte Jacobô cap.1,14.15. Qvare ei neqva-
qvam obediendum, ſed reſiſtendum ſpiritu, ut DEI, non carnis, non
peccati, non Satanæ voluntatem faciamus.) *Neqve exhibeatis* 13
membra veſtra, (lingvam, pedes, manus, oculos & cætera.)
arma iniqvitatis peccato, ſed exhibete vos DEO, tan-
qvam ex mortuis viventes, & membra veſtra, arma
(inſtrumenta, eaq; pugnare idonea) *juſtitiæ DEO. Peccatum* 14
enim vobis non dominabitur, (ut dominatur merè carnalibus.)
Non enim eſtis ſub lege, i.e. ſub legis maledictione & jugô,
ſed ſub gratiâ, habentes nimirum & gratiam juſtificationis ſeu
reconciliationis, & Spiritum renovationis ad peccato reſiſtendum.
Qvi autem ſub lege ſunt, iis lex tanqvam peccato pollutis maledicit,
& velut baculô onereq; ſervili ad benè operandum impellit, non tàm
præbens vires, qvàm rigidè, qvod debetur, exigens, Eſa.9,4.

Altera objectio ab asſertione gratiæ rapta, interrogatoriumq;
in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

15 in modum formata, hæc eſt: *Qvid ergò? peccabimus, qvoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratiâ?* i.e. Qvi non ſub lege ſunt, ſed ſub gratiâ, illis peccare licet. At hoc eſt abſurdum, & impium. Ergò illud, qvod ais, Chriſtianos non esſe ſub lege, & gratiâ Chriſti ſolâ juſtitiam accipere.

Reprobat iterum Apoſtolus conſeqventiam propoſitionis, dicendo, *Abſit*. Et falſitatem ejus redarguit à conditione eorum, qvos ſub gratiâ esſe asſeruit. Qvô factô, exhortatur ad ſtudium juſtitiæ & ſanctitatis, tanqvam decorum ac necesſarium gratiam conſecutis, verſ.19. Tertiò expolit & confirmat ampliùs, hominem renatum non esſe ſub lege, ſed ſub gratiâ, cap.7,1. *Neſcitis*, ait, *qvod,*
16 *cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cui obeditis, ſive peccati ad mortem, ſive obedientiæ ad juſtitiam?* Argumenti vis hæc eſt: Qvi ſe addixerunt ſervitio juſtitiæ, & traditi ſunt in typum pietatis doctrinæ, cui configurentur, illis peccare neqve libet, neqve licet. At qvi ſub gratiâ Chriſti ſunt, addixerunt ſe ſervitio juſtitiæ, traditiq; ſunt in typum pietatis, cui configurentur. Ergò illis, qvi ſub gratiâ Chriſti ſunt, peccare neq; libet neq; licet. Propoſitionem illuſtrat à communi jure ſervitii, & interrogatione iſtâ exornat, ad certitudinem comprobandam. Sicut enim omnis ſervus tenetur obedire, cui ſe obſtringit: ſic etiam ſervus Chriſti ad obedientiam ſe ejus transferens. Minorem adeò certam habet, ad ipſos Romanos applicatam, ut gratias agat DEO, cujus benignitate à peccati jugo exempti, ad juſtitiæ ſervitutem liberrimam
17 transierint. *Gratia autem DEO*, ſcribit, *qvòd fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qvam eſtis traditi,* (qvæ non tantùm vobis tradita, ſed vos in ipſam potiùs traditi tanqvam ſervi, ut ei typo conformes
18 efficiamini.) *Liberati autem à peccato, ſervi eſtis facti juſtitiæ,* (& obedientiæ ad juſtitiam, ut verſ.16. nimirum ut juſtitiæ præceptis ad juſtitiam obediatis.)

Exhortatio, qvam ſubjungit, Exordiolô, Propoſitione & Confirmatione conſtat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Nam primò in ſimilitudine humanâ ſe commoraturum prote-
ſtatur propter carnis humanæ infirmitatem, hoc pacto docilitatem
parans. *Humanum dico, propter infirmitatem carnis* 19
veſtræ. (Non alta & ſublimia proferam, qvæ capere neqveatis, im-
becillitate carnis præpediti, ſed homini mediocriter illuminato &
captu & factu facilia.)

Propoſitio hæc eſt: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra*
ſervire (δȣ̃λα, ſerva) *immunditiæ* (carnis corporiſve) *& ini-*
qvitati (concupiſcentiæ repugnanti tàm ſcriptæ, qvàm innatæ le-
gi, τῇ ἀνομίᾳ) *ad iniqvitatem* (ἀνομίαν qvamvis actu exercen-
dam;) *Ita nunc exhibete* (παραστήσατε, erecta & vivificata ſiſtite)
membra veſtra ſervire (δȣ̃λα ſerva) *juſtitiæ in ſanctifi-*
cationem. (Imperium juſtitiæ, in cordibus per Spiritum excitatæ,
facite, ad corporis ac ſpiritûs ſanctificationem peragendam, 2. Co-
rinth. 7, 1.)

Confirmatur geminâ ratione, qvarum altera eſt ab adjuncto
utriusqve ſtatûs, tùm corrupti, tùm reſtituti: Alterum à fine fru-
ctuq; utriusqve ſervitii.

Qvum enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis ju- 20
ſtitiæ, (juſtitiæ expertes & vacui, Rechtlos und Gottlos.) *Nunc*
verò liberati à peccato, ſervi autem facti DEO. (Ergò
non peccato, ſed DEO ſiſtantur membra veſtra, ſuprà verſ. 16. Joh. 8, 14.
2. Petr. 1, 19.) *Porrò fructus ſervitii peccati ſunt facta*
ignominioſa & pudenda: Finis & ſtipendia mors. Fru-
ctus ſervitii divini eſt ſanctificatio. Finis autem vita
æterna. Qvæ tamen non tanqvam ſtipendium pro labore, ſed tan-
qvam donum DEI in Chriſto, ſervitutem ſanctam ſeqvitur. Sic ſuprà
verſ. 16. ſcripſit: Servi eſtis aut peccati ad mortem, aut obedientiæ ad
juſtitiam. Non dixit ad vitam æternam, qvæ operibus non acqviri-
tur, ſed ad juſtitiam, qva major ſemper acqviritur, qvò magis DEO
obeditur.

21 *Qvem ergò fructum habuiſtis tunc? in qvibus*
nunc erubeſcitis. (Pudet enim pigetq; vos eorum, qvæ in flagitio-
22 ſo iſto ſervitio commiſiſtis.) *Nam finis illorum mors eſt,*
(& prima & ſecunda.) *Nunc habetis fructum veſtrum in*
ſanctificationem, (Gal.5,22. 1.Theſ.4,3.4.) *Finem verò vi-*
23 *tam æternam.* (1.Pet.1,7.) *Stipendia enim peccati, mors*
(corporis animæq; perditio.) *Gratia autem* (χάρισμα, donum
gratuitum) *DEI vita æterna, in Chriſto JESU Domino*
noſtro.

CAPUT SEPTIMUM.

HOc capite verſatur adhuc in ſecundæ objectionis refutatione, coarguens per ſimilitudinem illos, qvi Chriſtianos ſub legis jugô detinere cupiebant. Poſteà tertiam & qvartam objectiones, pro legis dignitate & excellentiâ, ad infringendam Pauli de juſtitiâ Evangelii ſententiam prolatas, explicat. Reſtat igitur primùm tertia pars ex diſſolutione ſecundæ objectionis, qvâ expolit & amplificat hoc, qvod de ſervitiô legis & gratiæ dixerat, productô ſimili in ipsâ lege fundatô, idq; facit à verſ.1. ad 7. Syllogiſmus talis erit: Lex dominatur homini, dum vivit, mortuus liberatur à lege. Probatur à lege conjugii, velut exemplo, verſ.2.3. At vos mortui eſtis per corpus Chriſti, verſ. 4.6. Ergò liberati eſtis à lege. Confirmat aſſumtum à collatione ſtatûs præteriti & præſentis, cùm ſignificat paſſiones peccatorum per legem excitatas, anteà fructificâſſe in ipſis morti, nunc verò mortuos legi tranſiſſe in poteſtatem Chriſti, ut fructificent DEO.

Propoſitio exornatur interrogatione & correctione hôc modô:
1 *An ignoratis, fratres, ſcientibus enim legem loqvor,*
(Chriſtianiſmo jam imbutis, atqve exinde etiam legis peritis,) *qvod*
lex homini dominatur, qvanto tempore vivit. Exempli
2 causâ: *Nam qvæ ſub viro eſt* (ὕπανδρος, viro obnoxia) *mu-*
lier,

lier, vivente virô alligata eſt legi: (ζῶντι ἀνδρὶ δέδεται νό-
μῳ, viventi viro alligata eſt lege. Sic qvoqve Syrus vertit.) *Si au-*
tem mortuus fuerit vir, liberata eſt à lege. Igitur vi- 3
vente virô vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro:
Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege, ut
non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro, (ſi fuerit alii viro,
1.Cor. 7,39. Mulier alligata eſt legi, qvanto tempore vir ejus vivit:
qvòd ſi dormierit vir ejus, liberata eſt; cui vult, nubat, tantùm in Do-
mino.) Subſumit: *Itaqve, vos fratres mei, & vos morti-* 4
ficati eſtis legi, (& dominio ejus liberati) *per corpus Chriſti,*
(cui eſtis commortui & concrucifixi, ſuprà cap. 6, 6. Gal. 5, 24. 2. Co-
rinth. 5, 17.) *ut ſitis alterius* (alteri, tanqvam marito copulati,)
qvi ex mortuis reſurrexit (JEſu Chriſto) *ut fructificemus*
DEO, (per ſpirituale animarum cum Chriſto conjugium.)
Qvùm enim eſſemus in carne (nondum renatis cùm ca-
ro regnaret) *paſſiones peccatorum, qvæ per legem erant,* 5
(legis virtute excitabantur, ut nitimur in vetitum ſemper, cupimusq́;
negata,) *operabantur in membris noſtris,* (ut eſſemus paſ-
ſionibus cupiditatum & libidinum obnoxii, Col. 3, 5. 1. Theſ. 4, 5. nec
poſſideremus vas corporis in ſanctificatione, ſed poſſideremur potiùs
à paſſionibus ejus,) *ut fructificarent morti,* (lethales damna-
tionis fœtus paverent.) *Nunc autem ſoluti ſumus à lege* 6
mortis, Græcè, ἀπὸ τοῦ νόμου, à lege, ἀποθανόντες, mortui, *in qvâ*
detinebamur, i.e. interventu mortis Chriſti, qvæ noſtra eſt, ſolu-
ti ſumus à legis metu & vinculis, ut maledictionem jugumq́; ejus
deinceps non vereamur. *Ita ut ſerviamus in novitate Spi-*
ritûs, & non in vetuſtate literæ, h.e. ut non velut mali, malo
coacti, literâ legis occidentis terreamur & impellamur, absq; ſpon-
taneâ virtute interioris hominis, ſed boni redditi, gratiæ adſpectu, &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Spiritus pulſu ſvavi ad ſponte ſerviendum DEO. Litera enim præcipit qvidem extus, ſed intus hominem relinqvit, qvalem reperit; imò excitat ad operandum viribus carentem, qvi proinde per innatam pravitatem tantò fortius in malum rapitur, qvantò minùs ſibi ineſſe ea videt, qvæ legis litera efflagitat, Spiritus verò vivificat intus ipſum hominem, facitq; promptum ex intuitu gratiæ, tùm acceptæ, tùm acqvirendæ in Chriſto, ut ceu nova creatura DEUM amet ſincerè & proximum, eiq; novum canticum canat, Joh. 13,34. 1. Joh. 2,7.8. 2. Johan. 5. 2. Cor. 5,17. Gal. 6,15. Epheſ. 2,15. & 4,24. Col. 3,9. infrà cap. 8,15. Ex qvibus omnibus manifeſtiſſimum evadit, qvanqvam ſub lege non ſunt renati, tantum tamen abeſſe, ut peccare cupiant, ut ipſi potiùs ſoli peccato reſiſtere & poſſint & cupiant.

Tertia objectio ex iis, qvæ de legis dominiô dicta ſunt, arrepta, id urget, qvod hinc ſeqvi videatur, legem eſſe peccatum. Argumentum tale foret: ſi paſſiones peccatorum per legem excitantur, lex ipſa eſt peccatum. At verum antecedens, profitente Apoſtolô, verſ. 5. Ergò conſeqvens. Atqvi conſeqvens eſt abſurdum & blaſphemum. Ergò antecedens. Unde ſeqvitur, malè ab Apoſtolo de fidei juſtitiâ diſſeri, legis præſtantiæ detrahi. Reſpondet Paulus concedendo conſeqvens eſſe abſurdum: Sed id ex antecedente neutiqvam ſeqvi oſtendendo, allatâ ratione. Imò aliam exinde concluſionem inferendo.

Nam primùm docet, legem per ſe non excitare peccatum, ſed occaſione tantùm accidentariâ. Deinde concluſionem hinc deducit
objectioni contrariam, nimirum legem eſſe ſanctam, & præceptum
7 juſtum & bonum. *Qvid ergò dicemus? Lex peccatum eſt?*
(qvia per eam peccata excitantur?) *Abſit.* Id minimè ſeqvi patet
primùm ex officio legis, qvod eſt peccata arguere, ſicut concupiſcentia non cognoſceretur eſſe peccatum, niſi lege eſſet prohibita. *Sed*, inqvit, *peccatum non cognovi niſi per legem. Nam concupiſcentiam* (omnium qvæ ſunt proximi, qvomodocunqve ea vocentur) *neſciebam* (peccatum eſſe) *niſi lex diceret, non concupiſces.* (Philoſophus enim & Phariſæus eam pro peccatô non habet, ſed pro animi ægritudine potiùs.) Deinde legem non eſſe peccatum, perſpicitur ex modo productionis, ſeu ipſâ generatione actu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

actuum vitioſorum, qvi non ex lege, ſed ab inhabitante peccatô originem ſumunt, & per occaſionem tantummodò accedentis mandati
exaſperantur, nullô legis, ſed hominis mali vitiô. *Occaſione au-* 8
tem acceptâ peccatum (primigenium) *per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat.* (dormiebat inſtar mortui: at per legem excitatum, vires malignas exerit.) Id ſuopte exemplo comprobat, cùm vel absqve lege, vel ſecundùm legem vivere voluit. Nam ſibi qvando absqve lege vixerit, adfuiſſe qvidem peccatum, ſed mortuum, hoc eſt, neqve notum adeò, neqve valens. At veniente mandatô & intellectô, revixiſſe peccatum, id eſt, cognitum eſſe, ac
vim ſuam exeruiſſe. *Ego autem*, ait, *vivebam ſine lege ali-* 9
qvando, (cùm vim ejus nondum caperem.) *Sed qvùm veniſſet mandatum, peccatum revixit*, (oſtendit qvantum
poſſet.) *Ego verò mortuus ſum*, (perſpexi me mortis & da- 10
mnationis eſſe obnoxium,) *& inventum eſt mihi mandatum, qvod erat ad vitam* (datum, ſi facerem illud) *hoc eſſe*
ad mortem. Nam peccatum (inhabitans, originale) *occa-* 11
ſione acceptâ per mandatum, ſeduxit me (ad peccandum) *& per illud occidit*, (qvoniam mandatum mortis damnabat omnem transgreſſorem ſui.)

Hinc igitur elicit concluſionem longè aliam, qvam objectio formabat. Qvicqvid enim revelat peccatum, datum eſt ad vitam, &
occidit peccatorem, per peccatum ejus proprium, prout dixit anteà.
Ergò lex qvidem ſancta, & mandatum ſanctum, & 12
juſtum & bonum eſt.

Qvarta objectio ex verſ. 10. 11. hujus capitis deſumpta, arguit iterum hanc Apoſtoli doctrinam abſurditatis, ex qvâ ſeqvatur, bonum ipſum ceſſiſſe Paulo in mortem. Illatio foret ejusmodi: Mandatum DEI mors eſt. (Aſſeruiſti enim tibi vertiſſe morti.) Mandatum DEI eſt bonum. Ergò bonum aliqvod mors eſt, tibiq; factum pernicies.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

13 Proleptice proponitur, ut reliqvæ: *Qvod ergò bonum mihi factum eſt mors?* Rejicit conſeqventiam, *abſit* dicendo: Et rationem reddit, cur falſa ſit major, declarans non ipſum mandatum, ſed peccatum mandato patefactum, perq; illud gravius peccans, mortis veram cauſam exiſtere. *Peccatum*, inqvit, *ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem, ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.* (Itaqve non mandatum eſt ex ſe, ſed peccatum per mandatum occidit, & mors fit homini. Virtus enim peccati lex, 1.Cor.15,56.)

Secundò confirmat allatam reſponſionem ſuo & cujusvis renati exemplo, qvippe qvi legi teſtimonium perhibent de ſeipſis, qvòd bona ſanctaq; ſit, peccato autem inhabitanti, & ad pravas concupiſcentias incitanti, omnem culpam vimq; occidendi attribuunt. Unde peccati & legis diſcrimen ſit evidentisſimum. Argumentum ejusmodi eſt:

Qvod ſpirituale eſt, qvod vult homo, cuiq; condelectatur per ſpiritum, id mortem ei per ſe non affert. Lex ſpiritualis eſt, vult eam, delectatur eâ homo renatus ſecundùm ſpiritum. Ergò lex homini mortem per ſe non affert. Vicisſim: Qvod repugnat legi, qvod odit homo renatus, qvod non vult, qvô invitus rapitur, id ei morti eſt. Tale eſt peccatum inhabitans cum concupiſcentiis ſuis, ſeu Lex peccati in membris ejus carneis, non Lex DEI. Ergò peccatum inhabitans & lex peccati conciliant homini mortem, non lex ipſa DEI.

Aſſumptionem utriusqve argumenti asſerit & confirmat Apoſtolus, primùm confesſione omnium, de lege & ſeipſis rectè judicantium;
14 Cùm inqvit: *Scimus enim, qvod lex ſpiritualis eſt,* (ſpiritualem & perfectam totius animæ, cordis, omniumq; virium obedientiam poſtulans,) *ego verò carnalis ſum,* (ut omnis alius renatus, qvi dum in hâc vitâ manet, ſeu in carne ambulat, carnis infirmitatibus eſt circumdatus, Matth. 26, 41. Hebr. 12, 1.) *venundatus ſub peccatum,* (ut absqve eo esſe non posſim, 1. Johan. 1, 8. Hebr. 5, 2. liberatus qvidem à peccati dominiô, ut ſuprà cap. 6, 17. 18. di-

dictum, ſed non ab inhabitatione, à qvâ demum liberari omnes ſan-
cti diſcupiunt, infrà cap. 8, 23.) Secundò bonitatem legis à peccatis
imprudentiæ, & delictis involuntariis renatorum, in qvibus ipſi con-
ſentiunt legi, qvatenus regeniti & renovati ſunt, at peccati inhabi-
tantis æſtu abripiuntur, qvatenus adhuc caro ſunt, ut præter mentem
& ſententiam impingant. *Qvod enim operor*, inqvit, *non in-* 15
telligo, (non conſidero ſatis, nec cupio.) *Non enim qvod vo-*
lo (ſecundùm ſpiritum) *bonum, hoc ago, ſed qvod odi, illud*
(carne præoccupatus) *facio. Si autem qvod nolo, illud fa-* 16
cio, conſentio legi, qvoniam bona eſt, (omnium virium
συμμετρίαν ſine ullâ reſiſtentiâ exigens.) *Nunc autem jam non* 17
ego operor illud, (totô pectore, & plenô conſenſu,) *ſed qvod*
habitat in me peccatum, (pugnans adverſus animam, 1. Pet. 2, 21.
Cui ſi totus obedirem & conſentirem, ipſe peccatum facerem. At
ſpiritu vivens, etiamſi infirmitate carnis abripior, non tàm ipſe pec-
co, qvàm peccatum habitans in me.)

Tertiò legis bonitatem vimq; peccati mortiferam adſtruit ab
adjunctâ hominis corruptione, qvatenus carnem geſtat ſemper à re-
natis ſubigendam, 2. Cor. 3, 17. Luc. 21, 28. Epheſ. 1, 7. 14. & 4, 22. 31. Co-
loſſ. 3, 5. Hebr. 12, 1. *Scio enim, qvòd non habitat in me, id* 18
eſt, in carne meâ (non qvatenus ſpiritualis, ſed qvatenus carna-
lis ſum) *bonum. Nam velle adjacet mihi*, (qvà regeneratus
ſum. Irregenitus nec velle poteſt bonum, 2. Cor. 3, 5. Phil. 2, 13. ſuprà
cap. 3, 11. 12.) *perficere autem bonum* (ut nihil ei adjaceat mali)
non invenio. Non enim qvod volo bonum, hoc facio: 19
ſed qvod nolo malum, hoc ago. (Caro concupiſcit adverſus
ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem. Hæc duo ſemper ſibi invicem
adverſantur, ut non qvæcunqve volo, absqve omni repugnantia fa-
ciam, Galat. 5, 17.) *Si autem qvod nolo, illud facio*, (ſi carne 20
impulſus concupiſco aliqvid, cogito, proloqvor, facio, qvod nolo
fa-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

factum,) *jam non ego operor illud*, (ſicut operarer non renatus) *ſed qvòd habitat in me peccatum.* (Spiritus enim promtus eſt, ſed caro infirma, Matth. 26, 44. Marc. 14, 38.)

Qvartò firmat legis bonitatem ab eâdem adjacente hominis malitiâ, qvatenus è judiciô & delectatione interioris hominis, reſi-
21 ſtentiæ carnalis gnari clariſſime eluceſcit. *Invenio igitur legem* (præſcriptum aut dictamen aliqvod) *volenti facere mihi bo-*
22 *num, qvoniam mihi malum adjacet. Condelector enim legi DEI ſecundùm interiorem hominem*, (Spiritu DEI renovatum, cui exterior, ſeu corruptus, & vetus homo opponitur, 2. Cor. 4, 16. 1. Pet. 3, 4. Eph. 3, 16. Luc. 11, 40.)

23 *Video autem aliam legem* (tractionem, præceptionem) *in membris, repugnantem legi mentis meæ*, (alius enim ὁ νοῦς τῆς σαρκὸς, Col. 2, 18. ſenſus & φρόνημα carnis, alius ὁ νοῦς illuminatus & ſpiritualis, congruus legi DEI) *& captivantem me in lege peccati, qvæ eſt in membris.* (Inde fit, ut ſim πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, ſuprà verſ. 14.)

Tandem concludit ab adjuncto deſiderio hominis renati, agnoſcentis qvòd corpus hoc peccati ſit cauſa mortis, adeoq; ab eo liberari expetentis. Exprimitur & figuratur προσωποποιΐα, ἐκφωνήσει, καὶ μιμήσει, qvia ſibi totum ſermonem attribuit, ſicut & præcedentem. Qvem tamen omnibus renatis ſecum communem eſſe oſtendit cap. 8, 23. Item ἐπανορθώσει, qvâ indicat non tantùm de reliqviis carnis conqverendum, ſed DEO etiam pro libertate ſpiritûs gratias agendum.

24 *Infelix ego homo* (ταλαίπωρος, malo asſvetus) *qvis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Nullus certè mortalium, ſed omnes primitias ſpiritûs habentes intra nos ipſi gemimus, adoptionem exſpectantes, redemptionem corporis noſtri, hujus mortalis & mortiferi, peccato obnoxii, Rom. 8, 10. 23.) *Gratia DEI*
25 (εὐχαριστῶ τῷ θεῷ, gratias ago DEO) *per JEſum Chriſtum*

Domi-

Dominum noſtrum, (qvi dominio me peccati liberavit, inq; ſuum regnum transtulit, Joh. 8,36. Luc. 1,68. & 4,18. Coloſs. 1,13.14.) *Igitur ego ipſe mente qvidem* (illuminata) *ſervio legi Dei*, (teſtificans eam eſſe bonam,) *carne autem* (corruptâ, & qvatenus corruptus ſum) *legi peccati*. (Pro libertate mentis gratias ago, de captivitate carnis ingemiſco.)

CAPUT OCTAVUM.

PRoducitur Ἀντικατασκευή ſeu contramunitio, qvam Confutationis alteram eſſe partem dixi, qvâ ipſa confutatio objectionum prægreſſa corroboratur, & ſalutaris doctrinæ uſus genuinus oſtenditur. Tertia qvoqve pars hôc eôdem capite abſolvitur, Confutationis nimirum Concluſio, verſ. 31. &c.

Porrò ipſius Ἀντικατασκευῆς partes ſunt qvatuor: Propoſitio, Confirmatio verſ. 2. Amplificatio per cohortationem ad vitam ſpiritualem verſ. 9. Digreſſio ad conſtantiam & patientiam in afflictionibus verſ. 17.

Propoſitio objectionibus antegreſſis oppoſita hæc eſt: *Qvi* I.
non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum ambulant in Chriſto JEſu, in iis non eſt condemnatio. Ubi nota, hinc falſitatis convinci, qvicqvid fuit anteà objectum, ſcilicet permanendum in peccato, ut abundet gratia, peccandum eſſe, qvòniam non ſimus ſub lege, ſed ſub gratiâ, item legem eſſe peccatum & mortem. Nam ſi eorum eſt juſtitia, ſi ii à damnatione immunes ſunt, qvi in Chriſto JEſu vivunt & ambulant, non ſecundùm carnem, ſed ſpiritum: ergò vaniſſimum eſt, qvod de licentiâ peccandi, qvaſi ex doctrinâ gratuitæ juſtificationis emergente, opponitur.

Nil ergò condemnationis eſt in iis, qvi ſunt in Chri- 1
ſto JEſu, (per fidem) *qvi non ſecundùm carnem ambulant*, (ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα) *ſed ſecundùm Spiritum*, (i.e. qvi non carnis, ſed Spiritûs dominio reguntur. Nam ſecundùm carnem eſſe, ambulare, & in carne eſſe, ſignificat carnis obedire deſideriis.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

II. Confirmatur duplici argumento, qvorum unum ſumitur à cauſæ damnationis ſublatione, alterum à damnatorum & abſolutorum conditione, verſ.5.

Prius tale eſt: Qvi à lege peccati & mortis liberati ſunt, in iis non eſt damnatio. At qvi in Chriſto JEſu ſunt & ambulant, liberati ſunt à lege peccati & mortis. Ergò in iis non eſt damnatio.

2 Aſſumtum his verbis aſſerit Paulus: *Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto JEſu, liberavit me à lege peccati & mortis*, i.e. dictamen ſpiritûs, qvô mente delector, liberavit me à tyrannide peccati, trahentis & allicientis carnem, ſuprà cap.7,24. Et Spiritus vitæ JEſu Chriſti, qvi me in JEſu Chriſto vivificat, exemit me à literâ occidente & damnante legis, 2.Corinth.3,6.7. Igitur qvanqvam à peccato damnabili liber non ſum, qvà carnalis ſum, tamen à damnatione ipsâ liber ſum, qvia ſpiritualis ſum, non ſub lege conſtitutus damnante, ſed ſub gratiâ ſalvante in Chriſto JEſu. Probat, qvod dixit, à causâ efficiente & formali iſtius liberationis. *Nam*
3 *qvod impoſſibile erat legi*, (ut vitã mihi largiretur, ac non mortem inferret,) *in qvo infirmabatur per carnem*, non per ſe, qvia ad vitam erat data, ſuprà cap.7,10. ſed per carnem legi implendæ imparem imbecilla deprehenditur lex,) *DEUS* (præſtitit) *Filium ſuum mittens in ſimilitudine carnis peccati* (carnis peccatricis formâ veſtitum, qvanqvam ipſe erat ſine peccato. Verbum enim caro factum eſt, & ſimiliter particeps factum carnis & ſangvinis, ut reliqvi fratres, tentatum per omnia, omnibusq; carnis peccatricis infirmitatibus circumdatum, demptô tamen peccatô; Johan.1,14. Hebr.2,14.17. & 4,15. Phil.2,7. Eſa.53,1.&c. non veſtitum carne peccati, ſed ſimilitudine carnis peccati, pro nobis aſſumptâ.) *& de peccatô* (περὶ ἁμαρτίας miſit Filium, i.e. pro peccato hoſtiam. Hoſtiæ enim pro peccato appellantur περὶ ἁμαρτίας, Pſalm. 40,10. Levit.5,6.7.8.9.10.11. Hebr.10,6.8. Ideò Syrus vertit דְחַטִּיתָא מֶטֻלְּהָ propter peccatum, ſcil. expiandum,) *damnavit pecca-*
4 *tum in carne* (noſtrâ, qvam Filius aſſumpſerat.) *Ut juſtificatio*

(δικαί-

(δικαίωμα jus & judicium) *legis impleretur in nobis*, (Lex enim damnat peccatum. Ea damnatio peccati peracta eſt in carne noſtrâ, à Filio DEI aſſumpta, Matth. 5, 17. Pſal. 40, 10. 11. Et porrò impletur in nobis, per imputationem obedientiæ Chriſti conſummatæ, & noſtræ ſimilitudinem inchoatæ,) *non ſecundùm carnem ambulantibus, ſed ſecundùm Spiritum.* Sic igitur liberatis nulla eſt ultra damnatio.

Pergit probare eandem libertatem, ab adjunctis eorum, qvi damnantur vel abſolvuntur, hoc modo: In qvibus eſt ſenſus mortis, & mera adverſus DEUM inimicitia, in illis eſt damnatio. Contrà, in qvibus ſenſus vitæ & pacis cum DEO, illi à damnatione liberi. At qvi ſecundùm carnem ambulant, ii habent ſenſum mortis DEO inimicum. Qvi autem ſecundùm ſpiritum, habent ſenſum vitæ & pacis in DEO per Chriſtum. Ergò in illis manet ira & damnatio, in his non.

Major tanqvam per ſe nota omittitur. Minor ponitur his verbis:
Qvi enim ſecundùm carnem ſunt (& ambulant,) *qvæ car-* 5
nis ſunt, ſapiunt. Qvi verò ſecundùm ſpiritum ſunt,
qvæ ſunt ſpiritûs, ſentiunt. Nam prudentia (τὸ φρόνημα, 6
ſenſus & ſapientia) *carnis, mors eſt*, (mortem ſentit & adfert,)
prudentia autem (ſenſus) *ſpiritus, vita & pax* (vitam pa-
cemq; ſentit & ſecum vehit.) *Qvoniam ſapientia carnis ini-* 7
micitia eſt in DEUM. Ratio: *Legi enim DEI non ſub-*
jicitur, nec enim poteſt. (Qvicqvid autem legi DEI, volunta-
tem ejus continenti repugnat, id DEO inimicum eſt. Omnis carnis
ſenſus DEI legi repugnat, nec parere poteſt. Ergò omnis ſenſus car-
nis DEO inimicus eſt.) *Qvi autem in carne ſunt* (in poteſtate 8
& dominiô carnis,) *DEO placere non poſſunt.* (Qvi autem
in ſpiritu ſunt, & ab eô reguntur, hi placent DEO propter Chriſtum,
ac propterea à damnatione exempti ſunt.)

Exhortatio ad vitam ſpiritualem artificioſè ſubjungitur. III.

Nam cùm argumentatio ſic ſonaret: Qvi in Chriſto JEſu ſe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

cundùm ſpiritum ambulant, in iis nihil eſt condemnationis. Vos in Chriſto JEſu ſecundùm ſpiritum ambulatis. Ergò nihil eſt in vobis condemnationis. Apoſtolus aſſumtionem ſyllogiſmi ita deinceps tractat, ut exhortationis potiùs, qvàm ſimplicis affirmationis ſeu inſtitutionis ſpeciem induat. Hortatur enim, ut ſecundùm ſpiritum ambulent, non ſecundùm carnem. Rationem adhibet triplicem.

Primam accerſit à decoro ſtatûs. Qvia enim Romani in ſpiritu ſunt, ſiqvidem verè Chriſtiani, ſecundùm ſpiritum etiam ambula-
9 bunt. Similiter argumentatur Galatis cap. 5,25. *Vos autem*, inqvit, *in carne non eſtis*, (qvanqvam adhuc carnem geritis, ſeu in carne ambulatis, 2.Cor.10,3.) *ſed in ſpiritu.* Patet è regimine filiorum DEI propriô, tùm præſente, tùm futurô. In qvibuscunqve enim Spiritus DEI habitat, illi non ſunt in carne. In qvibus autem non habitat, nec Chriſti ſunt. Contrà, in qvibus Chriſtus, & Spiritus Chriſti habitant, illorum corpus qvidem mortuum eſt, at ſpiritus vivit, dum in carne adhuc ambulant. Depoſita verò caro etiam reſuſcitabitur mortua, eò qvod Spiritus DEI illam inhabitavit. Ex qvibus conficitur attineri Chriſtianos adſpectu ſtatûs ſui, ut non carni, ſed ſpiritui indulgeant. *Si tamen*, inqvit, *Spiritus DEI habitat in vobis.* (Habitat enim in omnibus verè Chriſtianis.) *Si qvis autem Spiritum Chriſti non habet, non eſt ejus.* (Nec novit eum, nec Dominum appellare poteſt, nec ex DEO eſt, 1.Cor.12,4.
10 1.Joh.4,13. *Si autem Chriſtus eſt in vobis*, (qvi unum eſt cum DEO Patre & Spiritu ſuo, ob id ibidem eſt, ubi ipſi ſunt, Joh.14,10.11. 23.26.) *Corpus qvidem mortuum eſt* (morti obnoxium, corpus mortis, ſuprà cap. 7,24.) *propter peccatum* (inhabitans:) *Spiritus verò vita* (eſt in vobis) *propter juſtitiam*, (qvam
11 adfert & operatur.) *Qvòd ſi Spiritus ejus, qvi ſuſcitavit JEſum à mortuis, habitat in vobis:* (qvem ſuprà dixit Spiritum JEſu Chriſti,) *qvi ſuſcitavit JEſum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra* (θνητὰ, mortua)

pro-

propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. (1.Cor.6,14.
2.Cor.4,14. Nam utraqve communio & corporis & Spiritûs Chriſti,
ſignacula nobis & pignora ſunt certisſimæ reſurrectionis.) *Ergò,* 12
*fratres, debitores ſumus, non carni, ut ſecundùm car-
nem vivamus,* (ſed Spiritui, ut ſecundùm eum vivamus, ſiqvidem
Chriſti eſſe & haberi volumus.)

Alteram rationem petit à conſeqventibus vitæ utriusqve, vitâ
ſcilicet, ſeu morte æternâ. *Si enim ſecundùm carnem vixe-* 13
ritis, moriemini. (Unde mortalia peccata dicuntur, qvæ à rena-
tis ſecundùm carnis imperium viventibus committuntur, qvia tunc
extingvunt ſemen vitæ, qvod habebant, & carnis mortua opera fa-
ciunt, regnôq; & vitâ DEI excidunt, 1. Cor.6,10. Epheſ.5,5. 1. Joh.3,9.
10.15. Apoc.3,1.2.) *Si autem Spiritu facta carnis mortifi-
caveritis, vivetis* (in æternum. Unde venialia peccata dicun-
tur, renatorum carnalia deſideria, qvæ per ſpiritum in ipſis manen-
tem impediuntur, ne in actus flagitioſos erumpant, Gal.5,21.22.)

Tertiò argumentatur à proprio filiorum DEI, qvod eſt agi ſpi-
ritu, id qvod probat à ſpiritûs operationibus, iisq; antitheſi ſervilis
metûs, & gradatione ſeu ſorite eleganti illuſtratis. *Qvicunqve* 14
enim Spiritu DEI aguntur, ii ſunt filii DEI. (Qvi malô
ſpiritu aguntur, ſunt filii Diaboli, Joh.8,43.44.) *Non enim ac-* 15
cepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timorem, (ut olim
timebant perniciem, iniqvitatis ſibi conſcii, & timent omnes pœ-
nam mali, eôq; metu crucientur, 1. Joh. 4,18. Deut.1,21. & 20,8. & 31,
6.8. Joſ.8,1. Jud.7,3. 2.Chron.16,17. & 32,7. Pſal.91,5. Eſa.54,14. Hebr.12,
19.20.) *ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in
qvo clamamus, Abba Pater.* (2.Tim.1,7. Gal.4,6. eumq; tan-
qvam patrem veneramur & diligimus, non ut horribilem & torto-
rem extimeſcimus, Eſa.57,11. Jerem.5,22.24. & 11,3. & 10,5.6. & 32,39.
Qvi filialis timor exponitur per σέβεσθαι. Joh.4,24. Job.1,9. Eſa.29,13.
Jonæ 1,9.) *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro* 16

(intellectui & animæ noſtræ,) *qvòd ſimus filii DEI.* (commi-
ſcens DEI verbum fidei noſtræ, Hebr.4,2. facit, ut ſtatuamus nos eſſe
17 Dei filios.) *Si autem filii, & hæredes. Hæredes qvidem DEI, cohæredes autem Chriſti,* (qvi nos ſibi fratres effecit, Hebr.2,12. Joh. 20,17.)

IV. Nunc leni digresſione divertit ad tradendam conſtantiam, qvæ in afflictionibus præſtetur. Etenim ad ſupremum ſpiritualis felicitatis gradum adſcendens, interſerit de induſtriâ conditionem glorificandorum iſtam, qvod compati debeant Chriſto. *Si tamen compatimur,* inqvit, *ut & conglorificemur.*

Propoſitio igitur eſt: Glorificandis cum Chriſto promptè & conſtanter patiendum eſt cum ipſo.

Confirmationis argumenta ſunt ſeptem, valdè ponderoſa, in qvibus fontes ſunt præſtantisſimarum & ſolidisſimarum conſolationum, qvibuslibet in tentationibus valentium.

Primum à conſeqvente gloriâ ductum, exornatur ab imparita-
18 te pasſionum & præmiorum. *Exiſtimo enim,* inqvit, (λογίζομαι, ratiocinando ſtatuo) *qvòd non ſint condignæ pasſiones hujus temporis ad futuram gloriam, qvæ revelabitur in nobis.* (2.Cor.4,23,24. Nam nec tempore, ſeu duratione, nec qvalitate, nec qvantitate conferri ſunt idoneæ.)

Secundum petitur ab exemplo tùm pasſionum, tùm exſpectationum univerſæ creaturæ DEI, qvam & unà pati asſerit verſ.20. & unà præſtari liberationem verſ.21. & unà liberandam verſ. 21. Et iterum pasſionem univerſalem gemitumq; confirmat, per ὑπομονὴν, verſ. 22.

19 *Nam exſpectatio* (ἀποκαραδοκία, ſublatô exertôq; capite
qvæ fit præſtolatio, Luc. 21, 28. Phil. 1,20.) *creaturæ, revelatio-*
20 *nem filiorum DEI exſpectat. Vanitati enim creatura ſubjecta eſt* (peccato & corruptelæ) *non volens.* (Nam principio non erat maledicta terra, nec qvicqvam usqvã mali, ſed omnia valdè bona, Gen.1,2.) *ſed propter eum, qvi ſubjecit eam in ſpe* (li-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,:266)

(liberationis. DEO enim parere omnia coguntur, qvi creaturam vanitati per Salomonem, Eccleſ.1. & 2. commemoratæ, ſubdidit veluti invitam.) *Qvia & ipſa creatura liberabitur à ſervitu-* 21
te corruptionis (creatô cœlô novô terrâq; novâ, Eſa.65,66. 2.Pet.3. Apocal.21.) *in libertatem gloriæ filiorum DEI*, (ut liberè ſerviat gloriæ filiorum, non coacta ſerviat corruptioni & vanitati filiorum Diaboli, ipſisq; principibus aëreis, qvi κοσμοκράτορες appellantur, Epheſ.2, 6.) *Scimus enim, qvòd omnis creatura*, 22
(cœlum, terra, & qvæ in eis) *congemiſcit & parturit* (συνωδίνει comparturit) *usqve nunc.* (Cœlum, terra, mare, Sol, Luna, ſtellæ, & aliæ creaturæ, tanqvam gemunt DEO, & parturiunt qvaſi nobiscum, ſuam noſtramq; à vanitate hâc mundanâ liberationem deſiderantes. Non igitur nos tædere debet afflictionis, qvorum illæ gloriam anxiè expetunt, deſiderio admirabili, DEO factori noto.)

Tertium argumentum ſumit ab exemplo omnium ſpiritualium, qvi & gemunt, & adoptionem, prout ea in corporibus qvoqve declaranda eſt, exſpectant intimè. *Non ſolùm autem illa* 23
(creatura reliqva,) *ſed & nos ipſi, primitias ſpiritûs habentes*, (cujus meſſem opiparam opperimur, Apoc. 22,1. Ezech.47. Johan.7,38.) *& ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum* (manifeſtandam, 1.Joh.3,1.2.) *exſpectantes, redemptionem corporis noſtri*, (è corruptionis & vanitatis ſervitiô, ſuprà cap. 7,25. 2.Corinth.5,2.4. Luc.21,28. Apocal.21,4. 1.Cor.15, 42.43.44.)

Qvartum capit à naturâ & conditione ſalutis præſentis, qvippe in ſpe verſantis. Qvi enim ſpe ſalvati ſunt, nondum universâ plenâq; ſalute ſunt potiti, ideóq; exſpectare eam debent in patientia. Confirmatur ab adjectô ſpei propriô, qvod eſt res inviſibilis & ventura. *Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem qvæ vide-* 24
tur, non eſt ſpes. Nam qvod videt qvis, qvid ſperat? (Si jam oculis præſtò foret ſalus, non eſſet demum ſperanda.)
Si autem qvod non videmus, ſperamus, per patientiam 25
ex-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

exſpectamus. (Hoc ſpei proprium, non commoveri adverſis ad
eam rejiciendam, ſed ob magnitudinem futurorum bonorum, mole-
ſta qvæq; intervenientia contemnere.)

Qvintum petit ab adjutore infirmitatum, & in tribulationibus
paraclete, qvi eſt Spiritus Sanctus. Qvorum enim infirmitatibus ſuc-
currit Spiritus Sanctus, precibusq; miſcet intercesſiones ſuas, illis
conſtantia in afflictionibus præſtanda eſt. Ratio eſt, qvia DEUS no-
vit illos Spiritûs ſui gemitus in cordibus piorum, eosq; certô certiùs
26 exaudit. *Similiter autem* (ſicut ipſi in nobis gemimus,) *&*
Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram, (συναντιλαμβά-
νεται ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, infirmitates noſtras, qvaſi manu porre-
ctâ ſublevat.) *Nam qvid oremus, ſicut oportet, neſcimus:*
(infirmitatibus carnis præpediti, Phil. 1,23.24.) *Sed ipſe Spiritus*
poſtulat pro nobis (in cordibus noſtris) *gemitibus inenar-*
27 *rabilibus*, (qvos explicare nemo poteſt.) *Qvi autem ſcruta-*
tur corda, (in qvibus poſtulat Spiritus) *ſcit, qvid deſideret*
Spiritus. Qvia ſecundùm DEUM (more divinô, & DEO
digno) *poſtulat* (ſeu intercedit) *pro ſanctis*.

Sextum argumentum prorſus inſigne ducit à fine ſcopôq;
omnium piis accidentium. Qvibus enim omnia in bonum coope-
rantur, ſecundùm propoſitum DEI, illis promptè & conſtanter cum
Chriſto qvidvis eſt ſubeundum. *Scimus autem, qvod diligen-*
28 *tibus DEUM omnia cooperantur in bonum.* (Nemini
dubium eſt, DEUM amantibus ſui omnia vertere bono, Geneſ. 50,20.
Pſal. 119,71. Ergò cum Chriſto qvidvis ſubeundum) *iis, qvi ſecun-*
dùm propoſitum vocati ſunt ſancti.

Septimum capit à ſocietate & communione noſtrâ cum Chri-
ſto, cujus tanqvam primogeniti fratris typo, tàm pasſiones, qvàm glo-
riam, conformandi ſumus. *Nam qvos præſcivit* (credituros)
29 *hos & prædeſtinavit, conformes fieri imaginis Filii ſui:*
ut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,:266)

ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus, (cohæredi-
bus, & ſimiliter ipſi regnum per paſſiones adeuntibus, Luc. 22, 29.
Act. 14, 2.) *Qvos autem prædeſtinavit*, (ſecundùm propoſi- 30
tum illud) *& qvos vocavit, hos & juſtificavit. Qvos
autem juſtificavit, illos & glorificavit*, ſecundùm illud
propoſitum. Ex qvibus gradibus inter ſe connexis patet, omnia ſe-
cundùm præſcientiam DEI, & præſcientiæ illius propoſitum dirigi,
qvæcunqve obveniunt ſanctis, DEUM diligentibus, atqve hoc pacto
eos Chriſto, primogenito fratri, asſimilari.)

Hisce ita præmisſis, qvæ non tantùm objectis ſunt diluendis, ſed
& Chriſtianis potenter ſecundùm ſalutarem doctrinam exhortan-
disq́; conſolandisq́;, ſubjungit concluſionem ejusdem generis & ar-
gumenti, qvâ velut triumphare decet Chriſtianos de omnibus ſibi
inimicis, DEOq́; conſtanter adhæreſcere.

Sententia concluſionis eſt: Chriſtiani certi ſunto dilectionis
DEI erga ſe in Chriſto JESu, nec qvicqvam mali extimeſcunto.

Ad eam probandam coacervantur argumenta, & interrogatio-
nibus ἀπαριθμήσεσι, contentionibus, aliisq́; figuris ac coloribus rhe-
toricis, mirificè exornantur. Generalis probatio hæc eſt: A qvibus
ſtat DEUS, illi dilectionis ejus gnari, hoſtes & hoſtilia omnia debent
contemnere. A vocatis & electis ſtat DEUS. Ergò hoſtes hoſtiliaq́;
omnia debent contemnere. Antecedens tractat verſ. 31. usqve ad 37.
Conſeqvens reliqvis.

Connexionem comparatione DEI & creaturarum approbat.
Nam ſi ipſe DEUS pro nobis eſt, qvis qvicqvam audebit, aut ſi auſit,
valebit adverſum nos? *Qvid ergò dicemus ad hæc? Si* 31
DEUS pro nobis, qvis contra nos? DEUM verò pro nobis
facere, nosq́; intimè diligere, oſtendit ab effectis ſeu beneficiis, tùm
præteritis, tùm præſentibus, tùm futuris, primùm qvidem patris, de-
inde etiam Filii.

Patris beneficium, qvod jam præcesſit, eſt traditio proprii Filii
pro nobis. *Qvi*, inqvit, *proprio etiam Filio non pepercit*, 32
ſed pro nobis omnibus tradidit illum, qvomodo non

etiam cum illo omnia nobis donavit? (donabit? χαρίσεται eſt in fonte. Qvi omnium maximum dedit, qvidni reliqva omnia illo unico longè minora? Proprius enim DEI Filius longè omnibus creaturis major.)

Præſens beneficium eſt juſtificatio, qvam nullius creaturæ ſeu
33 accuſatio, ſeu condemnatio infringet. *Qvis accuſabit* (ἐγκαλέσει, crimen intendet) *adverſus electos DEI? DEUS eſt, qvi juſtificat, qvis eſt qvi condemnet?*

Similiter Filii beneficia teſtantur, nihil nobis poſſe exitiale
34 contingere. *Chriſtus enim JEſus eſt, qvi mortuus eſt, imò qvi & reſurrexit, qvi & eſt ad dexteram DEI, qvi etiam interpellat pro nobis.* His beneficiis tùm prægreſ-
35 ſis, tùm adhuc durantibus, pergit colligere: *Qvis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Et confirmat inductione omnium aliarum rerum. Nam de accuſatione & condemnatione jam dixit, qvæ ſunt omnium graviſſima mala, reliqva multò ſunt leviora. *Num tribulatio nos ſeparabit, an anguſtia? an fames? an perſecutio? an nuditas? an periculum? an gladius?* Hoc poſtremum, qvia inter mala corporis extremum eſt, comprobat
36 è Pſal. 44, 23. *Sicut ſcriptum eſt: Qvia propter te mortificamur totâ die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.*

37 Conſeqventis aſſertio ſeqvitur, cùm ait? *Sed in his omnibus ſuperamus* (ὑπερνικῶμεν, excellenter vincimus) *propter eum, qvi dilexit nos,* q.d. DEUS nos intimè dilexit, eoq́; amo-
38 re pleni omnia illa mala difflamus. *Certus ſum enim, qvia neqve mors, neq; vita,* (neq; bonum, neq; malum maximum) *neqve Angeli, neqve principatus, neqve virtutes,* (nulla poteſtas Diabolica, qvantacunqve ſit) *neqve inſtantia,*
39 (ἐνεστῶτα, præſentia) *neqve futura: Neqve altitudo, neqve*

profundum, (ſeu ingens ſublimitas, ſeu profundisſima miſeria,) *neq; creatura alia* (complementum hoc eſt inductionis) *poterit nos ſeparare à dilectione* D E I (qvâ nos complectitur) *in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

Hactenus argumentorum, doctrinæ Juſtificationis oppoſitorum, diſſolutio: Seqvitur pars tertia Tractatûs prioris de Fidei juſtitiâ, qva ſpeciatim demonſtrat Apoſtolus de Judæis & gentibus, juſtitiam & ſalutem utrosq; ex merâ DEI gratiâ per fidem, non per opera ſua, obtinere.

CAPUT NONUM.

DIxerat Paulus cap.1,17. Evangelium Chriſti eſſe potentiam ad ſalutem omni credenti, Judæo primùm, deinde & Græco. Eam asſertionem confirmavit generatim capitibus qvinqve, objectiones diluit cap.6.7.8. Nunc capitibus tribus, nono, decimo, undecimo eandem ſpecialius, de utroqve populo, Judaico & gentili, comprobat, refutans pariter, qvæ ſive à Judæis ſeu gentibus opponebantur veritati, aut opponi poterant.

Partes tractatûs tres ſunt. Prima eſt exordium ſeu inſinuatio, incluſam habens propoſitionem. Secunda ἔκθεσις ſeu expoſitio ipſa doctrinæ de ſalute & perditione Judæorum ac gentilium, qvomodo illa neqve veritati, neqve juſtitiæ, neqve miſericordiæ DEI repugnet cap.9. qvæ cauſa cæcitatis Judæorum cap. 10. & qvomodo illâ gentes non abuti, ſed tàm ipſæ, qvàm Judæi rectè uti debeant, cap. 11. Tertia eſt Epilogus, qvô per exclamationem admirabundam refert, qvanta ſit hujus doctrinæ profunditas & eminentia, cap.11,33. &c.

Principio, tanqvam de re arduâ & Judæis ingrata dicturus, benevolentiam ſibi amoremq; conciliat, teſtando dolorem ſuum de illorum cæcitate & perditione, pariterq; amorem in ipſos, qvo cupiat ſuo maximo malo illorum ſalutem redimere, verſ.3. Deniqve prærogativas illorum concedendo, qvas novem recenſet ordine. Itaqve ſic incipit, attentioni juxta ac benevolentiæ aptè: *Veritatem dico* 1

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

in Chriſtô, non mentior, teſtimonium mihi perhibente
conſcientiâ meâ in Spiritu ſanctô, i. e. veritatem Chriſti lo-
qvor, non ſtudeo decipere qvenqvam, invoco teſtem Spiritum San-
ctum ſuper conſcientiam meam, qvæ mihi in conſpectu & præſentiâ
ejus atteſtatur ſanctæ veritatis ſtudium. Sed cui rei tanta aſſeveratio?
Nimirum ut dolorem ſuum atqve amorem erga Judæos reprobos, in-
2 fenſiſſimos hoſtes ſuos, aſſerat. *Qvoniam triſtitia mihi ma-*
3 *gna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabam*
(ηὐχόμην, optârim) *enim ego anathema eſſe à Domino*
(ſicut Chriſtus factus eſt modicó tempore, Deut. 21, 23. Galat. 3, 13. pro
nobis, ſic ipſe execrandam mortem oppeterem, & velut anathema
ſuſpenderer, atqve exſcinderer de terrâ viventium) *pro fratribus*
meis, qvi cognatio & obſeqvium & promiſſa. (Pravè, Le-
ge: qvi ſunt cognati mei ſecundùm carnem, prout meliora exem-
plaria habent. Pro iis, inqvam, fuerem ego velut hoſtia, pœnam, eo-
rumq; anathema in me ſuſciperem, ſi meâ morte expiari poſſent.
Anathema enim vel ad tempus, vel in æternum ſtatuitur. Non autem
in æternum, ſed ad tempus anathema fieri cupit Apoſtolus, confer
4 Levit. 27, 29. Deuter. 13, 15. & 20, 17. Joſ. 6, 7. 2. Sam. 21, 6.) *Qvi ſunt*
Iſraëlitæ, (hoc primum, qvod ex Iſraële originem trahunt ſecun-
dùm carnem) *qvorum eſt adoptio* (id ſecundum, dicente DEO;
Ego ero DEUS tuus & ſeminis tui poſt te, Geneſ. 17, 7. 8.) *& gloria*
(ob DEUM inter ipſos habitantem, 1. Sam. 4, 22.) *& Teſtamenta*,
(Abrahamo primùm, Geneſ. 11. 12. 15. 17. 22. dein toti populo ſancita,
Exod. 15, 26. & 19, 5. 6. Id qvartum privilegium.) *& legiſlatio*,
(νομοθεσία qvâ omnes gentes antecedunt, Deut. 4, 6. 7. 8.) *& obſe-*
qvium, (ἡ λατρεία, cultus. Sextum privilegium, qvod ipſi ſoli ve-
rum DEUM colunt, Pſal. 76, 1. 2.) *& promiſſiones* (de Meſſiâ, de
multiplicatione, de inhabitatione mundi, de propagatione legis
ipſorum, & alia præ gentibus cunctis promiſſa Judæis, Eſa. 2, 11. 60. Id

ſe-

ſeptimum privilegium.) *Qvorum patres* (Patriarchæ, Prophe- 5
tæ, Reges, coram DEO & hominibus magni, Judaico omnes ſangvine
creti) *ex qvibus eſt Chriſtus* (nonum & præcipuum privile-
gium, ex ipſis Chriſtum naſci.) *ſecundùm carnem* (τὸ κατὰ σάρ-
κα, qvantum ad carnem, filius Abrahæ, Davidis, Mariæ, Matth. 1, 1.)
qvi eſt ſuper omnia DEUS benedictus in ſecula, Amen.
(Idem ille ſuper omnia DEUS, ex Patre natus ante ſecula, ex Judæis
ortus eſt ſecundùm carnem, Mich. 5, 2. qvô honore nullus eminen-
tior.)

Propoſitio hiſce verbis incluſa eſt: Judæi cognati mei ſecundùm carnem ſunt anathema à Chriſto magnam partem. Colligitur ex dolore Pauli, & qvòd ipſe pro iis anathema fieri cupiat, ſi poſſit.

Hanc propoſitionem ut explicet, refutat primùm, qvæ à Judæis objici poterant. Illi enim neqvaqvam admittebant, ſe anathema eſſe à Meſſiâ. Deinde confirmat commemoratione cauſarum, ob qvas cæcitate percuſſi ſint, cap. 9, 30. & cap. 10. toto. Tertiò reſpondet ad qvæſtiones, qvæ ſive à gentibus, ſive à Judæis in hâc materiâ proferebantur, cap. 11, 1.

Confutatio tribus argumentis abſolvitur.

Prima objectio eſt ab abſurdo petita, & tacitè à Paulo præoccupatur. Si enim Iſraëlitæ, qvorum ſunt promiſſiones, teſtamenta & adoptio, prout ipſe faſſus eſt, pereunt, excidere videtur veritas verborum DEI. Conſeqvens eſt abſurdum. Ergò antecedens, qvod eſt Apoſtoli. Negat Paulus conſeqventiam hypotheſeos, allatâ diſtinctione inter Iſraëlitas ſecundùm carnem, & ſecundùm promiſſionem. In his, ait, confirmari adoptionem, qvi prævisi, & ex præſcitu electionis propoſiti ſunt DEO, in illis verò non. Neqve enim adoptionem & reliqvas promiſſiones omnes, pendere à carnali propagatione, ſed à divinâ electione. Probat exemplis & dictis Scripturæ, de Abrahami & Iſaaci filiis, verſ. 7. 8. 9. &c. hôc modô: Si prærogativæ illæ promiſſionum, anteà verſ. 4. 5. commemoratæ, non ſunt Iſmaëlis & Eſavi, eò qvod ſecundùm carnem ex Patriarchis orti ſunt, ergò non carnali in propagatione fundantur, ſed in divinâ vocatione. Verum prius, ut patet exemplis & oraculis. Ergò & poſterius: Ac proinde non excidit verbum DEI, etiamſi non omnes Iſraëlitæ ſalventur.

Alioqvi periiſſet etiam veritas promiſſionum, factarum Abrahamo
& Iſaaco, eò qvòd non omnes eorum filii eas pariter ſunt adepti. Sic
6 planus erit contextus: *Non autem qvòd exciderit verbum*
DEI, (fieri neqvit, ut exciderit verbum Dei, teſtamentis & promiſ-
ſionibus comprehenſum.) *Non enim omnes qvi ex Iſraël, ii*
7 *ſunt Iſraëlitæ* (veri, Johan. 1, 48.) *Neqve qvia ſemen ſunt*
Abrahæ, omnes filii. (Filii enim Abrahæ, qvorum Deum ſe fore
promiſit Deus, non naſcuntur ex ſeminibus aut ſangvinibus, aut vo-
luntate viri, ſed ex Deo, Joh. 1, 13.) *Sed in Iſaac* (qvi ſecundùm pro-
miſſionem natus eſt, Gal. 4, 23.) *vocabitur tibi ſemen.* (Gen. 21, 12.)
8 *Hoc eſt, non qvi filii carnis, hi filii DEI, ſed qvi filii*
promiſſionis (eam fide accipientes) *æſtimantur in ſemine.*
9 *Promiſſionis enim verbum hoc eſt:* (Gen. 18, 10. 14.) *ſecun-*
dùm hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. (Qvare ſicut
non Iſmaëlitæ gaudent iiſdem prærogativis, qvibus Iſaaci poſteri, ita
nec Judæi carnales iiſdem, qvibus ſpirituales.)

10 *Non ſolùm autem* (Abrahæ id filiis accidit, diverſis ma-
tribus prognatis,) *ſed & Rebecca, ex uno concubitum ha-*
bens Iſaac, patre noſtrô, (diverſarum conditionum filios tulit.)
11 *Qvùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliqvid boni*
egiſſent, aut mali, (ne qvis ex operibus pendere iſtam gratiam
opinetur,) *ut ſecundùm electionem propoſitum DEI ma-*
12 *neret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei*
(Rebeccæ, Gen. 25, 23. per Prophetam vel Angelum:) *Qvia major*
ſerviet minori, (primogenitus in poſteris ſuis ſerviet minori na-
tu. Sic, ſecundùm electionem Dei, ad primogenituræ jus pervenit
Jacobus præ Eſavo. Nam electio non ſemper de prædeſtinatione ad
vitam æternam, ſed etiam ad aliam ſpecialem gratiam uſurpatur,
qvales ſuprà verſ. 4. 5. enumeratæ, ut Deut. 7, 6. 7. Pſal. 135, 4. Eph. 20. 5.)

Sicut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Sicut ſcriptum eſt (Malach. 1, 2.) *Jacob dilexi, Eſau au-* 13
tem odio habui, id eſt, Jacobi poſteros dilexi, Edomitas odi, non
qvòd neminem eorum ſalvare velim, ſed qvòd eâ gratiâ & dilectione
dignari nolim, qvâ Jacobitas, qvantumvis ex eôdem uterô prognatos.
Edom enim Idumæos notare eô locô, ut aliàs ſæpiùs, notius eſt qvàm
ut probari egeat. Illos verò non abſolutè reprobatos eſſe, teſtatur
Scriptura, cùm ait, DEUM velle omnes ſalvare, & reliqvias Idumæo-
rum in ipſum ſperaturas, Jerem. 49, 11. Obad. 1, 21. Marc. 3, 8. Odit au-
tem illos DEUS præ Iſraëlitis, qvia multis eos nominibus poſtponit,
Num. 24, 18. Pſal. 136, 2. Eſa. 21, 11. & 34, 5. Jerem. 49, 7. Thren. 4, 22. Eze-
chiel. 25, 13. Amos 1, 11. Odiſſe enim ſæpè ſignificat adſpectu alterius
aliqvem parvifacere, Matth. 6, 24. Luc. 14, 26. & 16, 13. Johan. 12, 25.
Epheſ. 5, 29.)

Altera objectio ſimiliter abſurditatis ſugillat Apoſtoli ſenten-
tiam. Seqvi enim ex eâ videtur, injuſtum eſſe DEUM. Si enim ſecun-
dùm opera bona vel mala gratiam ſuam non diſtribuit, videtur eſſe
injuſtus. Prius aſſeruit Apoſtolus verſ. 12. de Jacobo & Eſavo. Ergò
poſterius negare haud poterit. Negatur autem iterum connexio ma-
joris, eaq; negatio Scripturis ſtabilitur. Nam Moſi teſtatur DEUS,
gratiam ſuam puram eſſe gratiam, nec tribui meritis, verſ. 16. 17. & in-
durationem juſtitiæ & gloriæ DEI non eſſe contrariam, oraculum
de Pharaone evincit, verſ. 17. Miſeretur ergò, cujus vult, qvia pura
eſt miſericordia. Indurat, qvem vult, qvia pœna hæc non eſt injuſta,
prout in Pharaone eſt conſpicuum, verſ. 18. *Qvid ergò dicemus?* 14
Nunqvid iniqvitas apud DEUM? Abſit. Moyſi enim 15
dicit (Exod. 33, 19.) *Miſerebor, cujus miſerebor, & miſeri-*
cordiam præſtabo, cui miſericordiam præſtabo. (Nemo
autem accuſari injuſtitiæ poteſt, qvi purâ miſericordiâ ductus, plu-
ſculum tribuit uni pro altero.) *Igitur non eſt volentis, neqve* 16
currentis, (cùm nemo velle aut currere poſſit absqve DEO,) *ſed*
miſerantis DEI. Dicit enim Scriptura Pharaoni 17
(contemptori DEI, Exod. 5, 2.) *Qvia in hoc ipſum excitavi te*
(Exod. 9, 16. הֶעֱמַדְתִּיךָ ſtare te feci, excitavi te ad regnandum, &

con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

conſervavi hactenus) *ut oſtendam in te* (majeſtatis meæ deſpe-
ctore) *virtutem meam: & ut nomen meum annuncietur*
in univerſâ terrâ. 18 *Ergò cui vult, miſeretur,* (pro ſpeciali
miſericordiâ, nullius meritis debita) *& qvem vult, indurat,*
(pro juſto judicio, occulto ſæpè, nunqvam iniqvo, ut nomen ſuum
utroqve decreto patefaciat.)

Seqvitur tertia objectio, qvâ ingens abſurdum impingitur Apo-
ſtolo, nimirum ex doctrinâ ejus naſci excuſationem hominibus im-
piis, adimi verò DEO increpandi poteſtatem. Nam ſi DEUS qvorun-
dam miſeretur, alios indurat pro voluntate ſuâ, non poterit de ho-
minum impietate conqveri. Ratio eſt, qvia voluntati ejus nemo re-
ſtitit, ſed qvod voluit, factum eſt.

19 *Dices itaqve mihi, qvid adhuc qveritur? volun-
tati enim ejus qvis reſtitit?*

Reponit duo Apoſtolus. Primùm objurgat ejusmodi argumen-
tatores, tanqvam importunos, ingratosq; judiciorum divinorum ri-
matores. Objurgationem iſtam evidenti ſimili illuſtrat. Etenim ſic-
ut multa facit figulus, qvorum rationes & cauſas non intelligit lu-
20 tum: ſic multa DEUS, qvæ non capit homo. *O homo,* inqvit, *tu
qvis es, qvi reſpondeas* (ἀνταποκρινόμενος, adverſa loqvaris)
*DEO? Nunqvid dicit figmentum ei, qvi ſe finxit,
qvid me feciſti?* (Eſa.45,9. & 64,8. Jerem.18,6.) 21 *An non ha-
bet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere, a-
liud qvidem vas in honorē, aliud verò in contumeliam,*
(ex cauſis ſibi notis, non plaſmati?)

Secundò diſtingvit inter tolerantiam & beneplacitum, inter
voluntatem iræ & miſericordiæ. Nam voluntas judicii & iræ eſt, qvâ
DEUS non facit, ſed tolerat in multâ patientiâ vaſa iniqvitatis, apta-
ta ad interitum. Voluntas miſericordiæ, qvâ præparat & vocat vaſa
miſericordiæ, verſ.24. Qvi autem tolerat qvosdam in multa patien-
tia, is rectè de iis conqveritur.

Confirmat tertiò, dari vaſa ejusmodi, tùm miſericordiæ gra-
tuitæ,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

tuitæ, tùm iræ juſtæ. Vaſa miſericordiæ dari ex gentibus, comprobat
Hoſeæ teſtimoniô, verſ.25.26. Utriusq; generis vaſa dari ex Judæis, te-
ſtimonio adſtruit Eſaiæ gemino, verſ.27.28.29. Prius teſtimonium ju-
ſtam eſſe deciſionem iræ, poſterius puram miſericordiam evincit.
Si autem DEUS volens oſtendere iram (erga malos, qvi 22
alioqvin nihil odit eorum, qvæ fecit, Pſalm. 145,9. Sap.2,24. & 11,24.)
& notam facere potentiam ſuam, (qvam habet non mino-
rem, qvàm figulus in lutum, Sapient. 15,7. Jerem. 18,6. Eſai. 64,8.)
ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, aptata ad interi-
tum. Et ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſe- 23
ricordiæ (ſpecialis) *qvæ præparavit in gloriam,* (qvæ non
ab alio præparata, ſuſtinuit patienter admodum, ſed qvæ ipſe apta-
vit, nónne meritò de iis conqveritur? nónne enim reſtiterunt vo-
luntati ejus, qvibus juſtè iraſcitur?) *Qvos* (ad gloriam præparatos) 24
etiam vocavit, non ſolùm ex Judæis, ſed etiam ex gen-
tibus. Sicut in Hoſea dicit (cap.2,23.) *vocabo non plebem* 25
meam, & non dilectam, dilectam (addit Vulgata ex 1. Petr.
2,10. & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam.)
Et (Hoſ. 1,10.) *erit in loco, ubi dictum eſt eis, non plebs* 26
mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi. (Qvæ certè purâ
gratiâ dicuntur, nullis præcedentibus meritis. Similiter teſtatur Scri-
ptura de Judæis.) *Eſaias autem clamat pro Iſraël, ſi fue-* 27
rit numerus filiorum Iſraël tanqvam arena maris,
(nihil juvabit multitudo) *reliqviæ ſalvæ fient. Verbum enim* 28
conſummans & abbrevians (Dominus) *in juſtitia,*
(conſummabit qvidem in juſtitiâ, ſed & abbreviabit propter electos,
Matth.24,22.) *qvia verbum breviatum* (λόγον συντετμημένον.
Hebraicè כָּלָה וְנֶחֱרָצָה conſummationem, eamq; abruptam, ne
totum perdat.) *faciet Dominus in terra.* (Eſai. 10,22.23.)
Et ſicut prædixit Eſaias (cap.1,9.) *Niſi Dominus Sa-* 29

 baoth

baoth reliqviſſet nobis ſemen (electum,) *ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha fuiſſemus* (aſſimilati, *ὡμοιώθημεν.*) Qvod ergò indurat, juſti judicii eſt, qvod miſeretur, & ſemen relinqvit, non meritæ miſericordiæ eſt.

Refutatis objectionibus, ſecundo jam loco tranſit ad confirmationem anathematis, Judaico populo imminentis, de qvo principio admonuit.

Ejus confirmationis partes qvatuor ſunt: Propoſitio, Ratio, rationis Approbatio, & Concluſio.

Propoſitio bimembris eſt, agens tùm de Judæis, tùm de gentibus.
30 *Qvid igitur dicemus?* (objectionibus depulſis, qvid aſſeverabimus de Judæorum gentiumq; ſalute ac perditione?) *Qvòd gentes, qvæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam, juſtitiam autem qvæ ex fide eſt,* (in Evangelio pa-
31 tefactam, ut ſuprà dixi cap. 1, 17. 18.) *Iſraël verò ſectando legem juſtitiæ, ad legem juſtitiæ non pervenit,* (ideóq; in injuſtitiâ ſuâ perit. Infrà cap. 10, 3.)

Ratio petitur à veræ conditionis, qvæ ad ſalutem reqviritur,
32 defectu, & falſæ obtentu. *Qvare? qvia non ex fide* (Meſſiæ,) *ſed qvaſi ex operibus legis.* Illuſtrat ſimili prophetico, qvod occurrit Pſal. 118, 22. Eſa. 8, 14. & 28, 16. *Offenderunt enim in lapidem offenſionis,* (cui fide ſuperædificari eos oportebat, tan-
33 qvam angulari.) *Sicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali* (incredulis, 1. Pet. 2, 6.) *Et omnis, qvi credit in eum, non confundetur,* (qvi autem perfidiâ impegerit, volens adverſus niti, confundetur & corruet.)

CAPUT

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

CAPUT DECIMUM.

CApite hôc decimô allatam rationem approbat, & confirmat uberius, duplici utens argumentô. Primum ducit ab inſipienti Iſraëlitarum zelo, per qvem impingunt in lapidem, cui erant ſuperſtruendi. Alterum à mediorum ſalutis rejectione, verſ. 14. Utrumqve firmat autoritate Scripturæ Propheticæ, verſ. 11.12.13.16.17.

Confirmationi huic præmittit breve exordium, qvô ſuum rurſus erga Iſraëlitas amorem, deq; eorum converſione ſpem ſignificat.
Fratres, voluntas qvidem cordis mei, & obſecratio ad 1
DEUM fit pro illis (ὑπὲρ τοῦ ἰσραὴλ, pro Iſraële) *in ſalutem.*
(Neqve enim DEUS præciſè & abſolutè eos reprobavit, qvi vult
omnes ſalvos fieri, ideóq; pro omnibus orari, 1. Tim. 2, 14.) Concedit
etiam illis zelum DEI, ob qvem ſit in eos affectu optimô, qvùm ipſe
eôdem olim zelô laboraverit, ut narrat Act. 22, 3. *Teſtimonium* 2
enim perhibeo illis, qvod æmulationem DEI habent,
(qvod fervent amore DEI paterni.)

Cæterùm illum zelum inſipientem eſſe declarat, diſtinctione juſtitiæ DEI & hominum, Iſraëlitis neſcia. Qvam evincit, tùm ex adventûs Meſsiæ fine propriô, verſ. 4. tùm duplici Moſis teſtimonio, qvô utramqve juſtitiam deſcripſit verſ. 5.6. &c. tùm auctoritate Scripturæ propheticæ, Eſaiæ & Joëlis, qvâ Judæis pariter & Græcis ſalus, ſed in Chriſto utrisqve promittitur, verſ. 11.12.13.

Habent zelum DEI, *ſed non ſecundùm ſcientiam.*
(Fervent ſtudiô & amore divini verbi, ſed qvod ipſi non intelligunt.
Putant ſe cultum præſtare DEO, qvùm ignorantes contumeliâ eum
afficiunt maximâ, Johan. 15, 23.) *Ignorantes juſtitiam DEI,* 3
(qvæ donatur & imputatur fidei in Chriſtum, ſuprà cap. 1, 17. 18.)
& ſuam (τὴν ἰδίαν propriam) *qværentes ſtatuere, juſtitiæ*
DEI non ſunt ſubjecti. (Erigentes ſuam operum juſtitiam, ſubjicere
ſe DEO nolunt, ut juſtitiam ejus, ex merâ miſericordiâ provenientem,
conſeqvantur, ſuprà cap. 9, 31. 32.) *Finis enim legis* 4
Chriſtus, (ad qvem lex velut pædagogus ducit, concludens omnia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſub peccatum, ut ad Chriſtum ire compellat, Gal. 3, 22.24. Is legem
implevit, factus τέλος, complementum legis per obedientiam ſuam,
ut accipitur τέλος 1. Tim. 1,5. 1. Petr. 3,8. Luc. 22,37. & finis, ad qvem
ipſa lex collimat, Pſal. 40,10.) *ad juſtitiam omni credenti:*
(Qvem legis Chriſtiq; adventus finem juxta ignorantes, fervidè con-
tendunt de eô, qvod neſciunt.)
5 *Moſes enim* (qvem maximi faciunt, pro nobis eſt,) *ſcribit*
juſtitiam, qvæ ex lege eſt, qvoniam qvi fecerit homo,
vivet in eâ. (ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος, ζήσεται ἐν αὐτοῖς,
qvod faciens ea homo, vivet in eis, Levit. 18,5. Deut. 30,20. & 32,47.
6 Ezech. 20,11.) *Qvæ autem ex fide eſt juſtitia, ſic dicit: ne*
dixeris in corde tuô, qvis aſcendet in cœlum? (hoc eſt, ne
deſperes de ſalute, aut dicas, nemo poteſt in cœlum aſcendere, atqve
inde Chriſtum deducere, qvi nos alloqvatur, ut promiſſum eſt Deu-
ter. 18,18. & ſalvet. (*Hoc enim eſt Chriſtum cœlo deducere*
7 *velle*, qvùm qvis ſic cum corde ſuô loqvitur.) *Aut qvis deſcen-*
det in abyſſum, hoc eſt Chriſtum à mortuis revocare,
(nimirum qvi ex deſperatione ſalutis ait, qvis deſcendet in abyſſum,
& redibit, is Chriſtum vult à mortuis reducere. Hoc autem noſtra-
rum virium non eſt, imò omnes humanas vires ſupergreditur. Ergǒ
nunqvam verba ſalutis audiemus. Sed non ita dixeris, ait Moſes Deu-
8 ter. 30,14.) *Sed qvid dicit Scriptura? Propè eſt verbum,*
(Meſſiæ ſalutiferum) *in ore tuô, & in corde tuô,* (ut audias &
facias.) Illuſtrat iſta commentariolô & epilyſi divinâ Apoſtolus,
ſcribens: *Hoc eſt verbum fidei, qvod prædicamus.* (Illud
9 enim in ore cordeq; tuô eſt.) *Qvia ſi confitearis in ore tuô*
Dominum JEſum, (de cœlo miſſum Salvatorem) *& credi-*
deris in corde tuô, qvòd DEUS illum ſuſcitavit à mor-
10 *tuis,* (& ex abyſſo reduxit) *ſalvus eris: Corde enim creditur*
ad juſtitiam, ut in Chriſto JEſu juſtificeris, non per opera, qvæ
tute

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

tute facis:) *ore autem fit confeſſio* (ὁμολογεῖται, ſcil. ὁ Κύριος
Ἰησοῦς, fit confeſſio de JEſu Dominô & Salvatore, pro te mortuo &
reſuſcitato) *ad ſalutem,* (cùm ſcilicet ex fide cordis confiteris
DEO, & invocas ipſum, ut ſalutem à Chriſto partam tibi conferat,
conſeqveris eam. Id qvod Joëlis & Eſaiæ teſtimonio adſtruitur.)
Dicit enim Scriptura (Eſa.28,16.) *Omnis qvi crediderit* 11
in illum, non confundetur (coram DEO in peccatis ſuis, ſed ju-
ſtitiæ veſtimento decorabitur, Eſa.61,10.) *Non eſt enim diſtin-* 12
ctio Judæi & Græci. (ideò ſcriptum eſt, omnis qvi credit.)
Nam idem Dominus omnium (JEſus Chriſtus) *dives in*
omnes, qvi invocant eum. Omnis enim, qvi invocave- 13
rit nomen Domini, ſalvabitur. (Hæc oris confeſſio, ex fide
loqvi, & ſic obtinere ſalutem, qvemadmodum præſcripſit Joël c.3,5.6.
tàm de Sione & Jeroſolyma, qvàm de aliis omnibus, qvos Dominus
advocavit.)

Alteram rationem & cauſam cæcitatis, perditionisq; Judæorum, facit mediorum ſalutis contemptum, ſicut primam propriæ ſcientiæ juſtitiæq; faſtum. Probat primum Sorite cauſarum & effectorum, inter ſe connexorum, unde patet, non niſi per illa media ſalutem ſeu Judæis ſeu gentibus contingere. Deinde ſubſumit, fidei obedientiam deeſſe plerisq;, utut auditus verbi adſit, idq; Eſaiæ dicto comprobat verſ.16.17. Sicut reliqva media omnibus Judæis Græcisq; ſuppetere Davidis & Moſis adſtruit ſententiis, verſ. 18. 19. Unde planum efficitur, culpam cæcitatis ac damnationis penes ipſos eſſe, cùm DEUS ſalutem eorum ſeriò velit ac procuret.

Qvoniam igitur corde credens juſtificatur, & ore DEUM invo-
cans ſalutem adipiſcitur, ſubdit: *Qvomodo ergò invocabunt,* 14
in qvem non crediderunt? (Nemo enim invocatur, in qvem
non creditur.) *Aut qvomodo credent ei, qvem non audie-*
runt? (Fides enim ex auditu.) *Qvomodo autem audient ſi-*
ne prædicante? (Nemo audiet verbum, à nullo annunciatum.)

15 *Qvomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* (Nemo
prædicabit verbum DEI, niſi miſſus.) *Sicut ſcriptum eſt* (Eſai.
52,7. Nahum.2,1.) *Qvàm ſpecioſi pedes evangelizantium*
pacem, evangelizantium bona, (audire facientium ſalutem,
dicentium Sioni, regnavit DEUS tuus. Legatis igitur opus eſt,
qvi non à ſeipſis, ſed à Rege Zionis veniant, ab ipſo, inqvam, DEO, &
16 bona ab illo nova annuncient.) *Sed non omnes obedierunt*
Evangelio, (qvò ad fidem incitabantur à DEO.) *Eſaias enim*
dicit: Domine qvis credidit auditui noſtro? (auditioni à
nobis acceptæ qvis fidem habuit? q. d. nimium pauci, Eſai. 53,1.)
Ergò fides ex auditu, (qvem faciunt Prophetæ & Apoſtoli;)
17 *Auditus autem per verbum DEI,* (eloqventis & mittentis,
Eſa.52,6. Populus meus cognoſcet nomen meum, qvia ego ipſe ſum,
qvi loqvor. Ecce ego.)

Itaqve hæc ſalutis via. DEUS loqvitur. Evangelizantes juſſi verbum ſibi commiſſum eloqvi, veniunt & auditionem faciunt. Homines audiunt. Ex auditu credunt. Ex fide invocant. Invocantes ſalvantur.

Ubi ergò defectus? Apoſtolus per prolepſin ſibimetipſi objicit,
18 & reſpondet. *Sed dico? Nunqvid non audiverunt* (omnes?)
Et qvidem in omnem terram exivit ſonus eorum,
(qvi inſtar Canonis & regulæ eſt, cui conformandus totus mundus,
unde in fonte eſt קַוָּם amuſſis, canon eorum, Pſal.19,5.) *& in fi-*
nes orbis terræ verba eorum. (cœlorum ſpiritualium, à DEO
conditorum, ad gloriam ejus enarrandam omnibus, ubicunqve lo-
19 qvelæ & ſermones uſurpantur, Pſal.19,1.2.3.) *Sed dico, Nunqvid*
Iſraël non cognovit? Primus Moſes dicit: Ego ad æmu-
lationem vos adducam in non gente, (Vulgata malè legit
gentem) *in gente inſipiente in iram vos mittam.* (Tantum
abeſt, ut non audierit Iſraël, ut primus ſcriptorum ſacrorum Moſes
jam-

jampridem dixerit, perſoniturum ad gentes ſtultas verbum, in eisq; ad æmulationem fidei provocandos Judæos, Deuter. 32, 21.) *Eſaias* 20
autem audet (ἀποτολμᾷ, præaudet) *& dicit : Inventus ſum à non qværentibus me*, (Ethnicis me ultrò ingesſi, non qværentibus) *palàm apparui* (ἐμφανὴς ἐγενόμην) *iis, qvi me non interrogabant*, (dixi, ecce ego, ecce ego, ad gentem, non vocatam nomine meô, Eſa. 65, 1.)

Concluſio idipſum verbis Eſaiæ repetit, qvod cap. 9, 30. propoſuit, gentes non ſectantes juſtitiam, adeptas eam, Judæis qvibus oblata erat, ſpernentibus eam, ideóq; juſto judicio Dei in cæcitate ſuâ
deſertis. *Ad Iſraël enim dicit Eſaias* pro Deo (cap. 65, 2.) 21
Totâ die expandi manus meas ad populum, non credentem & contradicentem. (Poſt cogitationes ſuas euntem, & inſuper rebellem & reluctantem, qvæ ſunt duo vitia hactenus expoſita, zelus nempe fatuus, & incredulitas.)

CAPUT UNDECIMUM.

Tertia pars hujus de Judæis ac gentibus Tractatûs, Amplificatio dici meretur, qvâ tres qvæſtiones, ad doctrinam antè traditam pertinentes, expedit Apoſtolus.

Prima eſt, an DEUS rejecerit populum ſuum? Altera, num ideò offenderint Judæi ad lapidem angularem, tantum ut caderent? verſ. 11. Tertia, utrum ſimpliciter excisſi ſint Judæi, gentiles verò inſiti vitæ arbori? verſ. 19. Deinde ſubjicitur concluſio, verſ. 33.

Porrò rejectio populi Dei ſeqvi videbatur ex antè dictis, præſertim è verſibus ultimis, cap. 10. ubi ex Eſaiâ producitur teſtimonium, de gentium aggregatione ad Deum, Judæorum verò rebellione & contumaciâ.

Negat Paulus, rejectum esſe Dei populum; & negat, primùm prolatâ inſtantiâ à ſuopte exemplo. Tùm argumento à Dei præſcientiâ, qvæ falli non posſit de populo ſuo, verſ. 2. Tertiò, ſimili exemplo maximæ Judæorum corruptionis, in qvâ tamen aliqvos ſibi ſervavit Deus. Cujus ſimilitudinis πρότασις eſt verſ. 2. 3. 4. ἀπόδοσις verſ. 5.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ejusq; προσθήκη verſ.6. Deniq; concludit hoc qvæſitum, diſtingvendo inter populum electum & reprobum, ex Eſaiæ ac Davidis teſtimoniô, verſ.7.8.9.

1 *Dico ergò, nunqvid Deus repulit populum ſuum?*
Abſit. Nam & ego Iſraëlita ſum, ex ſemine Abraham,
de tribu Benjamin. (Phil.3,5. 2.Cor.11,22. Si totum populum re-
2 jeciſſet, & ego reprobus forem, qvod abſit, 2.Cor.13,6.) *Non repu-*
lit DEUS plebem ſuam, qvam præſcivit (ſuam fore.)
An neſcitis, in Elia qvid dicit ſcriptura? Qvemadmo-
3 *dum interpellat Deum adverſum Iſraël* (dicens:) *Domi-*
ne, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt,
(qvibus à majoribus cultus es, ante exſtructum templum, 1.Reg.18,30.)
& ego relictus ſum ſolus, & qværunt animam meam.
(Nam regina juravit in meam perniciem, 1.Reg.19,2.) *Sed qvid*
4 *dicit illi divinum reſponſum?* (1.Reg.19,18.) *Reliqvi mihi*
ſeptem millia virorum, qvi non curvaverunt genua
5 *ante Baal. Sic ergò & in hoc tempore reliqviæ ſecun-*
dùm electionem gratiæ factæ, (eæq; multarum myriadum, in
6 JEſum Chriſtum credentium, Act.21,20.) *Si autem gratiâ, jam*
non ex operibus. Alioqvin gratia jam non eſt gratia.
(Si Iſraël populus DEI foret ex operibus, non foret ampliùs gratiâ. Græcè: εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκ ἔτι ἐστὶ χάρις· ἐπεὶ τὸ ἔργον, οὐκ ἔτι ἐστὶν ἔργον.) *Si autem ex operibus, non eſt amplius gratia, alioqvin opus non eſt ampliùs opus.* (h.e. Si ex gratiâ, non ex operibus adoptio: ſi ex operibus, non ex gratiâ. Hæc enim duo ſe invicem tollunt, Rom.4,3.4. Gal.3,11.12. & 2,16.)

Jam repetit ſuperiùs dicta v.30, cap.9. eaq; vetuſtis oraculis firmat.

7. *Qvid ergò? qvod qværebat Iſraël, hoc non eſt conſe-*
cutus, (juſtitiam ſcilicet ex lege, atqve ex eâ ſalutem) *electio au-*
tem

tem (plebs electa) *conſecuta eſt veram juſtitiam, cæteri
verò excæcati ſunt.* (Rejecit ergò DEUS, qvos non elegit: non
elegit autem, qvi qværebant in lege juſtificari, Chriſtumq́; deteſta-
bantur, qvemadmodum Eſaias cap. 6, 9. & 29, 10. atteſtatur.)
Sicut ſcriptum eſt: Dedit illis DEUS Spiritum com- 8
punctionis, (κατανύξεως LXX. verterunt, ut retinet Paulus. He-
braicè תַּרְדֵּמָה, ſoporis, qvô mens planè proſternitur, ſicut ſtupo-
re etiam percellitur animus, ut Danielis cap. 8, 18. & 10, 9. Theodotion
vertit, ſpiritum ἐκστάσεως: Aqvila καταφορᾶς. Eſa. 51, 17. 22. Pſal. 60, 3.
eſt כּוֹס הַתַּרְעֵלָה calix convulſionis, conſternationis, ubi itidem
habent LXX. ποτήριον κατανύξεως,) *oculos ut non videant,
aures ut non audiant, usqve in hodiernum diem.*
(Matth. 13, 14. Joh. 12, 40. Act. 28, 20.) *Et David dicit* (Pſal. 69, 24.) 9
fiat menſa eorum (ex qvâ refectionem aliam qværunt, qvàm de-
bebant, volentes ſacrificiis ſe paſcere, non cor gratiâ firmare, Hebr.
13, 9. 10. Menſa enim dicitur altare Mal. 1, 7. 12. itemq́; panum ſacro-
rum repoſitorium, Exod. 25, 23. Unde transfertur ad repoſitorium ſpi-
ritualis refectionis, ex verbo & Sacramentis, Prov. 9, 2. Pſalm. 23, 6.)
Fiat menſa eorum *coram ipſis in laqveum, & in captionem,
& in ſcandalum, & in retributionem illis,* (qvòd mihi fel
dederunt in eſcam, & propinaverunt in ſiti meâ acetum, convertatur
illis in perniciem, ex qvacunqve re ſalutem haurire poterant,)
obſcurentur oculi eorum, ne videant (ſpiritualiter,) *& dor-* 10
ſum eorũ ſemper incurva, (lumbos eorum ſemper nutare fac,
perpetuis oneribus ſervitiisq́; premuntor.)

Altera qværſtio, num ideò offenderint, ut caderent Judæi, iti-
dem negatur, ſed aliud ſubeſſe DEI conſilium oſtenditur, ut nimirum
hâc occaſione gentes illuminentur, ipſiqvè Judæi ad æmulationem
provocentur. Qvæ reſponſio expolitur & explicatur tàm Judæis,
qvàm gentibus. Judæis qvidem, ut æmulentur gentes jam converſas,
verſ. 13. 14. 15. Gentibus verò, ne glorientur adverſus Judæos, qvorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

radici ipſæ ſunt inſitæ. Et exornatur ſimilitudine hortenſi arborum,
& domeſticâ ſeu ſacrificiali libationum, verſ. 16.17.18.
11 *Dico ergò, nunqvid offenderunt, ut caderent?*
(An nihil aliud ſpectat Deus hoc ſuo in Judæos judicio, qvàm lapſum
illorum ac perniciem?) *Abſit. Sed illorum delicto* (παραπτώ-
ματι, offenſione) *ſalus eſt vel contigit gentibus*, (dum Apo-
ſtoli & Evangelizantes alii ab ipſis expelluntur ad gentes, eisq; tantò
citius & opulentius offertur regnum cœleſte, Actor. 7.8.9.13.)
ut illos æmulentur. (εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτοὺς, ut illos, Judæos
puta, ad æmulationem incitet, ſicut mox addit verſ.14. εἴπως παρα-
ζηλώσω μου τὴν σάρκα. Non igitur abſolutè reprobati ſunt Judæi,
qvi impegerunt in lapidem angularem, ſed ut fidelium Ethnicorum
12 exemplo commoti reſurgant.) *Qvod ſi delictum illorum di-
vitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum divitiæ gentium,
qvantò magis plenitudo eorum?* (qvantò plus conferrent
mundo ad ſalutem, ſi omnes crederent?)
13 Seqvitur applicatio reſponſionis ad Romanos: *Vobis enim
dico gentibus, qvandoqvidem ego ſum gentium Apo-
ſtolus* (Act.22,21. Gal.2,9.) *miniſterium meum honorificabo*,
(ex fine illo præclaro, qvod ad Judæorum qvoqve ſalutem faciat.)
14 *Si qvomodo ad æmulandum provocem carnem meam*
(cognatos meos juxta carnem, ſuprà cap. 9,2.) *& ſalvos faciam*
15 *aliqvos ex illis* (Evangelii prædicatione.) *Si enim amisſio eo-
rum reconciliatio eſt mundi*, (ſi ex abjectione eorum ſalus
mundi provenit, ut dixi verſ. 11.12.) *qvæ asſumptio* (ex abjectis)
niſi vita ex mortuis? (perinde eſt, ac ſi ex mortuis cuiqvam vi-
ta obtingeret, qvando gentibus dico ex Judæorum abjectione recon-
ciliationem contigiſſe. Qvare ſi Judæi vivi forent per fidem, multò
major exinde vita gentibus accederet.)

Jam ulterius monet Romanorum fideles è gentibus, ut benè de
Judæ-

Judæis ſperent, minimeq; adverſus illos inſoleſcant. *Qvod ſi de-* 16
libatio ſancta eſt, (ἡ ἀπαρχὴ, libatio pro primitiis Deo oblata)
& maſſa: & ſi radix ſancta, & rami. (Si è familiâ He-
bræorum tàm præclaræ primitiæ Patrum & Prophetarum DEO credi-
derunt, non rejecit DEUS totum populum, aut pollutum judicavit,
ut ſalus eis contingere neqveat.) *Qvod ſi aliqvi ex ramis fra-* 17
cti ſunt, tu autem cùm oleaſter eſſes, inſertus es in illis,
& ſocius radicis & pingvedinis olivæ factus es; (parti-
ceps ſpiritûs & vitæ, qvæ in Chriſto eſt, & ſanctis Prophetis atq; Apo-
ſtolis Hebræis;) *noli gloriari adverſus ramos: qvòd ſi glo-* 18
riaris, non tu radicem portas, ſed radix te. (Major eſt ra-
dicis gloria & firmitudo, qvàm tua, ut illi potiùs gloriam reddere te-
nearis, qvàm tibimet tribuere.)

Tertia qvæſtio eſt, An ſimpliciter exciſi ſint è Chriſti corpore Judæi, ut gentes inſerantur? Negat Paulus, & per infidelitatem exciſos Judæos, gentes verò per fidem inſitas declarat, ac proinde ſtanti neqvaqvam intumeſcendum in jacentem, ſed timendum potiùs.

Confirmat reſponſionem, argumentando primùm à majori ad minus. Si enim DEUS ramis ſecundùm naturam non pepercit, multò minùs ſilveſtribus parcet, verſ.21. Accommodat ſimile verſ.22. Secundò à minori ad majus, ubi præcedit πρότασιν ἀπόδοσις. Si ſilveſtres rami ſunt inſiti in oleam, multò magis proprii in propriam oleam inſerentur, ſi ab infidelitate diſcedant, verſ.22.23. Tertiò à naturâ & ratione conſilii divini circa Judæos & gentes. Non enim omnes Iſraëlitæ excœcati ſunt, ſed pars tantummodò, qvam ſupplent gentes, & ſic totus DEI Iſraël ſalvatur, verſ.25. Firmat, partim autoritate Scripturæ veteris, verſ.26.27. partim DEI erga Judæos affectu propter Patres, verſ.28. Qvartò ab immutabilitate donorum & vocationum DEI. Si enim DEUM beneficentiæ ſuæ non pœnitet, qvi in Patribus Judæos vocavit; neqvaqvam ſimpliciter omnes rejecit, verſ.29. Qvintò, ab univerſali & indifferenti DEI miſericordiâ, tàm erga Judæos olim, & nunc Gentiles, qvàm viciſſim erga eosdem Judæos demonſtrandâ, cùm placuerit, verſ.30.31.32. Sicut enim concluſio ad in-

 fide-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

19 fidelitatem generalis, ſic & miſericordia generalis. *Dices ergò,*
fracti ſunt rami, ut ego inſerar, (h.e. exciſi ſunt ideò Judæi,
ut ego gentilis ſubſtituerer.)
20 *Benè. Propter incredulitatem fracti ſunt,* (non ab-
ſolutè) *tu autem fide ſtas. Noli altum ſapere, ſed time.*
21 *Si enim DEUS naturalibus ramis* (qvi ſecundùm naturam
orti erant ex Patriarchis & Prophetis, & Chriſto cognati ſecundùm
carnem) *non pepercit, ne fortè nec tibi parcat* (propter
eandem incredulitatem,) *vide ergò bonitatem & ſeverita-*
22 *tem DEI: in eos qvidem qvi ceciderunt, ſeveritatem,*
in te autem bonitatem DEI, ſi permanſeris in bonitate
(per fidem) *alioqvin & tu excideris.* (Ergò & Romana Eccle-
23 ſia, cui hæc ſcribuntur, potuit deficere.) *Sed & illi, ſi non per-*
manſerint in incredulitate, (ſed æmulatione gentium credi-
derint,) *inſerentur. Potens eſt enim DEUS rurſus inſe-*
24 *rere illos. Nam ſi tu ex naturali exciſus oleaſtrô* (ex
agreſti & ferâ gentilitate traductus) *& contra naturam inſer-*
tus es in bonam olivam (καλλιέλαιον;) *qvantò magis ii,*
qvi ſecundùm naturam (prognati ſunt è ſanctis parentibus)
inſerentur ſuæ olivæ? (imbuentur fide patrum ſuorum?)
25 *Nolo enim vos ignorare fratres hoc myſterium, ut non*
ſitis vobis ipſis ſapientes (ſomniantes Eccleſiam Romanam
non poſſe deficere,) *qvod cæcitas ex parte contigit Iſraël,*
donec plenitudo gentium intraret, (ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα
τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ, dum plenitudo gentium intret. ἄχρις οὗ, non-
nunqvam ſignificat dum, ut Hebr.3,13. ἄχρις οὗ τὸ σήμερον καλεῖται,
dum hodiè vocatur. Senſus eſt: non omnibus Iſraëlitis cæcitas obti-
git, ſed eatenus tantùm parti alicui, qvatenus ea gentium aſſumento
ſupple-

ſuppletur. Πλήρωμα enim notat etiam ſupplementum, Matth. 9,16.
Marc.2,21. qvem hîc ſenſum obtinere, collatio verſ.19. & contextus
arguit, de gentium ſubſtitutione in locum lapſorum Judæorum a-
gens.) *Et ſic* (ſupplentibus excæcatorum locum gentibus) *totus* 26
Iſraël (non carnis, qvi nunqvam, ſed præſcitus à DEO, i.e. DEI Iſ-
raël, Gal. 6,16.) *ſalvabitur. Sicut ſcriptum eſt* (Eſai. 59, 20.)
veniet ex Sion (& Sioni) ***Redemptor, & avertet impieta-***
tes à Jacob (& timebunt ab Occidente nomen Domini, & ab or-
tu Solis gloriam ejus.) *Et hoc illis à me teſtamentum* (Spi- 27
ritus meus, qvi eſt in te, ô Redemptor Sionis, & verba mea, qvæ po-
ſui in ore tuô, non recedent de ore tuô, & de ore ſeminis tui, dixit
Dominus, ex nunc & usqve in ſeculum,) *cùm abſtulero pecca-*
ta eorum, (per Redemptorem miſſum, ſicut etiam promiſi Eſai.
53,40. & 27,11.) *Secundùm Evangelium qvidem inimici* 28
propter vos; (Judæi excæcati, qvòd gentibus Evangelium annun-
ciari vident, inimici ſunt DEI, infenſantes legatos ejus.) *Secun-*
dùm electionem autem charisſimi propter Patres.
(Propter Patres à DEO electos, amat qvoqve filios eorum, modò gra-
tiam oblatam pertinaciter recuſare deſinant.) *Sine pœnitentiâ* 29
enim ſunt dona & vocatio DEI. (Non pœnitet DEUM do-
norum ſuorum, qvæ Judæis contulit, nec vocationis iſtius, qvâ
omnes ad regnum cœlorum vocavit. Ipſe fidelis manet, ſeipſum ne-
gare non poteſt, 2. Tim.2,13. Num.23,19.) *Sicut enim aliqvando* 30
& vos non credidiſtis DEO, nunc autem miſericor-
diam conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum,
(τῇ τούτων ἀπειθείᾳ in illorum infidelitate, dum ipſi infideles ma-
nent, ut ſuprà verſ.11.) *Ita & iſti* (Judæi πεπωρωμένοι) *nunc non* 31
crediderunt in veſtram miſericordiam (τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει,
veſtrâ, qvæ vobis præſtatur, miſericordiâ) *ut & ipſi miſericor-*

 diam

diam conſeqvantur, (ut qvùm miſericordiam, qvâ vos fruimi-
32 ni, ſuſceperint, & ipſi eâdem fide donentur.) *Concluſit enim*
Deus omnia (τȣ̀ς πάντας, omnes, & Judæos & gentes) *in incre-*
dulitatem, (omnes infideles ſunt, qvotqvot vivunt, homines, na-
turâ filii iræ, concluſi ſub peccatum & incredulitatem, juſto DEI ju-
dicio. Epheſ. 2,3. Gal. 3, 2. Pſal. 14. 53.) *ut omnium miſereatur*,
(omnes merâ miſericordiâ fidem & ſalutem conſeqvantur.)

Explicatâ doctrinâ de admirando DEI conſilio, circa Judæorum
gentiumqvè ſalutem, prorumpit in exclamationem epilogiſticam
Paulus, qvâ confitetur, immenſas eſſe divitias, profundamq; ſapien-
33 tiam & cognitionem DEI. *O*, inqvit, *altitudo divitiarum, &*
ſapientiæ & cognitionis DEI! q.d. tàm inexhauſtæ ſunt divi-
tiæ bonitatis, tamq; profunda conſilia DEI, ut nemo illam abyſſum
penetrare poſſit vel audeat. Nihil cuiqvam debet, nec licet ei dicere,
Qvid facis?

Probat primò de ſapientiâ & cognitione DEI, per interrogatio-
nes ἐκφωνητικάς. *Qvàm incomprehenſibilia ſunt judicia*
ejus? (qvæ non revelavit hominibus, ut cur Eſavo Jacobum, Iſaacum
Iſmaëli anteferat, cur olim Judæis tantam gratiam præ gentibus,
nunc gentibus præ Judæis qvamplurimis largiatur. Et qvæ revelavit
judicia, qvantum reconditi ſenſus habent, qvem nemo ſatis compre-
hendit?) *& inperveſtigabiles viæ ejus*, (Eſa. 55, 8.9. Pſalm.
147,5. Sirach. 42,17.18. ſi naturales, Job. 11,7. & 36,6. & 9,10. Eſa. 40,28.
qvantò magis cœleſtes? Sapient. 9,16. 17. Job. 5,9.10. Johan. 3,12.13.)
34 *Qvis enim cognovit ſenſum Domini?* (niſi qvantum ipſe
revelavit, Eſa. 40,13.14. 1. Cor. 2,16. Sap. 9,13.) *aut qvis conſilia-*
rius ejus fuit? (Solus enim Chriſtus & Spiritus cum Patre, qvi
tres unum ſunt, conſilium ſtatuerunt de omnibus ante ſecula, nemo
DEO conſiliarius, ſolus ipſe omnia ab æterno conſtituit ac decernit,
Eſai. 9,6. Proverb. 8,14.22. Eſa. 40,13. & 46,10. Pſal. 33,6.11.)

Secundò probat de divitiis, inexhauſtam eſſe earum profundi-
tatem, qvippe qvas à nullo habet DEUS, ſed omnes ab ipſo in omnes
ema-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

emanant. *Aut qvis prior dedit illi, & retribuetur ei?* 35
(Job.41,2.) *Qvoniam ex ipſo* (Patre,) *per ipſum* (Filium, Joh.
1,3. Col.1,16.17.) *& in ipſo* (Spiritu Sanctô, Pſal.33,6. Sap.1,7.) *omnia.*
Ipſi gloria (uni) *in ſecula. Amen.* 36

CAPUT DUODECIMUM.

DE SECUNDA PARTE DOCTRINÆ APOSTOLICÆ, QVOD FIDES PER OPERA PIETATIS ET DILECTIONIS EXERCENDA SIT.

POſtqvam ſingulari diligentiâ explicavit Paulus, juſtificari hominem gratis fide Evangelii JEſu Chriſti, absqve operibus, progreditur nunc ad docendum, qvam præclaros fides electorum, juſtificatorumq; fructus pariat, ſecundùm legem & mandata DEI, qvamq; DEO & proximo placere unicè ſtudeat.

Partes hujus Tractatûs tres ſunt, Exordium, cap.12,1.2. Expoſitio doctrinæ, à cap.12,3. usqve ad cap.15,13. & pro Epilogo votum, ut DEUS impleat in credentibus, qvod præſcripſit, cap.15,13.

I. Exordium incluſam habet Propoſitionem, & ad faciendam attentionem accommodatum eſt, itemq; benevolentiam. Utriq; enim rei ſervit obteſtatio per miſerationes DEI, & ſolemnis illa commendatio cultûs, qvem reqvirit, dum eum vocat rationalem, qvo ipſa corpora DEO in hoſtiam vivam, ſanctam & ſpiritualem conſecrantur.

Propoſitio in Exordiô latens effertur per ἄρσιν καὶ θέσιν. Negat enim & removet figuram & curſum hujus ſeculi, contraq; asſerit & ponit curſum veri Chriſtianiſmi, qvi eſt transformari renovatione mentis ſuæ, & probare, qvæ ſit bona, accepta & perfecta voluntas DEI.

Ἔκθεσις ſeu enarratio propoſitionis bimembris eſt. Primô membrô explicat voluntatem DEI generaliter, de officiis ipſi, proximoq; debitis, cap.12,3. usqve ad 13.

Deinde regulas tradit ſpeciales de officiis, ad certas hominum claſſes vitæq; ordines pertinentibus, à verſ.13. cap.12. usqve ad cap.
15,13. *Obſecro itaqve vos, fratres, per miſericordiam* 1
DEI,

DEI, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem
(non mortuam, ut olim vitulos & hircos) *ſanctam* (in ſpiritu)
DEO placentem (hoc enim ſacrificio verè delectatur DEUS, ſi
qvis ei ſeipſum offerat) *rationabile obſeqvium veſtrum.*
(τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν, rationalem cultum veſtrum, qvô intel-
ligenter DEUS colitur, non brutum in modum per bruti ſangvinis
effuſionem, absqve fide & ſpirituali cordis motu, Eſa.1,10. & 58,5. A-
mos 5,21.22. Mich.6,7.8. Pſal.50,16.17.18. Jerem.11,15. Eſa.66,3. Hoſ.6,6.
& 14,3. Mal.1,10.11. Pſal.51,19. & 69,3.32.) *Et nolite conformari*
2 *huic ſeculo,* (in cupiditatibus carnis, oculorum, & faſtu vitæ, 1.Jo-
han.2,15.16.) *ſed reformamini* (μεταμορφοῦσθαι, transformami-
ni, τῇ ἀνακαινώσει renovatione) *in novitate ſenſus veſtri,*
(ſicut renati eſtis, ita renovatione mentis transformamini qvotidiè
in imaginem Chriſti, non imitantes figuram mundi, 2.Corinth.3,18.)
ut probetis, qvæ ſit voluntas bona, & beneplacens, &
perfecta, (ut dijudicetis, & dijudicando experiamini, qvæ ſit bona
DEI voluntas, qvâ delectatur, qvamq́; perfectionem à vobis reqvirat,
& vos præſtare poſſitis maximam, Phil.1,10. Epheſ. 5,10.)

II. Enarrando hanc ſummam officiorum, collocat regulas qvasdam generales primo loco, qvibus explicat, partim doctrinam gratuitam de vero perfectoq́; uſu donorum DEI, partim de officiis communibus, tùm erga DEUM, tùm etiam proximum.

Primum, in uſu donorum DEI docet cavendam ſuperbiam, colendamq́; modeſtiam, verſ.3. & charitatem, verſ.4. Qvodq́; dicit, exornat juxta & confirmat elegantisſimo ſimili corporis ac membrorum humanorum, verſ.4.5.

Deinde regulas præſcribit, ſecundùm qvas dona adminiſtranda ſint ad voluntatem DEI, & utilitatem proximi, videlicet 1. Prophetia. 2. Miniſterium. 3. Doctrina. 4. Exhortatio. 5. Communicatio bonorum ſeculi. 6. Gubernatio aliorum. 7. Eleëmoſynarum
dilargitio. *Dico enim per gratiam, qvæ data eſt mihi,*
3 *omnibus qvi ſunt inter vos,* (παντὶ τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν, cuilibet

ve-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

veſtrûm) *non plus ſapere, qvàm oportet ſapere, ſed ſape-*
re ad ſobrietatem, (μὴ ὑπερφρονεῖν, παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ
φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, elegans agnominatio & commutatio)
unicuiqve ſicut DEUS diviſit menſuram fidei, (ex qva
reliqva manant dona.) *Sicut enim in uno corpore multa* 4
membra habemus, omnia autem membra non eundem
actum habent: Ita multi unum corpus ſumus in Chri- 5
ſto, ſinguli autem alter alterius membra. (1.Cor. 12,12. &c.
Eph.4,4.12.16.25.Col.2,19.) *Habentes autẽ donationes ſecun-* 6
dùm gratiam, qvæ data eſt nobis, differentes: ſive pro-
phetiam, (donum oracula DEI eloqvendi & explicãdi) *ſecundùm*
rationem fidei (κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, ſecundùm propor-
tionem fidei, unô antecellente alterum in dono iſtoc, ſic tamen ut o-
mnis prophetia ſit fidei unius, nec à communi fide diſſentiat,) *ſive* 7
miniſterium (publicum) *in miniſtrando* (donum habemus, ut
reliqvis membris inſerviamus,) *ſive qvi docet, in doctrinâ* (do-
num habet, qvod exerceat docendo alios, qvod neſciunt.) *Qvi ex-* 8
hortatur in exhortando, (ut faciant homines, qvod ſciunt.) *qvi*
tribuit (μεταδιδοὺς, communicat bona ſecularia, ut dives, vel admi-
niſtrator publici ærarii) *in ſimplicitate* (intentionis, ne gloriam
vanam aut lucrum inde captet, Matth.6,22. 2.Cor.8,2. & 9,11.13. Eph.
6,5.) *qvi præeſt* (ut gubernatores & ſeniores, 1.Cor.6,5. & 12,28.)
in ſollicitudine, (ſtudiô & diligentiâ.) *qvi miſeretur* (paſcendo
eſurientem, veſtiendo nudum, &c.) *in hilaritate.* (hilarem enim
datorem diligit DEUS, 2.Cor.9,7.)

Secundò, doctrina de officiis communibus conſtat regulis generalibus, duûm generum. Qvædam enim continent officia erga proximum, verſ.9.10.11. qvædam erga DEUM, verſ.11.12.

Nam proximo debetur primùm dilectio, qvam deſcribit à proprietatibus & ſtudiis ſuis, qvod oportet eam eſſe ſine dolo, adhæreſcere bono, odiſſe malum, fraterno paternoq; affectui aſſimilari,

verſ.9.10. Deinde debetur ei honor, verſ.10. Tertiò diligentia in offi-
ciô, verſ.11.

DEO ipſi debetur primùm fervor ſpiritus, tùm ſervitium opor-
tunum. Tertiò ſpei lætitia. Qvartò in afflictione patientia. Qvintò
in precibus perſeverantia, verſ.12.

9 *Dilectio ſine ſimulatione* (ἀνυπόκριτος) *eſto* (1. Tim.
1,5. 1.Joh.3,18.) *odientes* (ἀποστυγοῦντες, deteſtantes) *malum*,
adhærentes bono, (neqve enim dilectio malum laudare aut pro-
bare, ſed potiùs deteſtari debet, contrà verò bono adhæreſcere, Pro-
10 verb.27,5.6.) *Charitatem fraternitatis invicem diligentes*
(τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι, fraternâ charitate inter
vos naturali affectu amantes, ut patres fratresq; ſolent invicem. Be-
za vertit: Fraternâ charitate alii ad alios amandos propenſi.)
11 *Honore invicem prævenientes. Sollicitudine non pigri.*
(Proverb.23,29. & 24,11.30. & 28,19. & 12,11.)

Hisce officiis colitote proximum. *Erga DEUM eſtote*
ſpiritu ferventes (non frigidi, nec tepidi, Apoc.3,15.16.19. Act.
18,25. 2.Corinth.7, 11. & 11,2. Galat.4,18.) *Domino ſervientes.*
Sic & Chryſoſtomus legit & Complutenſis Codex, cum vulgatô In-
terprete & Bezâ. (Pleraqve tamen exemplaria Græca legunt, τῷ και-
ρῷ δουλεύοντες, tempori ſervientes, eaq; lectio probior. Significat
fervendum qvidem ſpiritu coram DEO, ſed ſic tamen ei ſerviendum,
ut temporis ratio habeatur. Nam fervor non omni tempore exerce-
tur, 2.Tim.2,24.25. Origenes, Ambroſius, Hieronymus, jam ſuis ſe-
culis geminæ hîc lectionis meminerunt. Eraſmo etiam magis arri-
12 det, tempori ſervientes.) *Spe gaudentes* (ſpe divini auxilii futu-
ræq; gloriæ, Phil.4,4. 1.Theſs.5,16. ſuprà cap.5,2.3.) *In tribulatio-*
ne patientes. (Matth.10,22. & 24,13. 2.Tim.2,12. Hebr.12,7. Jacob.
1,12. & 5,11. Luc.21,19. Hebr.10,36. 2.Petr.1,6. Apocal.13,10.)
Orationi inſtantes. (Luc.18,1. 1.Theſs.5,17.)

DE OFFICIIS SPECIALIBUS.

AD regulas officiorum ſpecialium qvod attinet, ea ſecundùm ob-
jecta

jecta digeruntur. Etenim primò deſcribuntur officia erga egenos, tùm qvosvis, tùm peregrinos & exules, verſ.13.

Deinde erga inimicos, per ϑέσιν καὶ ἄρσιν, verſ.14.

Tertiò, erga familiares, verſ.15.16.

Qvartò, erga maleficos & injuriarum auctores, verſ.17.&c.

Qvintò, erga magiſtratus, cap.13,1. &c.

Sextò, erga infirmos, cap.14,1. &c.

Septimò, erga ſcandali capaces, cap.14,13.

Egenis hæc præſtari jubet: *Neceſſitatibus ſanctorum* I.
communicantes (eſtote. Frangentes eſurienti panem, benefa- 13
cientes omnibus, maximè domeſticis fidei, Gal.6,10.Eſa.58,7.Matth. 25,35. Eraſmus: Neceſſitates dixit, non delicias. Nec tamen eſt ἀνάγκαις, ſed χρείαις, ne qvis putet, non niſi in extremâ neceſſitate ſubveniendum proximo.) *Hoſpitalitatem ſectantes.* (Hebr. 13,2. 1.Pet. 4,9.)

Inimicis, ait, benedicendum, non diras imprecandum. II.
Benedicite perſeqventibus vos, benedicite, & nolite 14
maledicere. (Matth.5,44. Luc.6,28. 1.Petr.2,23. & 3,9. niſi ſi qvem videatis peccare peccatum ad mortem, 1.Joh.5,16. Pſal.55,16. & 109, 6.7.&c.)

Cum familiaribus colenda primùm affectionum ſimilitudo,
ſicut ait: *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.* 15
(Luc.4,58. & 15,6.9. 1.Cor.12,26. Phil.2,17.18.Hebr.13,3. Sirach.7,38.39.) Deinde ſtudiorum & voluntatum conjunctio, qvemadmodum ait,
idipſum invicem ſentientes (1.Petr.3,8. infrà cap.15,5. 2.Cor. 16
13,11. Gal.5,10. Phil.2,2. & 3,16.) Tertiò modeſtia tenenda, ſuperbia & φιλαυτία vitanda. *Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes* (συναπαγόμενοι, ſimul deducti ad affectus inferiorum. Syrus: Adhæreſcite, ſeu adjungite vos depreſſis, dolore affectis.) *nolite eſſe prudentes apud vosmetipſos.* (Prov.3,7. Eſa.5.21. Prov.25,6.7. & 26,12. Sirach.3,19.20.)

Porrò improbis & injuriis primùm vetat referre malum; tuendam verò præcipit honeſtatem, ſicut in omnes, ſic ad illos. Tùm pa-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

cis ſuppeditanda media, qvantum in nobis eſt ſitum. Confirmatq; rationibus, qvod præcipit. Primùm argumentatur ab indecoro, qvia non eſt noſtrum arripere vindictam, ſed DEI eſt illam exercere, prout Moſis teſtimonio comprobatur verſ.19. Tùm ab inutili, qvia malefactoribus benefaciendo præclariſſimè nos ulciſcimur, teſte Salomone, verſ.20. Deniqve ab honeſtô & laudabili, per ἄρσιν καὶ θέσιν. Laudabile enim eſt, non vinci à malo, ſed vincere malum bono.

17 *Nulli malum pro malo reddentes*, (Matth. 5, 36. Pro-
verb.24,29. 1.Theſſal.5,15. 1. Petr.3,9.) *providentes bona* (addit
Vulgatus ex 2. Corinth. 8, 21. non tantùm coram DEO, ſed etiam
coram omnibus hominibus, (adeóq; etiam malis, ut diſcant à
18 vobis benefacere, non malefacere.) *Si fieri poteſt, qvod in
vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes*,
(niſi DEI gloria & ſalus publica diſſenſionem poſtulet, Hebr.12,14.
19 Pſalm. 34,15. & 139,21. & 119, 139. Matth.10,35.) *Non vosmetipſos
defendentes* (malè. ἐκδικȣ̃ντες eſt in fonte, i.e. vindicantes. Nam
defenſio privata non eſt prohibita, Exod.22,2. adverſus fures & latro-
nes vindicta eſt prohibita:) *chariſſimi, ſed date locum iræ
(DEI,) ſcriptum eſt enim* (Deut.32,35.) *Mihi vindi-
20 cta, ego retribuam, dicit Dominus. Si igitur eſurierit
inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum illi da. Hoc
enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus.*
(Proverb.25,21.22. i.e. atrociſſimam illi vindictam comparabis, ut
cœleſti fulmine conflagret, niſi te diligere incipiat. Nam גַחֲלֵי
de cœleſti igne uſurpantur, Pſal.18, 10.14. & 140,11. ideò addit; & Do-
21 minus reddet tibi.) *Noli vinci à malo*, (vinceris autem, ſi ma-
lum malo reddas, nec ſuperas malum, ſed auges,) *ſed vince
in bono malum*. (Contraria enim contrariis
ſuperantur, ſimilibus au-
gentur.)

CA-

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

CApite decimo tertio pertexuntur regulæ de officiis ſpecialibus, eorumq́; ſumma & caput oſtenditur eſſe dilectio, ac rationes proferuntur pariter, cùr juxta præſcriptum voluntatis DEI, non ſecundùm noſtræ carnis aut mundi deſideria ambulandum ſit.

Partes capitis duæ ſunt: Qvintum ſcilicet membrum regularum ſpecialium de officiis erga Magiſtratus, & ejus membri appendix, de perſolvendis cuiq́; tùm ſuperiori, tùm pari debitis, verſ.7.

Doctrina de officiis Magiſtratui exhibendis tribus abſolvitur partibus: Propoſitione, Confirmatione & Concluſione.

Propoſitio pulchrè antecedentibus connexa, qvibus privatam I.
ultionem interdixit, poteſtatibus ad vindictam exercendam ordina-
tis obediendum præcipit, his verbis: *Omnis anima poteſtati-* 1
bus ſublimioribus (ὑπερεχούσαις, ſuperiora tenentibus, præcel-
lentibus) *ſubdita ſit.* (Qvilibet poteſtati ſe ſuperiori obediat.)

Confirmatur tribus argumentis, à causâ efficiente, à conſeqven- II.
te pœnâ inobedientiæ, & à poteſtatum officiô propriô deſumptis.

Ab autore poteſtatis & eminentiæ ſic argumentatur: DEO eſt
obediendum. Poteſtates ſunt Dii. Qvippe à DEO ordinatæ, ut vices
ejus gerant in terris. Ergò poteſtatibus obediendum. Aſſumpti pro-
bationem illuſtrat converſione enunciati. Non enim tantùm ait,
qvæcunqve ſunt poteſtates, à DEO ordinatæ ſunt; verùm etiam, qvod
fortius, non eſt poteſtas, niſi à DEO. Ergò qvi reſiſtit poteſtati, ordi-
nationi DEI reſiſtit, qvod eſt impium. *Non eſt enim*, inqvit,
poteſtas (gladium ad vindictam gerens) *niſi à DEO. Qvæ* 2
autem ſunt, à DEO ordinatæ ſunt. (Non ait datæ aut per-
miſſæ, ſed ordinatæ ſunt. Nec ait omnes Principes ordinatos à DEO,
ſed poteſtatem. Qvemadmodum matrimonium eſt à DEO, ſed non
omnes conjuges jungit DEUS.) *Itaqve qvi reſiſtit poteſtati,*
ordinationi DEI reſiſtit. (Exodi 21,6. Pſal. 82, 1. 6. Joh. 10,34.)
Secundò conſeqventem pœnam his verbis indicat: *Qvi autem*

reſiſtunt, ſibiipſis damnationem (κρίμα) *acqvirunt.*
(Proverb.24,21.22.) Tertiò officium poteſtatum ait eſſe portare gla-
dium ad defendendum innocentes, puniendum nocentes & malos.
Qvi autem incutit pravis, laudem & honorem præſtat bonis, ei obe-
diendum, & qvidem benè agendo, ut laudem potiùs qvàm metum
3 ex eo officio reportemus. *Nam Principes non timori boni*
operis, ſed mali. (οὐκ εἰσὶ φόβος τῶν ἀγαθῶν ἔργων, non ſunt
terror bonorum operum.) *Vis autem non timere poteſtatem,*
4 *bonum fac, & habebis laudem ex eâ. DEI enim mini-*
ſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time.
Non enim ſine cauſa gladium portat. DEI enim mini-
ſter eſt, vindex in iram (DEI exeqvendam, ſuprà cap. 12, 19.)
ei, qvi malè agit. (1.Petr.2,13.14.)

III. Concluſionem hinc infert duplicem, unam propriam confir-
mationi antegresſæ, qvoniam ex prædictis ſeqvitur, neceſſariam eſſe
obedientiam, non tantùm propter iram DEI vitandam, ſed etiam
propter integritatem conſcientiæ conſervandam, qvæ conſervari
5 non poteſt, ſi qvis DEI ordinationem violet. *Ideò,* inqvit, *neceſ-*
ſitate ſubditi eſtote (ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, neceſſe eſt ſubjici)
non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam
(illibatam.) Alteram priori annexam ex eodem fundamentô infert,
nimirum pendenda eſſe vectigalia & tributa, qvòd poteſtates DEO
miniſtrent in defenſionem bonorum, & vindictam malorum, qvô
6 officiô citra grandes impenſos perfungi neqvit. *Ideò enim & tri-*
buta præſtatis. Miniſtri enim DEI ſunt, in hoc ipſum
ſervientes. (προσκαρτεροῦντες, fortiter incumbentes.)

Appendicem prioris membri voco doctrinam de perſolvendis
unicuiqve debitis, eò qvod ex illô dependet & manifeſtè deducitur.
Eſtq; trium partium.

7 Primâ continetur propoſitio, qvâ inqvit: *Reddite ergò*
omni-

omnibus debita. Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: cui timorem (debetis) *timorem; cui honorem, honorem.*

Altera propoſitionis explicatio, qvâ declarat eſſe aliqvod debitum, qvod nunqvam ita exſolvatur, ut non ampliùs debeatur, nimirum dilectio, cujus præſtantiam & præeminentiam demonſtrat enumeratione præceptorum ſecundæ tabulæ, & effectu ejus ampliſſimô.
Nemini qvicqvam debeatis, (ſeu tributi, ſeu alterius æris,) 8
niſi ut invicem diligatis. (Hoc enim tale debitum eſt, ut & ſemper exſolvatur, & ſemper adhuc debeatur.) Ratio eſt: *Qvia qvi diligit proximum* (τὸν ἕτερον, qvemcunqve alium) *legem implevit* (ſecundæ tabulæ.) *Nam, non adulterabis, non occi-* 9
des, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi qvod eſt aliud mandatum (ut, honora patrem & matrem, non concupiſces domum aut uxorem) *in hoc verbo inſtauratur* (ἀνακεφαλαιοῦται, tanqvam ſub unum caput redigitur:) *diliges proximum tuum ſicut teipſum.* (Levit. 19, 18. Matth. 22, 30.)

Altera ratio ducitur ex effectu, latiùs expoſito, 1. Cor. 9, 3. 4. 5.
Dilectio proximo malum non operatur. (Qvem enim amo, 10
ei nil niſi benè facio, qvi finis hujus legis eſt, ut benè faciamus aliis.) *Plenitudo ergò Legis dilectio.*

Tertia pars complectitur confirmationem, tùm qvinti membri, tùm reliqvorum antecedentium, eamq; deſumptam à decoro temporis & perſonarum. Tempus allegoricè deſcribit, vocans id, qvod præteriit, noctem; qvod appropinqvat, diem. Decorum perſonarum hoc eſt, ut qvi ſciunt diem approximare, è ſomno evigilent, tenebrarum opera relinqvant, arma lucis aſſumant.

Tractatur προτάσει καὶ ἀποδόσει. In protaſi tamen temporis conditionem ſtatim applicat ſimilitudini prolatæ, ſignificans ſalutem, i.e. perfectam & æternam animarum, juxta ac corporum beatitudinem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

tudinem nunc eſſe propiorem, qvàm anteà, ubi fides primùm cæpe-
rit in Romanis, ſpeciesq́; ipſa multò longiùs abfuerit. Nunc jam
multum noctis præteriiſſe, ſeu noctem proceſſiſſe, diem adventare,
perfectam vitæ æternæ lucem, cujus ſub Novo Teſtamento tanqvam
aurora & crepuſculum eſt. Ἀπόδοσις verſ.13.14. removet opera tene-
brarum, ut ebrietates, commeſſationes, cubilia, laſcivias, conten-
tionem, æmulationem, in qvibus ſtertunt filii hujus ſeculi. Ponit ar-
ma lucis, qvæ ſunt JEſus Chriſtus, nimirum qvà vitæ exemplum &
lux eſt, cui conformandi ſunt Chriſtiani, agentes curam carnis, ſed
11 non ad concupiſcentias, verſ.14. *Et hoc*, inqvit, *ſcientes tem-
pus, qvia hora eſt jam nos de ſomnô* (iniqvitatis Eph.5,14.)
ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra (ἐγγύτερον ὑμῶν ἡ
σωτηρία, propius nos eſt ſalus, ſive propius adeſt nobis) *ſalus*
(gloria æterna,) *qvàm cùm credimus* (initio. Semper enim
proficimus, propiùs ad metam vocationis accedimus, Phil.3, 13. 14.
Et tunc, qvùm crederemus primùm, ego & vos, longè adhuc aberat
12 ſalus, qvæ jam credentibus prope eſt.) *Nox* (tenebroſæ hujus vitæ)
proceſſit, (προέκοψεν non planè qvidem præteriit, proceſſit, al-
beſcitq́; cœlum,) *dies autem appropinqvavit*, (qvô lumine
hoc non ampliùs indigeamus, ſed DEUM clarâ facie intueamur,
2.Pet.1,19. Ejus diei jam lux qvædam præfulget in revelatione Novi
13 Teſtamenti, diesq́; merus, clarum manè ferit feneſtras.) *Abjicia-
mus ergò opera tenebrarum, & induamur arma lucis.
Sicut in die honeſtè* (εὐσχημόνως) *ambulemus* (1. Theſ. 5,4.5.
Epheſ.5,11.13.) *non in commeſſationibus & ebrietatibus*,
(Galat.5,21. 1. Petr. 4,3.) *non in cubilibus & impudicitiis*,
(qvæ ſunt noctis & caliginis illectamenta, Job.24,15.16. Sir. 23,25.26.)
14 *non in contentione & æmulatione*, (Luc.12,45.) *ſed indui-
te Dominum JEſum Chriſtum* (tanqvam vitæ univerſæ ex-
emplum, ſicut induiſtis eum baptizati tanqvam juſtitiæ donum, &
gloriæ veſtimentum, ſuprà cap. 6,2. Gal.3,27.) *& carnis curam
ne*

ne feceritis in deſideriis. (εἰς ἐπιθυμίας, ad deſideria, hoc eſt, carni qvidem curam & honorem impendite, ſed deſideria ejus neutiqvam alite aut fovete, Col.2,23. 1.Cor.9,27.)

CAPUT DECIMUM QVARTUM.

HOc capite ſextum & ſeptimum regularum ſpecialium membrum continetur, & præſcribuntur dilectionis officia, qvæ infirmis fide fratribus debent firmi, & vicisſim firmis infirmi.

Eſt caput bipertitum, conſtans geminâ propoſitione & confirmatione.

Prima præſcribit, qvid firmi infirmiq; invicem ſibi debeant. Altera qvid inprimis faciundum iis, qvibus à ſcandalô periculum eſt, verſ. 13.

Propoſitio ſic habet: *Infirmum autem fide asſumi-* 1
te, non in disceptationibus cogitationum, hoc eſt, asſumite eum tanqvam fratrem, cogitationes ejus non dijudicate aut disceptate, ut ptoptereà eum rejiciatis. (Syrus, μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν vertit ad ſenſum ſatis aptè: וְלָא תֶהְווֹן מְחַפַּלְגִין בְּמַחְשְׁבָתְכוֹן & ne ſitis diviſi in cogitationibus veſtris. Eraſmus vertit: Non ad dijudicationes disceptationum, hoc eſt, non in anxiis disceptationibus, per qvas futurum eſt, ut ille alienetur.)

Huic declarandæ ſubjicitur exemplum ſpeciale geminum: Unum de infirmitatibus fidei circa ἀδιαφορίαν ciborum; alterum circa indifferentiam dierum. Qvidam enim firmi fide ſtatuebant, licere omnibus veſci cibis: alii abſtinebant ſangvine & certis animalibus, ac ne qvâvis ratione polluerentur, veſcebantur oleribus. Similiter qvidam discrimen ponebant diebus, more Judæorum: alii æqvalem dierum ſanctitatem cenſebant. Apoſtolus utriqve exemplo generalem regulam de non judicando applicat, & qvàm firmo, tàm infirmo, alternam dilectionem præcipit, cum ſententiæ cujusqve πληροφορία ne qvis titubante conſcientiâ qvicqvam faciat.

Alius qvidem, inqvit, *credit manducare omnia,* 2
(qvidvis, ſublatô ciborum discrimine, Act. 10,13,15.) *qvi autem*

infirmus eſt (fide, metuens conſcientiæ, præter rem & rationem)
olus manducet, (ἐσθίει, manducat, ut qvondam vigente lege, Da-
3 niel legumina, Dan.1,8.12.) *Is qvi manducat* (ex firmitate fidei)
non-manducantem non ſpernat: & qvi non manducat,
manducantem non judicet. Alius qvidem judicat diem
inter diem (præter diem, παρ᾽ ἡμέραν, juxta diem, præ die, more
Judaicô,) *alius autem judicat omnem diem*, (gnarus discri-
5 men dierum ſublatum, Gal.4,10. Col.2,16.17.) *Unusqvisqve in*
ſenſu ſuô abundet (πληροφορείσθω, certus eſto, certus feratur.)

Confirmat hæc præcepta argumentis efficacisſimis, qvæ optan-
dum hodiernum in his ſimilibusq; controverſiis obſervari.

Primum ab indecoro argumentatur hoc pacto: Qvem DEUS
aſſumpſit, pariter ſervum aſſumpſit. Ergò neuter ſpernat alterum.
3 *DEUS enim*, inqvit, *illum aſſumpſit*. Illuſtrat ſimilitudine
domeſticâ & civili. Illi enim præter decorum faciunt, qvi alienos
ſervos judicant, dominorum ſibi jus & autoritatem, in qvos nefas
4 eſt, rapientes. Itaqve ſcribit: *Tu qvis es, qvi judicas alienum*
ſervum? Domino ſuo ſtat aut cadit. Stabit autem.
(σταθήσεται δὲ, ſtabilietur autem.) *Potens eſt enim DEUS*
ſtatuere illum. (Facilè eſt DEO imbecillem confirmare.)

Alterum argumentum petit à finis ſcopiq; unitate. Qvi enim
unum eundemq; finem ſibi habent propoſitum placendi DEO, in ope-
re nec præcepto, nec prohibito, illi etiamſi non idem faciant ſemper,
6 non tamen interſe condemnare debent. *At qvi ſapit diem*,
(ſapientiam diſtinctioni adhibendam cenſet, diem præ die curat,)
Domino ſapit, & qvi non ſapit diem, Domino non ſa-
pit. Et qvi manducat, Domino manducat. Gratias
enim agit DEO. Et qvi non manducat, Domino non
manducat, & gratias agit DEO, i.e. ambo firmus infirmusq;
unum idemq; ſpectant finem, ut DEO ſerviant. Unde conficitur con-
clu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

cluſio, non decere eos ſe damnare invicem. Aſſumptum confirmat
à totius Chriſtianiſmi fine, qvi eſt Domino vivere & mori, qvippe
qvem Chriſtus ſpectavit ipsâ morte & reſurrectione ſuâ. *Nemo* 7
enim noſtrûm ſibi vivit, & nemo ſibi moritur. Sive 8
enim vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Do-
mino morimur. Sive ergò vivimus, ſive morimur, Do-
mini ſumus. (Is eſt vita noſtra, & mors lucrum, Phil.1,21. Illius ſu-
mus, non noſtri, 1.Cor.6,19.20. Illi vivendum, non nobis, 2.Cor.5,15.)
In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, 9
(& revixit, καὶ ἀνέζησεν,) *ut & vivorum & mortuorum do-*
minetur, (claves habens inferni & mortis, Apocal.1,18. poteſta-
temq; & viventes & dormientes ſibi conformandi, 1. Theſſal.5,10.
Qvi igitur hunc principalem Chriſtianiſmi ſcopum tenent, de unius
alteriusq; rei ignorantiâ neqvaqvam ſunt condemnandi.)

Tertiò ratiocinatur, ex communitate judicis & judicii omnium.
Qvi enim omnes uni judici ac tribunali ſiſtendi ſunt, illos non par
eſt rigidis ſe invicem importunisq; ſententiis ferire. *Tu enim qvid* 10
judicas fratrem tuum, aut tu qvare ſpernis fratrem
tuum? (infirmum.) *Omnes enim ſtabimus ante tribunal*
Chriſti. Munit teſtimoniô Eſaiæ, & rationem deinde allatam re-
petit, in qvâ maximum eſt momentum. *Scriptum eſt enim* 11
(Eſa.45,23.) *vivo ego, dicit Dominus; qvoniam mihi ſe*
flectet omne genu: & omnis lingva confitebitur DEO
(cœleſtium, terreſtrium & inferorum. Omnes me DEUM fatebuntur,
qvantumvis inviti, Phil.2,10.) *Itaqve unusqvisqve noſtrûm* 12
pro ſe rationem reddet DEO. (1. Cor.4,5. 2. Corinth.5,10.)
Non ergò ampliùs invicem judicemus. 13

Septima ſpecialis regula eſt: Non eſt ponendum cuiqvam ſcan-
dalum aut offendiculum. Ad eam tranſit à præcedenti præceptione
ſatis

ſatis opportunè, qvia ei congratisſima eſt. *Sed hoc,* inqvit, *judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum.* Sed qvæ pacis ſunt, ſectemur, addit verſ.19. & qvæ ædificationis mutuæ. Explicat regulam, productô exemplô de cibis, ſuperiùs commemoratô.

14 *Scio & confido in Domino JEſu, qvod nihil commune eſt per ſeipſum, niſi ei, qvi exiſtimat qvid commune eſſe, illi commune eſt.* (DEUS omnem creaturam ſanctificavit homini, ut eâ cum gratiarum actione utatur: at qvi cenſet profanum qviddam & deteſtabile, ei abſtinendum eſt, ne conſcientiam ſuam violet, Matth.15,11. Act.10,15. 1.Cor.8,4.11.8.13. 1.Timoth.
15 4,4. Tit.1,15. 2.Corinth.11,29.) *Si autem propter cibum frater tuus contriſtatur, jam non ſecundùm charitatem ambulas.*

Confirmatur ergò propoſitio de vitando ſcandalo, rationibus qvinqve. Prima ducitur è charitatis regula, qvæ poſtulat, non afficere dolore fratrem ob rem leviculam. Si enim facio, qvod ipſe immundum ac profanum judicat, contriſto ejus conſcientiam, qvanqvam certus ſum licere illud facere, qvod facio. Loqvitur autem de fratre infirmo, non de pervicaci hoſte, aut falsô fratre Evangelii. Ei enim nec ad horam cedendum, ut veritas Evangelii à nobis ſtet, Gal.2,4.5.

Altera capitur à dilectione Chriſti. Nam pro qvo Chriſtus eſt mortuus, eum ſi perdam, pecco in Chriſtum. At ſcandalo perditur frater, pro qvo Chriſtus eſt mortuus. Ergò ſcandalo in Chriſtum peccatur. *Noli cibô tuô illum perdere, pro qvô Chriſtus eſt mortuus.* (Putans enim te peccare, alienatur à fide, qvam profiteris, aut conſcientiam ſuam commaculat idem factitando, qvod nefas cenſet eſſe, & ſic fide excidit, 1.Cor.8, 10.11.12.)

Tertiò, argumentatur à conſeqventi blasphemiâ rei bonæ, qvæ utiqve circumſpectè devitanda eſt. Si enim ſcientiâ & libertate qvis utatur ad ſcandalum, efficit libertatem ſcientiamq; blasphemari.
16 *Non ergò blaſphemetur bonum veſtrum.*

Qvar-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Qvartò, ex comparatione verorum regni DEI bonorum oſtendit, inſcientisſimè ea ob cibi potûsq; delectationem interverti. Qvi enim propter cibum ac potum excitat ſcandala, is verè bona Chriſtianiſmi, ob levicula iſta & tranſitoria, ſibi aliisq; intereludit, qvibus rebus nihil ſtultius. Argumentum ejusmodi eſt: In qvibus rebus regnum DEI propriè non conſiſtit, propter eas ſcandalum excitari nefas eſt. At in cibo potuq; non conſiſtit, aut in ſimilibus adiaphoris, nec præceptis, nec prohibitis. Ergò ob ea ſcandalum excitari, nefas eſt. *Non eſt enim regnum DEI eſca aut potus, ſed ju-* 17
ſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto, (de qvibus
ſuprà cap. 4. 5.) *Qvi enim in his ſervit Chriſto, placet Deo,* 18
& probatus eſt hominibus. (Eſca autem nos non commendat DEO, neqve enim, ſi manducaverimus, abundabimus gratiâ apud DEUM, neqve ſi non manducaverimus, deficiemus, 1. Corinth. 8, 8.)
Itaqve qvæ pacis ſunt (ſpiritualis, qvâ DEO placemus,) 19
ſectemur, & qvæ ædificationis ſunt invicem, (ut alter alterius juſtitiam gaudiumq; adaugeat in Domino.) *Noli propter* 20
eſcam deſtruere opus DEI.

Hoc qvintum argumentum erit, à pernicioſo effectu ductum. Opus DEI in homine eſt pax & gaudium Spiritûs Sancti. Qvi autem fratrem contriſtat aut alienat à ſe, cibi gratiâ, opus DEI in ipſo deſtruit, qvemadmodum exemplo oſtenditur. *Omnia qvidem ſunt munda, ſed malum eſt homini, qvi per offendiculum manducat.* (ſuprà cap. eod. verſ. 14.) *Bonum eſt non* 21
manducare carnem, & non bibere vinum, neqve in qvo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur.

Seqvitur objectionis occupatio ſeu prolepſis. Objectio eſt: At ego credo, permisſum eſſe à DEO qvidvis manducare & bibere, modò ipſi agantur gratiæ? Reſpondet Apoſtolus: *Tu fidem habes?* 22

 Penes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Penes temetipſum habe coram DEO, (1. Cor. 10, 25. 26. &c.) *Beatus qvi non judicat*, i.e. *damnat ſeipſum, in eo qvo probat*, (Beatus qvem proprium cor non condemnat, qviq; certus eſt ſe DEO ſervire, nec fluctuat, utrum illi, an alii ſerviat,)
23 *qvi autem diſcernit* (cibos prohibitos judicans aliqvos) *ſi man-*
ducaverit (illicitum) *damnatus eſt, qvia non ex fide*, (ſtatuente ex verbo DEI, mundo omnia munda eſſe, Tit. 1, 15.) *Omne autem, qvod non ex fide, peccatum eſt*. h. e. qvi ignarus divini verbi aliqvid facit, neſciens utrum placeat DEO in Chriſto JEſu hoc faciens, nec ne, peccat. Nihil enim DEO acceptum, niſi qvod ex fide proficiſcitur, Hebr. 11, 6.

CAPUT DECIMUM QVINTUM.

ADhuc perſeqvitur doctrinam de cavendo ſcandalo, novisq; eam argumentis corroborat, usqve ad verſiculum 14. Deinde ad Epiſtolæ colophonem procedit, cujus pars hoc capite continetur.

Sextum igitur argumentum adverſus ſcandalum, pro ædificatione infirmorum, petit à debito charitatis & humilitatis Chriſtianæ.
1 *Debemus enim nos firmiores imbecillitates infirmorum*
ſuſtinere, & non nobismetipſis placere. (Qvi autem alterius infirmi onus in ſe ſuſcipit, neqvaqvam illud ſcandalo aggravat, nec inflatus ſuâ ſcientiâ, proximi ædificationem negligit, Galat. 6, 1. 2. 5. 1. Cor. 8, 1.)

Septimum ducit ab exemplo Chriſti, qvô nullum eſt valentius apud verè Chriſtianos. Sicut enim Chriſtus nos aſſumpſit, ſic nos mutuò ſuſcipere tenemur. Chriſtus non ſibi placuit, ſed probra noſtra portavit. Ergò & nos aliorum onera portemus. Chriſtus id fecit gloriæ DEI. Nos ſimiliter. Majorem confirmat à totius Scripturæ, cujus primarium argumentum Chriſtus eſt, ſcopo, ad noſtram ædificationem & gloriam DEI directo, (verſ. 4.) & adjunctô votô, qvô, qvanti faciat hunc finem, qvantumq; de eo laborandum putet, indicat, verſ. 5. 6.

Aſſum-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Aſſumptionem exempli Chriſti probat paulò fuſiùs, in Judæis pariter ac gentibus: atqve hoc pacto vult docere, Judæis cum gentibus pacem eſſe colendam, ad Chriſti, amborum Salvatoris, imitationem, DEIq́; gloriam. Declarat ergò primùm, ſerviiſſe Chriſtum circumciſis, ſecundùm promisſiones patribus factas; deinde etiam gentibus ex miſericordiâ, & utroqve beneficio gloriam DEO promoviſſe. Idq́; confirmat qvatuor teſtimoniis, duobus Pſalmorum, verſ.9.11. uno Moſis, verſ.10. & qvarto Eſaiæ, verſ.12.

Unusqvisq; veſtrûm proximo ſuo placeat in bonum, 2.
ad ædificationem. (Nam in malo & ad deſtructionem, qvi homi-
nibus & ſibiipſi placet, DEI Chriſtiq́; ſervus non eſt, Galat.1,10.)
Etenim Chriſtus non ſibi placuit, (cùm ſolus juſtus ac in 3
formâ DEI eſſet, non ſemet exaltavit, contemtis fratribus, Phil.2,5.)
ſed ſicut ſcriptum eſt (Pſal.69,10.) *Improperia impropc-
rantium tibi ceciderunt ſuper me.* (Probra hominum alio-
rum, qvibus te affecerunt, qvibusq́; vicisſim afficiendi ſunt juſto ju-
dicio tuo, in me translata ſunt, Eſa.53,6.) *Qvæcunqve enim* 4
ſcripta ſunt (anteà, προεγράφη) *ad noſtram doctrinam
ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem Scri-
pturarum,* (in Scripturis traditam) *ſpem* (ſalutis) *habeamus.*
DEUS autem patientiæ & ſolatii (ſcripturis præſcripti) 5
det vobis idipſum ſapere in alterutrum (inter vos invicem,
ἐν ἀλλήλοις) *ſecundùm JEſum Chriſtum.* (Ipſe faxit, ut
unum ſentiatis in Chriſto, nec disſideatis ampliùs ſententiis, ſed in
omnibus fidei partibus, minimis maximis amanter conſpiretis,)
ut unanimes, unô ore, honorificetis DEUM, & Patrem 6
Domini noſtri JESU Chriſti. (Qvi finis eſt conſenſionis &
concordiæ, ſollicitè ab omnibus attentéq; ſpeculandus.) *Propter* 7
*qvod ſuſcipite vos invicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit
vos, in honorem Dei,* (cùm peccatores infirmiq́; eſſetis, Rom.5,
6.7.8.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Jam commemorat, qvomodo nos receperit Chriſtus, tàm gen-
8 tes, qvàm Judæos, qvantoq; cum fructu gloriæ DEI. *Dico enim,*
JESUM Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis,
(miniſtrâſſe Judæis circumciſis, miſſum ad oves perditas domûs
Iſraëliticæ, Matth. 10, 6. & 15, 24. & 20, 28. tùm ut prædicaret ipſe eis
Evangelium, tùm ut legem impleret, tùm ut miraculis ad fidem adi-
geret,) *ad confirmandas promiſſiones patrum,* (qvibus
Meſſias ex ipſis pullulaturus prædicitur, in Judæâ Galilæâq; (Eſai.
9, 60.) in templo Hieroſolymitano, ut Hagg. 2. Malach. 3. conciona-
turus miraculaq; editurus, & ſceptrum regni ſui de Zione miſſurus
in reliqvum orbem terrarum, Eſa, 2, 3. Mich. 4, 2. Pſalm. 2, 6. & 50, 3. &
1 0, 2. Similiter per Judæos omnes alias gentes regno ſuo ſubditurus,
Pſal. 87. & 45, 17. Eſai. 2, 3. & 27, 6. & 29, 18. 22. 23. & 44, 5. & 49, 6. Zach.
9 8, 23. & 9, 13.) *Gentes autem ſuper miſericordiâ bonorare*
DEUM, (qvod patribus eorum nulla ejusmodi obtigit. Nam
alioqvin, tàm Judæi, qvàm gentes, in miſericordiâ ſalvantur, ſuprà
cap. 11, 31. 32. Gentes autem ſolâ miſericordiâ, Judæi etiam veritate
promiſſionum interveniente,) *ſicut ſcriptum eſt: Propterea*
confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo cantabo.
(David Pſalm. 18, 50. cujus Pſalmi jam in gentibus decantantur.)
10 *Et iterum dixit: Lætamini omnes gentes cum populo*
ejus, (Moſes Deut. 32, 45. Cantate gentes, populus ejus, i.e. Cantate
11 gentes cum populo ejus.) *Et iterum: Laudate omnes gen-*
tes Dominum, & magnificate eum omnes populi.
(Pſal. 117. Qvoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus, & ve-
12 ritas Domini manet in æternum, Halleluja.) *Et rurſus Eſaias*
ait, (cap. 11, 10.) *Erit radix Jeſſæ, & qvi exurget regere*
gentes, (לְנֵס ad vexillum, qvô reguntur gentes,) *in eo gentes*
ſperabunt, (& ſpe illum reqvirent.)

Confirmatis hactenus exhortationibus, tùm ſpecialibus, tùm
generalibus, ſubjicit Epilogum, qvô orat DEUM, ut impleat in eis,
qvod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

qvod præſcripſit. *DEUS autem ſpei* (qvam habent gentes) 13
repleat vos omni gaudiô & pace (veris regni Chriſti theſauris, ſuprà cap.14,17.) *in credendo; ut abundetis in ſpe, in virtute Spiritûs Sancti.* (vi Spiritûs ſui adaugeat in vobis ſpem futuræ gloriæ, ut in eâ ſpe ac fide lætemini ſemper, ac pacem habeatis, tùm apud DEUM, tùm apud homines.)

EPILOGUS EPISTOLÆ.

EXpeditis omnibus, qvæ tàm fidem, qvàm mores Romanorum formare ac firmare poterant, tranſit ad Colophonem Epiſtolæ D. Paulus, qvem benevolentiæ attentioniq; coaptavit.

Primò commendat ipſam Epiſtolam ab autoris erga Romanos ſtudiô, itemq; reliqvas gentes, cum eximiâ felicitate conjunctô, donata hucusqve à DEO ad gentium converſionem, nec minùs porrò ſperandâ.

Deinde commendat amicos, partim juvandos, partim ſalutandos, cap.16,1. ad 16.

Tertiò conciliat ſibi ipſos Romanos adhortando, conſolando, ſalutando, benedicendo, à verſu 16. ad 25.

Deniqve laudat DEUM Optimum Maximum, verſu 25.26.27.

Primum Epilogi membrum hoc capite tractatur, qvô & autoritatem facit Epiſtolæ, & cur ipſe non veniat ad Romanos, rationem reddit.

Autoritatem Epiſtolæ conciliat, partim cauſa ſcriptionis, partim vocatio Pauli, ejusq; fructus longè uberrimus.

In explicatione cauſæ tollit falſam, & ponit veram. Concedit verò non eſſe Romanorum inſcitiam in causâ, ſed confirmationem potiùs, majoremq; certitudinem. Eam verò ſibi meritò cordi curæq; eſſe, oſtendit ex ſuâ vocatione, ejusq; fine, qvòd nactus ſit ſingulare ſacerdotium, ut per Evangelium gentes DEO offerat & ſanctificet, verſ.16. Ejus fructum hactenus perceptum commemorat, & amoliendæ ſuſpicioni arrogantiæ, autorem ejus principalem & inſtrumenta copioſius deſcribit verſ.17.18.19. Nimirum DEUM Patrem, JESUM Chriſtum, & Spiritum Sanctum, tanqvam cauſam principaliter

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

operantem: Media verò verbum & miracula. Tùm effectum ipſum
veraciter explanat, obedientiam eſſe gentium à Jeroſolyma usqve ad
Illyricum, & qvidem earum, inter qvas Chriſtus nondum fuerat no-
minatus, verſ.19.20. additâ Eſaiæ prophetiâ, hôc modô propriè im-
pleta, verſ.21.
14 Benevolentiæ & charitati eſt, qvod ait: *Certus ſum autem,
fratres mei, & ego ipſe de vobis, qvoniam & ipſi pleni
eſtis dilectione* (ἀγαθωσύνης, bonitate, benignitate,) *repleti
omni ſcientiâ, ita ut posſitis alterutrum monere*,
(habentes veſtros Doctores, Andronicum & Juniam, inſignes inter
15 Apoſtolos, eisq; ſimiles.) *Audacius autem ſcripſi vobis*
(ignotus ignotis ſecundùm carnem) *ex parte* (præſertim de non
judicandis fratribus, aut ſpernendis) *tanqvam in memoriam
vos reducens* (ὡς ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς, velut commonefaciens
vos) *propter gratiam, qvæ data eſt mihi à DEO, ut
16 ſim miniſter Chriſti JEſu in gentes, ſanctificans* (ἱερουρ-
γοῦντα, ſacrificans) *Evangelium DEI, ut fiat oblatio gen-
tium accepta, ſanctificata in Spiritu Sancto.* (Juſſus ſum
operari Evangelio, tanqvam ſacrificio omnibus in locis, pro gen-
tium converſione peragendo, ut per illud ipſæ, velut luſtratæ & pur-
gatæ, DEO offerantur corpore juxta & ſpiritu, Malach. 1,11.)
17 *Habeo igitur gloriam* (καύχησιν, gloriationem) *in Chri-
ſto JEſu* (non in me, ſed in ipſius gratiâ, 1.Cor.15,10.31.) *ad Deum.*
18 *Non enim audebo aliqvid loqvi eorum, qvæ per me non
effecit Chriſtus, in obedientiam gentium, verbô & fa-
19 ctis, in virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute
Spiritûs Sancti* (omnia in omnibus operantis, 1. Cor.12,11. Ori-
genes in h.l. Nolim alienorum factorum laudem mihi arrogare, tan-
tùm ea dicam, qvæ per me effecit Chriſtus.) *Ita ut ab Jeruſa-
lem*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

lem per circuitum, usqve ad Illyricum (qvod attingit Ma-
cedonia) *repleverim Evangelium Chriſti,* (peregerim Ev-
angelizandi munus à Judæâ, unde exivit verbum, per Syriam, Ara-
biam, Cyprum, Ciliciam, Aſiam, Phrygiam, Pamphiliam, Galatiam,
Græciam, Achaiam, Macedoniam.) *Sic autem prædicavi Ev-* 20
angelium hoc (οὕτω δὲ φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι, ita verò am-
biens Evangelizare) *non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſu-
per alienum fundamentum ædificarem,* (1. Corinth. 3, 10, 11.
2. Cor. 10, 15, 16. ipſe ſtudioſus jacere paſſim fundamentum nominis
JEſu Chriſti,) *ſed ſicut ſcriptum eſt:* (Eſa. 52, 15.) *qvibus non* 21
*annunciatum eſt de eo, videbunt, & qvi non audierunt,
intelligent.*

Secundò, jam rationem reddit, cur ad Romanos pridem non acceſſerit, ſicut ad reliqvas gentes.

Ac primùm ſe impeditum ſcribit, ante citatâ prophetiâ, ſecundùm qvam decreverit iis Evangelizare, qvi nihil dum audiverant de Chriſto, verſ. 22. Deinde promittit ſuum adventum, ejusq; cauſam indicat triplicem, nimirum qvòd in Orientalibus climatis locum non habeat ampliùs vacuum, gentibus illis jam Evangelio imbutis, tùm qvod deſideriô Romanos viſendi flagret jam à multis annis, & deniqve qvòd in Hiſpaniam profecturus, commodiſſimè ad illos adire qveat, verſ. 23. 24. Tertiò, cur non ſtatim advolet, exponit. Obſtare enim iter Jeroſolymitanum, cujus cauſam prædicat tanqvam neceſſariam, piam & juſtam, verſ. 25. 26. 27. eôq; peractô ſeſe ipſis affuturum, denuò ſignificat verſ. 28. 29. Qvartò, ne novum oboriatur impedimentum, preces illorum ingenti ſtudiô deſiderat, triplici nomine, partim ut eripiatur ab infidelibus in Judæâ, verſ. 30. 31. Partim ut miniſterium ſuum ſanctis efficiatur gratum, verſ. 31. partim ut cum gaudiô ad Romanos veniat, verſ. 32.

Poſtremò finit hanc partem Epilogi benedictione Apoſtolicâ, verſ. 33. Obſtaculum ſibi ex inſtitutô Evangelizandi objectum ita
explicat: *Propter qvod & impediebar plurimùm venire* 22

23 *ad vos*, (qvibus Evangelium ſciebam innotuiſſe.) *Nunc verò*
ulterius locum non habens (Evangelio vacuum) *in his re-*
gionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos
ex multis jam præcedentibus annis, (præcedentibus redun-
24 dat, Actor.19,21. Rom.1,13.) *Qvùm itaq; in Hiſpaniam pro-*
ficiſci cæpero, (ubi Evangelium nondum percrebuit,) *ſpero,*
qvòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc
(additis comitibus, aliisq; neceſſariis,) *ſi vobis primùm ex*
parte fruitus fuero, (ἐὰν ὑμῶν πρῶτον ἀπὸ μέρους ἐμπλησθῶ,
ſi veſtri priùs ex parte aliqvâ expletus fuero, per mutuam fidem &
25 conſolationem, ſuprà cap. 1, 11.12.) *Nunc autem proficiſcor*
Jeruſalem miniſtrare (miniſtrans, διακονῶν) *ſanctis,*
26 (2.Cor.9,4. Act.20,4.) *probaverunt enim* (εὐδόκησαν) *Mace-*
donia & Achaia collationem aliqvam facere in paupe-
res ſanctorum, (i.e. in eos ſanctorum, qvi pauperes & egeni ſunt)
27 *qvi ſunt in Jeruſalem. Placuit enim eis, & debitores*
ſunt eorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes fa-
cti ſunt gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis.
(1. Cor.9,11. 2.Cor.8,4.&c. De Sione enim exivit lex, & verbum Do-
mini de Jeruſalem. Ac diſperſi propter Evangelium Jeroſolymitæ
28 omnium carnalium jacturam fecêre, Act.8,1.4.& 11,91.) *Hoc igitur*
qvùm conſummavero, & aſſignavero (σφραγίσας, obſi-
gnavero, i.e. certum tutumq; effecero) *eis fructum hunc*
29 (Evangelii) *per vos proficiſcar in Hiſpaniam. Scio qvo-*
niam veniens ad vos, in abundantiâ benedictionis Ev-
angelii Chriſti veniam, (largam Evangelii benedictionem ad-
feram ad vos.)

30 Inſtat nunc precibus eorum poſcendis. *Obſecro ergò vos,*
fra-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

fratres, per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, &
per charitatem ſpiritus, (1.Tim.1,7. Col.1,13. Phil.2,1. propter
Chriſti & Spiritûs communionem,) *ut adjuvetis me,* (συναγω- 31
νίσασθαί μοι, ſuſtineatis certamen mecum) *in orationibus pro*
me ad DEUM, ut liberer ab infidelibus, qvi ſunt in
Judæâ, (2.Theſs.3,2. 1.Theſs.2,15.16. à qvibus ingentia mihi pericu-
la imminere, Spiritûs revelatione cognovi, finem exitumq; igno-
rans, Act.20,22.23.) *& obſeqvii mei oblatio* (adminiſtratio mea,
ἡ διακονία μου) *accepta fiat in Jeruſalem ſanctis* (ubi ſunt,
qvi apoſtatam me legis vociferantur, Act. 21,21.) *Ut veniam ad* 32
vos in gaudio (non in vinculis, ut poſteà factum. Sed commendo
omnia voluntati DEI) *per voluntatem DEI, ut refrigerer*
vobiscum. (συναναπαύσωμαι, unà reficiar.) *DEUS autem* 33
pacis ſit cum omnibus vobis, Amen.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

HOc capite reliqvas Epilogi partes pertexit Apoſtolus. Commendat enim bajulam Epiſtolæ Phœben, cum aliis amicis, qvos ſalutari jubet. Tùm Eccleſiæ ipſi ſingularia qvædam monita colophonis locô inſtillat. Tandem doxologiâ totam Epiſtolam claudit.

Commendationes qvod attinet, partem Epilogi alteram, ſunt illæ variæ. Una ſingularis, ſpectans Phœben, qvam deſcribit ab officiô & diligentiâ, petitq; ei amicitiam & auxilium à Romanis. Reliqvæ ſalutationes qvidem ſunt omnes, ſed admixtas habent ferè deſcriptiones συστατικάς, & elogia ſalutandorum ſingularia. Suntq; numero XVI.

Commendo autem vobis Phœben, ſororem no- 1
ſtram, qvæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, qvæ eſt in Cen-
chreis. (Fungitur officio Diaconæ, inſerviens ægrotis, pauperibus,

exulibus, hoſpitibus Eccleſiæ ſumptu publicô, 1.Timoth.5,9. Eccle-
ſiæ qvæ eſt Cenchreis, oppido Iſthmi ad ſinum Corinthiacum. Pli-
2 nius Nat. hiſt. libro 4. cap. 4.5. Act. 18,18.) *Ut eam ſuſcipiatis in*
Domino dignè ſanctis, & aſſiſtatis ei, in qvocunqve
3 *negotio veſtri indiguerit. Etenim ipſa qvoqve adſtitit*
(προστάτις ἐγενήθη, curatrix exſtitit) *multis & mihi ipſi*, (dum
ex ſinu Corinthiacô in Aſiam iter inſtituo.) Commendationi Phœ-
bes ſubjungit catalogum amicorum, ſalute impertiendorum Romæ,
ut declaret, qvi pretiô atqve imitatione digni ſint. Primum locum
capiunt Aqvilas & Priſcilla, qvorum officium fidemq́; eximiam, nec
non autoritatem & gratiam, qvâ pollent apud Eccleſias, commemo-
rat. Fuerunt enim inprimis Paulo familiares, ut patet Act. 18,2.18.26.
4 & 1.Cor.16,19. *Salutate*, inqvit, *Priſcillam & Aqvilam*,
adjutores meos in Chriſto JEſu, (Corinthi, Epheſi & Philip-
pis,) *qvi pro animâ meâ ſuas cervices ſuppoſuerunt*,
(facti gravisſimorum periculorum participes,) *qvibus non ſolus*
ego gratias ago, ſed & cunctæ Eccleſiæ Gentium,
(qvarum non paucas mecum obierunt,) *& domeſticam Eccle-*
ſiam eorum.

Secundum locum dat Epæneto, dilectum appellans, & primum
Achaiæ Chriſtianum. *Salutate Epænetum, dilectum mibi*,
5 *qvi eſt primitivus* (ἀπαρχὴ, primitiæ) *Achaia* (malè Vul-
gatus legit Aſiæ) *in Chriſto*.

6 Tertium Mariæ, cujus laudat induſtriam. *Salutate Ma-*
riam, qvæ multùm laboravit in nobis, (magnas noſtrâ cau-
ſâ moleſtias ac labores pertulit.)

Qvartum Andronico & Juniæ, qvos cognatos, concaptivos, in-
ſignes inter Apoſtolos dicit, & antiqviores ſeipſo diſcipulos Chriſti
JEſu. *Salutate Andronicum & Juniam, cognatos meos*
7 (è tribu Benjamin) *& concaptivos meos* (neſcitur ubi) *qvi*
ſunt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſunt nobiles (ἐπίσημοι) *in Apoſtolis* (iis, qvos Chriſtus præter duodecim illos omnium primos, & λίαν Ἀποςόλȣς, 2. Cor. 11, 5. delegit, emiſitq; in orbem terrarum, cum conſtituto loco in monte Galilææ, ſe plus qvàm qvingentis fratribus patefaceret, Matth. 27, 16. 1. Corinth. 15. 6.) *qvi & ante me fuerunt in Chriſto* (haud dubiè è LXX. diſcipulis, qvos aliqvi falsò ſuſpicantur defeciſſe, Luc. 10, 1. 20.)

Qvintum tribuit Ampliæ, qvem in amore ſibi eſſe teſtatur.
Salutate Ampliatum (meliora exemplaria legunt Ἀμπλίαν) 8
dilectiſſimum mihi in Domino.

Sextum Urbano. *Salutate Urbanum, adjutorem no-* 9
ſtrum.

Septimum Stachy. *Et Stachyn dilectum meum.*

Octavum Apelli, qvem laudat ab experientiâ. *Salutate A-* 10
pellen, probum (δόκιμον, probatum, periculis puta & ærumnis) *in Chriſto.*

Nonum domeſticis Ariſtobuli, qvi non videtur Chriſtianus fuiſſe, nec omnes domeſticos habuiſſe Chriſtianos, ſed aliqvos tantummodò. Fortè fuit ex Herodis poſteris. Ait enim: *Salutate eos, qvi ſunt ex Ariſtobuli.* (Ariſtobuli puta domeſticis.)

Decimum aſſignat locum Herodioni. *Salutate Herodio-* 11
nem cognatum meum. (Judæum, ſangvinis neceſſitudine mihi junctum.)

Undecimum locum tenent Narciſſi (fortè potentis illius liberti apud Claudium, qvem Agrippina mater Neronis, ante ſcriptam hanc Epiſtolam, ad mortem egerat, Tacitô teſte lib. 3. Annalium) domeſtici. *Salutate eos, qvi ſunt ex Narciſſi domô, qvi ſunt in Domino,* (non de mundo.)

Duodecimum occupant Tryphæna & Tryphoſa, qvas non deliciari, ſed laborare ait in Domino. *Salutate Tryphænam &* 12
Tryphoſam, quæ laborant in Domino. Ad-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Additur decima tertia Perſis. *Salutate Perſidem chariſſimam, qvæ multum laboravit in Domino.*

Inde decimus qvartus eſt Rufus, qvem vocat electum. Fuit fi-
13 lius Simonis Cyrenæi, Marc. 25,21. *Salutate Rufum electum in Domino, & matrem ejus & meam.* (Fortè Paulo materna præſtitit officia, cùm Jeroſolymæ ſacris ſtudiis operaretur.)

Decimum qvintum locum attribuit qvinqve fratrum collegio,
14 ſociisq; ipſorum. *Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Herman, Patroban, Hermen, & qvi cum eis ſunt fratres.*

Deniqve conjungit iterum qvinq; fratres, cum illorum familia-
15 ribus. *Salutate Philologum & Juliam, Nereum, & ſororem ejus, & Olympiadem* (ὀλυμπᾶν, Olympam) *& omnes, qvi cum eis ſunt, ſanctos.*

Claudit hanc partem ſalutatione generali tùm Romanorum omnium mutuâ, tùm Eccleſiarum exterarum ad ipſos deferendâ.
16 *Salutate invicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti.*

Tertia pars monita continet poſtrema, tùm ipſius Apoſtoli, tùm aliena.

Nam primùm ipſe monet cavere à falſis Doctoribus, deviantibus à doctrina ſemel recepta; qvos deſcribit partim à facinoribus ſuis, qvod diſſenſiones & ſcandala excitent, verſ. 17. partim à ſcopo eis fixo, qvòd non Chriſto, ſed ventri ſuo ſerviant, verſ. 18. partim ab attributis, qvòd blandiloqventiâ fictisq; laudibus decipiant homines non malos. Ibidem.

17 *Rogo autem vos fratres, ut obſervetis eos, qvi diſſenſiones & offendicula præter doctrinã, qvam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis.*
18 *Hujuscemodi enim Chriſto JEſu Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri* (Phil. 3,19.) *& per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ducunt corda innocentium, (ἀκάκων, ſimplicium, puerorum inſtar, ut mox verſ.19. innuit, & Epheſ.4,14. per ſe non malorum, niſi impoſturis capiantur.)

Secundò, collaudans Romanorum obedientiam in Evangelio, omnium ore celebratam, ſinceritatem ſapientiâ eſſe condiendam admonet verſ.19. Promittens pariter victoriam de Satanâ, inprimis Romæ graſſante, reportandam per DEUM. Sic denuò eis gratiam DEI precatur, ut ſupra cap.15. verſu ultimo.

Veſtra enim obedientia in omnem locum divulga- 19
ta eſt, (ut ex urbe principe) *gaudeo igitur in vobis* (Rom.1,8.)
ſed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo,
(ἀκεραίους εἰς τὸ κακὸν, ſinceros ad mala, prudentes ut ſerpentes, ſim-
plices ut columbas, Matth. 10,16. malitiâ pueros, mentibus perfe-
ctos, 1. Cor. 14, 20.) *DEUS autem pacis conterat* (conteret, 20
συντρίψει,) *Satanam ſub pedibus veſtris velociter.*
(Satanam, cujus Romæ thronus eſt, Apoc.13,2. contritum caput, Ge-
neſ.3,15. inſidiantem calcaneo mulieris, Chriſto plenæ, planè dejiciet,
veſtrisq; pedibus ſubſternet, Imperatore ipsô aut ſublatô, ſi nolit
Chriſto obſeqvi, aut in obſeqvium fidei redactô cum imperiô, Apoc.
12,10.11.) *Gratia Domini noſtri JEſu Chriſti vobiscum,*
Amen.

Porrò aliorum monita voco ſalutationes, qvas illi Epiſtolæ huic adſcribi petierunt, ſuntq; octo virorum, haud dubiè inſignium.

Salutat vos Timotheus adjutor meus, (de qvo Actor. 21
16,1. 2.Tim.1,5. Phil.2,19.) *& Lucius* (Cyrenæus, de qvo Actor.13,1.)
& Jaſon (Theſſalonicenſis, de qvo Act.17,5.) *& Soſipatrus*
(Beroënſis. Act.20,4.) *cognati mei*, (Judæi ſangvine propinqvi.)
Saluto vos ego Tertius, qvi ſcripſi Epiſtolam (Apoſtolô 22
dictante aut præſcribente) *in Domino. Salutat vos Cajus,* 23
hoſpes meus & totius Eccleſiæ (Corinthiorum, 1.Corinth.1,14.
apud qvem tota Eccleſia conventus agit.) *Salutat vos Eraſtus*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

arcarius (οἰκονόμος, procurator, præfectus ærarii) *urbis*, (fortè is, qvi Timotheo adjungitur, Act. 19, 22.) *& Qvartus frater.*
24 Hanc qvoq; partem valedictione claudit, jam tertiùm repetita. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cũ omnibus vobis, Amen.*

Poſtremò, magnificâ gratiarum actione DEUM celebrat, ut omnem gloriam ipſi ab omnibus, & de omnibus, doceat tribuendam, præſertim de potentiâ & ſapientiâ, elucente in Evangeliô & prædicatione JEſu Chriſti; qvam deſcribit, tùm à causâ principali, qvi eſt DEUS æternus, tùm ab inſtrumentalibus, qvæ ſunt Scripturæ Apoſtolicæ Propheticæ. Poſteà à formâ. Vocat enim Evangelium, myſterium olim tacitum, nunc revelatum, prædicationem manifeſtatam gentibus. Item, à ſubjectô & materiâ. Nam agit de JEſu Chriſto, ſicut etiam ſuprà cap. 1. 3. 4. annotaverat. Deniqve à fine duplici, intermediô & ultimô. Intermedius eſt obedientia fidei inter omnes gentes: Ultimus, gloria DEI æterna, verſ. 25. 26. 27.

25 *Ei autem, qvi potens eſt vos confirmare, juxta Evangelium meum & prædicationem JEſu Chriſti, ſecundùm revelationem myſterii temporibus æternis* (αἰωνίοις, ſecularibus, 2. Timoth. 1, 9. Tit. 1, 2.) *taciti* (abſconditi à ſeculis & generationibus in DEO, Epheſ. 3, 9. Col. 1, 26. 1. Corinth. 2, 7.)
26 *Qvod nunc patefactum eſt, per Scripturas* (διά τε γραφῶν, & per Scripturas, nam & nunc per Apoſtolos coram omnibus gentibus clariſſimè, & olim per ſcripturas Propheticas, ſed obſcurius patefactum eſt) *Prophetarum, ſecundùm præceptum æterni DEI, ad obedientiam fidei, in omnibus gentibus cogniti* (qvi DEUS in omnes gentes eſt notificatus, γνωρισθέντος) *ſo-*
27 *li ſapienti DEO per JEſum Chriſtum. Cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.* (Syrus omittit ᾧ, dicitq; ſimpliciter: Gloria per JEſum Chriſtum in ſecula ſeculorum. Idq; planius eſt, & apertius, niſi ᾧ accipitur, pro αὐτῷ, ipſi.)

Subſcriptione indicatur, unde, & qvô ferente miſſa ſit Epiſtola, ſicut & in cæteris fit libellis Apoſtolicis.

Ad Romanos ſcripta (miſſa) *fuit à Corintho, per Phœben miniſtram Cenchreenſis Eccleſiæ.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

JOHANNIS CLUVERI, SS. THEOL. D. ejusdemq; olim Profeſſoris Sorani, & poſteà Superintendentis Dithmarſici,

ANALYSIS PRIORIS EPISTOLÆ AD CORINTHIOS,

CUM TEXTUS DIFFICILIORIS EPILYSI ſuccinctâ.

Qvô tempore edita ſit prior Epiſtola ad Corinthios?

HÆc prior fuit illâ ad Romanos; at duabus ad Theſſalonicenſes, itemq; priori ad Timotheum datâ poſterior. Reliqvas omnes è Romanô carcere ſcripſit Apoſtolus. Unde liqvet, temporis rationem non habuiſſe illos, qvi primi ordinem Epiſtolis ſuum ſacrô in Codice attribuerunt, ſed copiæ potiùs ſermonis & argumenti. Nam ad Romanos ſcripſit ex ipsâ Corintho, cùm Hieroſolymam iter affectans, jam tertio viſeret Corinthios, prout apparet 2.Cor.13,1. Rom.15,26. & 16,23. Prior ad Theſſalonicenſes Athenis data eſt, ex qvâ urbe primò Corinthum adiit, Act.18,1. Priorem ad Theſſalonicenſes mox altera ad eosdem ſecuta eſt, prout argumentum utriusqve, & ſubſcriptio indicant. Primam ad Timotheum dedit, cùm eum reliqviſſet Epheſi (1.Tim.1,3.) qvod contigiſſe oportet poſt alteram Epheſiorum viſitationem, de qvâ Lucas Act.19. & 20,1. Atqvi priorem hanc Corinthiis ſcripſit, ab Epheſiis rediturus, prout ipſe ſignificat 1.Cor.16,8. ibiq; ad Pentecoſten tantùm usq; permanſurus. Præmittit ergò Timotheum ad Corinthios, ſibiq; hâc Epiſtolâ viam ad eos præparat, qvemadmodum patet cap.16,10.11. & cap.4,17.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

IPſa Epiſtola generis eſt Didaſcalici & Pædeutici, qvandoqvidem varios Corinthiorum errores redarguit, & viam DEI accuratiùs illis exponit.

PARTITIO GENERALIS.

PArtes Epiſtolæ tres ſunt; Exordium, usqve ad verſum 10. capitis primi. Inſtitutio Epiſtolaris, à verſu decimô primi capitis, usq; ad qvintum decimi ſexti. Et Epilogus, abinde usq; ad finem Epiſtolæ.

CAPUT PRIMUM.

CApite primô Exordium Epiſtolæ continetur, cum parte primâ correctionis, qvâ ſchiſmata abolere ex Eccleſiâ Corinthiacâ inſtituit.

DE EXORDIO.

EXordium conſtat ſalutatione & inſinuatione Apoſtolicâ, amori & benevolentiæ accommodatâ.

In ſalutatione primò qvis, ſecundò qvos, tertiò qvâ ſalute impertiatur, obſervandum eſt.

1 Qvi ſalutat, *Paulus* eſt, ſeipſum deſcribens ab officiô, qvòd ſit *vocatus Apoſtolus JEſu Chriſti, per voluntatem DEI, & Soſthenem ſibi fratrem adjungens*, qvi fuit Princeps Synagogæ Judaicæ apud Corinthios, teſte Lucâ Act. 18,17.

2 Qvi ſalutantur, ſunt *Eccleſia DEI, qvæ erat Corinthi*, qvos deſcribit, tanqvam *ſanctificatos in Chriſto JEſu, vocatos ſanctos, eisq; conjungit omnes invocantes nomen Domini noſtri JEſu Chriſti, in omni locô ipſorum* (ubicunqve ipſi conveniunt) *& ſuô*, (ubi Pauli cœtus congregantur.) Chryſoſtomus refert ad vocem Domini, ut ſit ſenſus: omnibus invocantibus nomen JEſu Chriſti Domini, tùm ipſorum, tùm noſtri. Ita & Theophylactus. Sed coactius videtur.

3 Salus ipſa, qvam precatur, eſt *gratia & pax à DEO Patre noſtrô, & Dominô JEſu Chriſto*. verſ. 3.

Porrò

Porrò Inſinuatio fit ſanctificatione amoris erga Corinthios, elu-
centis è gratiarum actione, pro donis jam à DEO in ipſos collatis, &
fiducia de illarum confirmatione, in gratia ſemel percepta. *Gra-* 4
*tias ago DEO meo ſemper pro omnibus vobis in gratiâ
DEI,* (ἐπὶ τῇ χάριτι, ſuper gratiâ DEI) *qvæ data eſt vobis in
Chriſtô JEſu.*

Gratiam illis collatam in Chriſto JEſu, confirmat I. à divi-
tiis ſermonis & cognitionis, qvibus ſtabilitum fuit in Corinthiis Pau-
li de Chriſto teſtimonium. *In omnibus* (inqvit) *ditati eſtis in* 5
illô, in omni verbô & in omni ſcientiâ. Sicuti teſtimo- 6
nium Chriſti confirmatum eſt in vobis. II. A negatione
defectûs, qvod nullô donô aliis Eccleſiis communicatô careant, ſed
revelationem Domini JEſu exſpectent, per qvam omnia usqvedum
imperfecta conſummentur. verſ.7. *Ita ut nihil vobis deſit in* 7
ullâ gratiâ (χαρίσματι, donô, puta ad ſalutem neceſſario) *ex-
ſpectantibus revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Deinde fiduciam de illorum perſeverantiâ conceptam, aſſerit
à cauſæ efficientis immutabili certitudine, DEI ſcilicet fidelitate,
itemq; à vocationis ſcopô & fine. *Confirmabit* (inqvit) *vos usq.* 8
*in finem, inculpatos in die Domini noſtri JEſu Chriſti.
Fidelis DEUS, per qvem vocati eſtis, ad ſocietatem* 9
Filii ejus JEſu Chriſti Domini noſtri. Similia habet 1. Theſ-
ſal. 3, 15. & 5, 24. 2. Theſ. 3, 3.

DE INSTITUTIONE IPSA APOSTOLICA.

INſtitutionis & correctionis Epiſtolaris capita ſunt decem.

Primum eſt exhortatio ad concordiam, & reprehenſio ſchiſma- I.
tum, à verſu decimô capitis primi, usqve ad initium qvinti.

Secundum, inſtitutio de tollendis ex Eccleſiâ ſcandaloſis, & re- II.
prehenſio injuſtæ conniventiæ, cap. 5.

Tertium eſt reprehenſio contentionum coram judicibus ethni- III.
cis, & inſtitutio de decidendis litibus coram ſenioribus Eccleſiæ, aut
planè amputandis potiùs, cap. 6.

IV. Qvartum eſt reprehenſio ſcortationum, & inſtitutio de virginitate & conjugiô, à verſu duodecimo capitis ſexti, usqve ad initium octavi.

V. Qvintum, reprehenſio abuſuum in Adiaphoris, & inſtitutio de verô uſu Chriſtianæ libertatis, cap. 8. & 9.

VI. Sextum, Dehortatio à confidentiâ in externorum ſacrorum communione, cum exhortatione ad internum DEI cultum & reverentiam, omnisq; idololatriæ deteſtationem, cap. 10.

VII. Septimum, Informatio de decenti ſacrorum adminiſtratione, & reprehenſio abuſuum circa cœnæ Dominicæ celebrationem, cap. 11.

VIII Octavum, Inſtitutio de uſu donorum ſpiritualium, & abuſuum reprehenſio, cap. 12. 13. 14.

IX. Nonum, Inſtitutio de reſurrectione mortuorum, & reprehenſio aliter docentium.

X. Decimum, Inſtitutio de liberalitate erga pauperes ſanctos, cap. 16.

INSTITUTIONIS EPISTOLARIS CAPUT PRIMUM,

DE COLENDA CONCORDIA ET TOLLENDIS SCHISMATIBUS.

TRactationis partes ſunt qvatuor: Propoſitio, Narratio, Confirmatio, & Concluſio.

1. Propoſitio diſertis verbis concepta, exſtat verſ. 10. cap. 1.

10 *Obſecro vos, fratres, per nomen Domini noſtri JESU CHRISTI,* (qvod eſt unum, in qvod omnes baptizati eſtis,) *ut idem dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: Sitis autem perfecti eâdem mente, & eâdem ſententiâ.*

2. Narratio cauſam exponit, cur hoc præceptum tradere voluerit. Nam reſcivisſe ſe indicat à fide dignis autoribus, vigere inter illos lites & contentiones inteſtinas, in qvibus alii ſe ab aliis doctoribus denominent, alteriq; ſeſe alteris inſolenter præferant.

11 *Significatum eſt enim mihi, fratres mei, de vobis, ab iis, qvi ſunt Chloës, qvòd contentiones ſint inter vos.*

Hoc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Hoc autem dico, qvod unusqvisqve veſtrûm dicit, Ego 12
qvidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ,
ego verò Chriſti.

3. Confirmatio præcepti de concordiâ, & reprehenſio diſſenſionum, pariter iisdem fit argumentis, iisq; graviſſimis & accuratiſſimis.

Primum ducitur ab unitate Mediatoris & capitis Eccleſiæ, qvi I.
eſt Chriſtus, pro omnibus crucifixus, & uno omnibus nomine prædicatus, hôc modô: Qvi unum agnoſcunt Chriſtum, pro ſe crucifixum, & unum Chriſti nomen, in qvod ſunt baptizati, illi diverſa ſibiipſis nomina, à diverſis eadem docentibus miniſtris imponere non debent. At Corinthii unum agnoſcunt Chriſtum, unumq; ejus nomen. Ergò ſchiſmatica ſibi nomina à Doctoribus eadem docentibus, imponere non debent. Minor conſtat ex abſurditate aſſertionis contrariæ, qvam interrogatione deſignat Apoſtolus, cùm inqvit:
Diviſus eſt Chriſtus? Nunqvid Paulus crucifixus eſt 13
pro vobis? aut in nomen Pauli baptizati eſtis? Qvaſi dicat, qvàm abſurda ſunt iſta, tàm abſurdum eſt, vos qvi unum Chriſtum, unumq; baptiſma cognoſcitis, ob diverſa Doctorum dona ab invicem ſeparari. Deinde ſuô exemplô docet, illos in unum Chriſti nomen eſſe baptizatos, itemq; teneri procul abeſſe ab inani illâ jactantiâ. Se enim pro ſingulari habet ſpecimine divinæ providentiæ, qvòd pauciſſimos Corinthiorum baptizârit, ne qvis in ſuô ipſum nomine baptizâſſe fingeret. Neqve enim ſe tàm ad baptizandum, qvàm
ad Evangelizandum eſſe miſſum à Domino. Verba ſunt: *Gratias* 14
ago DEO, qvod neminem veſtrûm baptizavi, niſi Criſpum & Gajum. (Criſpus erat Princeps Synagogæ apud Corinthios, Act.18,8. Gajus erat hoſpes Pauli & totius Eccleſiæ, Roman.
16,23.) *Ne qvis dicat, qvòd in nomine meô baptizati eſtis,* 15
(ἐβάπτισα, baptizavi.) *Baptizavi & Stephanæ domum.* 16
(Stephanæ domum vocat primitias Achaiæ, 1. Cor.16,15. & ſignificat ipſum fuiſſe Præpoſitum Eccleſiæ Corinthiacæ,) *alioqvi neſcio,*

ſi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

17 *ſi qvem alium baptizaverim. Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare.* (Evangelizandi dignitas, qvia longè major eſt, qvàm baptizandi, ideò ad eam ſe potiùs deſtinatum dicit à Domino. At Pſeudapoſtoli de baptizatione inprimis gloriabantur, dum inſtitutos à Paulo ipſi ſacris initiarent, alienosq; labores ſibi arrogarent, qvô factu nihil erat facilius. Apoſtoli verò plerumqve baptizandi munus aliis demandârunt, ipſi verbo & doctrinæ invigilantes, Actor. 10,48. Interdum tamen utrumqve officium ſimul adminiſtrârunt, utpote utriqve præpoſiti à Chriſto, Matth. 28,19. qvanqvam evangelizandi labor eſſet potisſimus, Actor. 16,15.33. & 18,8.)

II. Alterum argumentum deſumitur à formâ prædicationis Chriſtianæ, qvæ planè eſt ab omni factionum ſtudiô aliena.

Qvod enim regnum non propagatur ſapientiâ ſermonis mundanâ, ſed contemptibili crucis prædicatione, illius cives, ob dona qvædam ſingularia extolli aut inflari non decet.

Aſſumptum, qvia eloqventiam inprimis admirabantur Corinthii, probat Apoſtolus copioſè.

Primò à conſeqventi effectu pernicioſô, qvôd ſic evacuaretur, vel inefficax redderetur crux Chriſti. Ea enim humanæ ſapientiæ verbis nemini perſvadebitur eſſe ſalutifera. Id qvod pereuntium exemplo evincitur. *Etenim verbum crucis pereuntibus, ſecundùm hoc ſeculum ſapientibus, ſtultitia eſt: Eis verò,*
17.18 *qvi ſalvantur, DEI virtus eſt.* verſ. 17.18. *Miſit*, inqvit, *me Chriſtus evangelizare, non in ſapientiâ verbi, ut non evacuetur crux Chriſti.* Verbum enim crucis pereuntibus qvidem ſtultitia eſt, iis autem, qvi ſalvi fiunt, id eſt, nobis, DEI virtus eſt. (Rom. 1,17.)

Deinde probat aſſumptum teſtimoniô propheticô, qvô DEUS
19 ſapientum hujus ſeculi ſapientiam ſe aboliturum teſtatur. *Scriptum eſt enim* Eſa. 29,14. *Perdam ſapientiam ſapientum,*
20 *& prudentiam prudentum reprobabo. Et* Eſa. 33,18. *ubi*

ſapi-

ſapiens? ubi ſcriba? ubi diſputator hujus ſeculi? Nónne ſtultam fecit DEUS ſapientiam hujus mundi? (Juxta LXX. ad hunc modum legimus: ποῦ εἰσιν οἱ γραμματικοί; ποῦ εἰσιν οἱ συμβουλεύοντες; ποῦ ἐστὶν ὁ ἀριθμῶν τοὺς συντρεφομένους μικρὸν καὶ μέγαν λαόν;)

Tertiò, idipſum ſtabilit totius *mundi exemplo, qvi per* 21
propriam ſuam ſapientiam, DEUM in divinâ ſuâ ſapientiâ non cognoſcit, ideóq; placuit DEO per ſtultitiam prædicationis (mundo ita viſam) *ſalvos facere credentes,* verſ.21. Elucet illa mundi fatuitas ex inductione, tùm Judæorum, tùm Græcorum ſeu gentium. *Qvoniam & Judæi ſi-* 22
gna petunt, (non ſaturati iis, qvæ vident qvotidiè,) *& Græci ſapientiam qværunt.* Contrà, *Chriſtiani doctores prædi-* 23
cant Chriſtum crucifixum, Judæis qvidem ſcandalum, Græcis autem ſtultitiam. Ipſis verò vocatis, Judæis at- 24
qve Græcis, Chriſtum (non humanam, ſed) *DEI virtutem,* (non humanam, ſed) *DEI ſapientiam. Nam qvod* 25
ſtultum (videtur) *DEI, ſapientius eſt hominibus; & qvod infirmum* (apparet) *DEI, fortius eſt hominibus.* (Vide Auguſt. lib.2. de Doctrinâ Chriſt. cap.13. & epiſt. 102.)

Qvartò, ſermonis mundani ſapientiam non eſſe reqvirendam à doctoribus, probat ipſorum Corinthiorum exemplo, inter qvos pauci ſecundùm carnem ſapientes, potentes & generoſi, pleriqve verò ſecundùm hunc mundum ſtulti, infirmi, ignobiles reputabantur. Unde ſeqvitur, regnum Chriſti per ſapientiam, potentiamq; mundanam non conſtitui, aut propagari. Deducit autem Corinthios ad ipſam vivam experientiam, cùm inqvit: *Videte vocationem* 26
veſtram, fratres, qvia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: Sed qvæ ſtulta ſunt mundi, elegit DEUS, ut ſapientes con- 27

fundat, & infirma mundi elegit DEUS, ut confundat
28 *fortia. Et ignobilia mundi & contemptibilia elegit*
DEUS, & ea qvæ non ſunt, ut ea, qvæ ſunt, deſtruat.

Qvintò, argumentatur à gloriatione Chriſtianorum propriâ, in
conſilio DEI ſpectatâ, qvæ omnem ſapientiam, potentiam, juſti-
tiamq; humanam excludit, & in ſolo JEſu Chriſto fundatur, à qvo
29 ſunt ipſis omnia. Sententia enim DEI eſt, *ut nulla caro glorie-*
30 *tur coram ipsô. Ex ipſo autem nos ſumus in Chriſto Je-*
ſu, qvi factus eſt (ἐγενήθη) *nobis à DEO ſapientia,*
(qvi nosmetipſos inſipientes fatemur) *& juſtitia* (injuſtis) *&*
ſanctificatio (pollutis) *& redemptio* (ſervis peccati & Satanæ,)
31 *ut, qvemadmodum ſcriptum eſt* (Jerem. 9, 23.) *qvi gloria-*
tur, in Domino glorietur. verſ. 29. 30. 31.

CAPUT SECUNDUM.

CApite ſecundô pertexit hortationem ad concordiam, & in argumentô à prædicationis Evangelicæ formâ ducto, perſeverat, oſtendens ampliùs, qvòd verbis humanæ ſapientiæ crux JEſu Chriſti ſalutariter haud prædicetur, ac proinde ob infantiam doctorum, vel eloqventiam, ſchiſmata nulla ſint excitanda. Itaqve rationibus anteà productis ſextam & ſeptimam ſuperaddit.

Sextam petit à ſuo exemplo, qvoniam in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, neqvaqvam ſe oſtentaverit apud Corinthios, imò nil niſi Chriſtum, eumq; crucifixum, ſe ſcire judicaverit.

1 *Et ego* (inqvit) *cùm veniſſem ad vos, fratres, veni*
non per ſublimitatem ſermonis aut ſapientiæ, annun-
2 *cians vobis teſtimonium Chriſti. Non enim judicavi,*
me ſcire aliqvid inter vos, niſi JEſum Chriſtum, &
hunc crucifixum. Deinde addit, ſe in infirmitate & timore fuiſſe
apud illos, (prout hiſtoria Actorum cap. 18. à verſ. 1. usqve ad 18. edocet,)

cet,) at nihilominus effectum fructumq; converſionis illorum eſſe ſecutum, cùm neqvaqvam humanæ ſapientiæ argumentis, ſed ſpiritûs, divinæq; virtutis demonſtratione uteretur. Qvorſum allegat ipſam etiam naturam fidei, non hominum ſapientiâ, ſed divinâ vir-
tute nitentis! *Et ego* (ait) *in infirmitate* (corporis) *& in ti-* 3
more & tremore multô, (propter adverſarios multos & poten-
tes) *fui apud vos. Et ſermo meus, & prædicatio mea,* 4
non in perſvaſibilibus (πειθοῖς, ſvaſoriis, ad perſvadendum appoſitis,) *humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritûs* (ſancti, tanqvam Doctoris eorum dogmatum, qvæ proponebam) *& virtutis* (elucentis è miraculis & vitæ ſanctimoniâ,)
ut fides veſtra non ſit in ſapientiâ hominum (fundata,) 5
ſed in virtute DEI, (qvæ ſola firmum reddit cor credentis. DEUS enim verax, omnis homo mendax, Rom.3,4. Prov.21,2.)

Septimam rationem ducit â naturâ atq; indole ſapientiæ Chriſtianæ, qvæ ut humana & ſecularis non eſt, ſic neqve docibilibus humanæ ſapientiæ verbis perſvadetur, ſed docibilibus Spiritûs Sancti. Itaqve primò ſapientiam ſe loqvi aſſerit. Deinde ejus ſapientiæ indolem declarat. Tertiò modum, qvô doceatur: & qvartò, diſcipulos ejusdem capaces indicat.

Primò, *ſapientiam* (inqvit) *loqvimur in perfectis.* 6
(Rudibus & imperfectis ſapientia non eſt, ſed ſtultitia, at perfectis ſapientia eſt, qvod loqvimur, nimirum vocatis, illuminatis & ſpiritualibus, qvi ſalvantur. Confer ſuprà cap.1,24. & infrà verſ.14.15. hujus capitis.)

Mox per ἄρσιν, καὶ θέσιν, naturam hujus ſapientiæ exponit, aſſerens qvalis ſit, & qvalis non ſit. *Non eſt ſapientia mundi hujus, neqve principum mundi hujus* (qvi ſe vel maximè putant ſapere)
corruptibilium. Sed eſt ſapientia DEI in my- 7
ſteriô abſcondita (profunda, ſingularis, myſtica, non omnibus effutienda,) *qvam præfinivit DEUS ante ſecula,* (ideóq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

non eſt nova, aut nuper nata) *in gloriam noſtram*, (electorum
8 ſuorum.) *Quam* (gloriam, itemq; ſapientiam) *nullus princi-
pum ſeculi hujus cognovit.*

Ignorantiam illorum convincit I. ab opere eorum turpiſſimô, qvod Dominum ipſum illius gloriæ crucifixerunt. *Non autem crucifixiſſent, ſi gloriam illam ſummam & abſconditam, cujus ipſe eſt Dominus, intellexiſſent,* verſ. 8. II. à teſtimoniô Prophetæ Eſaiæ, capite 64. verſ. 4. teſtantis, per oculos & aures nullum ea percepiſſe naturaliter, qvæ DEUS ſuis dilectis præparavit, imò ne qvidem in cor cujusqvam adſcendiſ-
9 ſe mortalium. *Sed ſicut ſcriptum eſt, qvæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcendit,* (adſcenderunt,) *qvæ præparavit Deus iis, qvi diligunt ſe.* (Apud LXX. non verba ſolùm diverſa ſunt, ſed & ſenſus aliqvantum discrepat. Sic enim legitur: ἀπὸ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσαμεν, οὐδὲ οἱ ὀφθαλμοὶ ἡμῶν εἶδον θεὸν, πλὴν σοῦ, καὶ τὰ ἔργα σου ἃ ποιήσεις τοῖς ὑπομένουσιν ἔλεος. Atqve ad eum modum adducit Hilarius libro de Trinitate qvinto. Sanè hic unus locus eſt inter paucos, qvos Paulus adduxerit ex Hebraicâ veritate, licèt ſenſum magis expreſſerit, qvàm verba enumerârit.) III. à revelatione hujus ſapientiæ, ejusq; propriô, Spiritu nempe DEI, ita ſciente divina, ſicut ſpiritus
10 hominis humana, etiam ſecretiſſima. *Nobis*, inqvit, *DEUS* (qvæ donaturus eſt, & qvæ dedit nobis, qvæ præparavit ante ſecula.) *revelavit per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda DEI.* (Non vulgaria tantùm, ſed arcaniſſima DEI conſilia perſpicit, tanqvam ſpiritus ejus pro-
11 prius.) *Qvis enim hominum ſcit, qvæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis* (intellectus,) *qvi in ipſo eſt? Ita & qvæ Dei ſunt, nemo novit, niſi Spiritus Dei.* Hunc diſtingvit à ſpiritu mundi (operante in filiis diffidentiæ, Epheſ. 2, 2.) argumentô
12 petitô ab objecto & fine revelationis. *Nos* (ait) *non ſpiritum*

mun-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

mundi accepimus, ſed ſpiritum qvi ex Deo eſt, ut ſcia-
mus, qvæ à Deo donata ſunt nobis. (Spiritus enim erroris,
JEſum illum Chriſtum, qvi in carne venit propter nos, negat.)

Tertiò, qvomodo hanc ſapientiam Doctores eloqvantur, ite-
rum per ἄρσιν καὶ θέσιν ſubjungit: *Qvæ & loqvimur* (ſcribit) 13
non doctis (διδακτοῖς, docibilibus) *humanæ ſapientiæ ver-*
bis, ſed in doctrinâ Spiritûs, (verbis, qvalia docet Spiritus
Sanctus,) *ſpiritualibus* (rebus & myſteriis) *ſpiritualia com-*
parantes. (Judicia ſpiritualia adhibentes, συγκρίνοντες, ſpiritua-
lia negotia & verba judiciis, normis, & fundamentis carnalibus
non æſtimantes. Nulla enim Scripturæ prophetia eſt privatæ ἐπιλύ-
σεως, 2.Pet.1,20.)

Qvartò, qvinam ſint ſapientiæ hujus capaces, & qvi non, alla-
ta cauſa edocet. *Animalis* (inqvit) *homo non percipit ea,* 14
qvæ ſunt Spiritûs Dei, (qvæq; Spiritus Dei docet.) *Stultitia*
enim ipſi ſunt, & non poteſt ea cognoſcere. Ratio eſt,
qvia iſta ſpiritualiter dijudicantur (non ſecundùm ſapien-
tiam ſeculi, qvam ſolam habet & cognoſcit animalis.) *Contrà ſpi-* 15
ritualis dijudicat omnia, (qvæ ſunt Spiritûs Dei, qvippe Spi-
ritu illô inſtructus, à qvo docentur iſta.) *Ipſe autem à nemine*
dijudicatur. Ratio eſt, qvia nemo mentem Domini novit.
Qvis enim cognovit mentem Domini? (niſi edoctus à Do- 16
minô. Nemo Dominum inſtruere poteſt.) *Qvis inſtruet eum?*
(Ergò nec qvisqvam dijudicabit hominem ſpiritualem, qvi mentem
Domini, Dominô revelante cognovit. Qvis enim judicabit ea,
qvæ non intelligit?) *Nos autem ſenſum Chri-*
ſti habemus, (Spiritu ejus
illuminati.)

CAPUT TERTIUM.

CApite tertiô proſeqvitur doctrinam de vitandis ſchiſmatibus, & argumenta plura, de tollendis diſſidiis & elationibus, producit ab ipſorum Corinthiorum conditione, itemq; à ſtatu & naturâ Doctorum, qvorum causâ diſſident, totiusq; adeò Eccleſiæ dignitate deſumpta. Argumenta numero ſex ſunt, atqve in totidem membra caput ipſum rectè dividitur.

Primum, leni utens tranſitione à ſecundo argumento, qvod erat à formâ prædicationis ductum, ad tertium progreditur, ab adjunctis petitum ipſorum Corinthiorum, tùm præteritis, tùm præſentibus. Oſtendit enim, indignum eſſe ipſorum ſtatu & conditione ſchiſmata excitare, eò qvòd infantium & puerorum indolem adhuc referant, nondum capaces ſolidi cibi, ideóq; de Doctorum ſuorum donis & ſapientiâ judicare inepti.

Eam Corinthiorum infirmitatem coarguit, primùm ex ſuæ prædicationis modô, qvi humilior fuerit & ſimplicior, ob illorum imperfectionem, & proinde lactis habuerit ſpeciem, non cibi ſolidi, per-
1 fectioribus competentis. *Et ego, fratres, non potui vobis
loqvi qvaſi ſpiritualibus, ſed qvaſi carnalibus, tan-
qvam parvulis in Chriſto.* (Eratis enim recens geniti infan-
tes, νεόφυτοι, 1. Pet. 2, 2. in qvibus cæpta tantùm erat mentis renovatio.)
2 *Lac vobis in potum dedi, & non eſcam. Nondum enim
poteratis* (perfectiorem altioremvè ſapientiam capere.) Secun-
dò probat ex præſentibus eorum diſſidiis, teſtificantibus, eos adhuc
carnales, necdum decenter ſpirituales eſſe. *Nec nunc qvidem*
3 *poteſtis* (ſolidiore cibô veſci.) *Adhuc enim carnales eſtis.
Ubi enim inter vos zelus & contentio, nónne carnales*
4 *eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis? Qvùm enim
qvis dicit: Ego qvidem ſum Paulus, alius autem ego
Apollo: nónne carnales eſtis?* (Contentiones enim carnis
opera ſunt, Gal. 5, 20.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Qvartum à deſcriptione eorum, propter qvos ſchiſmata alebant, ſic habet: Qvi miniſtri & operarii ſunt unius Domini, à qvo omnis laboris eorum fructus provenit, & ad ipſum ſolum referendus eſt, propter illorum diverſos labores diſſidia non alenda, ſed propter unius Domini honorem unitas potiùs & concordia ſectanda eſt. At Paulus, Apollos, & alii Corinthiorum Doctores, miniſtri tantùm, operarii, coloni, ædificatores ſunt, qvorum labor qvidem diverſus, Dominus autem unus eſt, à qvo omnis benedictio dependet. Ergò concordiæ potiùs propter Dominum, qvàm propter diverſitatem laborum, diſſidiis ſtudendum. Aſſumtum ἀνακοινώσει illuſtratur verſ. 5.
Qvis igitur eſt Paulus? Qvis verò Apollos? Qvin mi- 5
niſtri ſunt, per qvos credidiſtis, & unicuiqve, ſicut Do-
minus dedit. Ego plantavi (Eccleſiam apud vos,) *Apollos* 6
rigavit: ſed DEUS incrementum dedit. Igitur neqve 7
qvi plantat, eſt aliqvid, neqve qvi rigat, ſed qvi incre-
mentum dat DEUS. Qvi autem plantat, & qvi ri- 8
gat, unum ſunt. (Cur ergò vos propter illos dividimini?)
Unusqvisqve autem propriam mercedem accipiet, ſe-
cundùm laborem ſuum. DEI enim ſumus adjutores. 9
Dei agricultura, Dei ædificatio eſtis. (Itaqve ad illius unius
gloriam omnis labor ſpectat, nemo ſuam inde propriam captat.)

Qvintum à ſimili depromptum, & antecedenti cognatum, ſic ſonabit: Ubi unum eſt fundamentum, unus architectus, unius fundamenti locator, reliqvi omnes ſuperſtructores, ibi nulli locus eſt ſchiſmati, ſed maxima vigebit concordia, qvantumvis ſuperſtructa varient. At in Eccleſia Corinthiaca fundamentum eſt unum, ſicut ait
verſ. 11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter* 11
id qvod poſitum eſt, qvod eſt Jeſus Chriſtus. Eſt & ar-
chitectus unus Paulus. *Secundùm gratiam* (inqvit) *Dei, qvæ* 10
data eſt mihi, ut ſapiens architectus, fundamentum
poſui: alius autem ſuperædificat: Unusqvisqve autem

vi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

videat, qvomodo ſuperædificet. (ſuperædificant ſanè varii va-
ria, ſed niſi conveniant precioſitati fundamenti, qvæ ſuperſtruuntur,
12 conflagrabunt.) *Si qvis ſuperædificat huic fundamento
aurum, argentum, lapides pretioſos,* (qvalia pretioſo fun-
damento conveniunt) *ligna, fœnum, ſtipulam:* (qvalia co-
hærent ad tempus, ſed neqve conveniunt, neqve ſubſiſtunt.)
13 *uniuscujusqve opus manifeſtum erit. Dies enim* (præ-
ſertim ille noviſſimus) *declarabit, qvia in igne* (tùm proba-
tionis, tùm illius extremi judicii) *revelabitur: & uniuscu-
14 jusqve opus, qvale ſit, ignis probabit. Si cujus opus
manet, qvod ſuperædificavit, mercedem accipiet.*
(Si ſolidum verbi DEI aurum ſuperſtruxit, primæ & fundamentali
JEſu Chriſti cognitioni, manebit opus, & mercedem percipiet, futu-
15 ræ præſertim vitæ.) *Si cujus opus arſerit* (concremabitur, κατα-
καύσεται, tanqvam fœnum, ſtipula, lignum, ut qvi incerta & infir-
ma dogmata, & opera hypocriſi vitiata ſuperſtruxit veræ agnitioni
Chriſti) *detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit,
ſic tamen qvaſi per ignem.* (Nam neqve in exploratorio ten-
tationis igne ſubſiſtunt incerta dogmata, neqve in illo extremi judi-
cii ſecundùm hominem facta opera. Tenens ergò fundamentum ſal-
vabitur qvidem, ſed tanqvam per ignem transiens, nullorum operum
detrimentum ſentiet.) Ergò ob laborum diverſitatem ſchiſmata
haudqvaqvam excitanda, ſed ob fundamenti unitatem, concordiæ
incumbendum eſt. Vide, ſi placet, de h.l. Auguſt. lib. 2. de Civ. DEI,
cap. 26. 27. & Ambroſium in Comment. hujus Epiſt.

Sextum, à pernicioſo diſſidiorum conſeqvente tractum, itemq;
ut antecedentia, ſimilitudine exornatum, tale eſt: Qvi templum DEI
perdit, illum DEUS perdet. Verba ſunt Apoſtoli verſ. 17. Qvi Eccle-
ſiam diſſidiis deſtruit, templum DEI perdit. Ergò illum DEUS per-
16 det. Minor aſſeritur per interrogationem: *An neſcitis, qvòd
templum DEI eſtis, & Spiritus DEI habitat in vobis?*

verſ.

verſ. 16. Probatio majoris ſumitur à templi adjunctô propriô, qvod eſt ſanctitas. *Templum* (inqvit) *Dei ſanctum eſt, qvi eſtis* 17
vos, verſ. 17. *Qvi igitur rem ſanctam, Deo dicatam deſtruit, illum Deus deſtruet.*

Septimum argumentum capit à ſtultitiâ ſchiſmaticorum, ſapientiam ſibi arrogantium vanam coram DEO. Syllogiſmus hic erit: Qvô qvis ſtultitiam ſuam prodit, ſeq; ipſum decipit, id ſtudioſè evitandum. At ſapientiæ perſvaſione ſchiſmata excitare, ſtultitiam prodit, & hominem decipit. Ergò id ſtudioſè evitandum.

Propoſitionem præceptô expreſſit Apoſtolus verſ. 18. *Nemo* 18
(inqvit) *ſeipſum decipiat. Si qvis videtur ſapiens eſſe inter vos, ſtultus fiat* (in oculis ſuis,) *ut fiat ſapiens* (in DEO.) Aſſumptio confirmatur duplici Scripturæ oraculo. Si enim *ſapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud DEUM*, ergò qvi de ſapientiâ ſuâ perſvaſus inflatur, ſtultus deprehenditur. *Scriptum* 19
eſt enim (Job. 5, 13.) *Qvi comprehendit ſapientes in aſtutiâ illorum. Et iterum*: (Pſal. 94, 11.) *Novit Dominus co-* 20
gitationes ſapientum, qvoniam vanæ ſunt. (Novit cogitationes omnium hominum, adeóq; etiam ſapientum eſſe vanas.)

Octavum petitur à dignitate Eccleſiæ, qvæ propter homines ſcindi non debet, cùm ipſius Eccleſiæ ſint omnia, ipſa verò ſolius Chriſti & DEI. Argumentum tale erit: Cujus cætûs causâ omnia ſunt, ſive Apoſtoli, ſive creaturæ aliæ, ipſe verò propter ſolum Chriſtum & DEUM, is in hominibus gloriari, ab iis denominari, ac propter ipſos ſindi non debet. Propter Eccleſiam, & ipſius Eccleſiæ ſunt omnia. Ergò illa in hominibus gloriari, & propter illos ſindi non debet. Concluſio eſt verſ. 21. *Nemo itaqve glorietur in ho-* 21
minibus (vocando ſe Paulinum, Petrinum, &c.) Minor ibidem, &
verſ. 2. 23. *Omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive A-* 22
pollo, ſive Cephas, (vobis illos dedit DEUS, propter vos illos do-

nis ſuis inſtruxit,) *ſive mundus* (totus mundus veſter eſt) *ſive vita, ſive mors,* (veſtra cauſa vivimus, & moriemur, tùm nos,
23 tùm alii,) *ſive præſentia, ſive futura: Omnia veſtra ſunt. Vos autem eſtis Chriſti,* (qvatenus ſangvine ejus empti, non meô, aut Petri,) *Chriſtus autem DEI,* (qvippe à qvo ſecundùm hominem factus, exaltatus, & caput Eccleſiæ datus eſt.)

CAPUT QVARTUM.

CApite qvartô adhuc immoratur in ſchiſmaticorum reprehenſione, & nonum, decimum, undecimumq; adverſus eos producit argumentum. Deinde hanc partem gravi admonitione concludit.

Nonum igitur argumentum petitur ab inhoneſto & indecoro. Indecorum eſt ſervos alienos, DEI œconomos, judicare, & præter fidelitatem ab iis qvicqvam reqvirere. Paulus, Petrus, Apollo, & alii Doctores, ſunt œconomi myſteriorum DEI. Ergò indecorum eſt eos judicare, & præter fidem aliqvid ab ipſis exigere; & conſeqventer indecorum, cum contemptu unius alterum extollere, adeóq; Eccleſiam in factioſas partes distrahere. Minorem exprimit hisce verbis:
1 *Sic nos æſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſa-*
2 *tores myſteriorum DEI.* Majorem iſtis: *Qvod autem reliqvum eſt, qværitur in diſpenſatoribus, ut fidelis qvis*
3 *inveniatur. Mihi autem pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humanô die* (judicii.) Subjicit correctionem, qvod tamen ſemetipſum non juſtificet. *Sed* (inqvit) *neqve me-*
4 *ipſum judico. Nihil enim mihi conſcius ſum* (mali aut infidelitatis,) *ſed non in hoc juſtificatus ſum.* (Delicta enim qvis intelligit? Pſal. 19, 15. non juſtificatur qvisqvam in conſcientiæ ſuæ bonitate coram DEO, ſed juſtitia fidei in JEſu Chriſto.) Confirmat antitheſi humani diviniq; judicii, qvorum illud fallax & impor-
5 tunum, hoc verò ſolum certum & metuendum eſt. *Qvi me judicat,*

dicat, (inqvit) *Dominus eſt. Itaqve nolite ante tempus judicare, qvoadusq; veniat Dominus: qvi & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuiq; à DEO.* (Rom. 14, 10. 2. Cor. 5, 10.) Hoc argumentum attemperat inſtituto, ſignificans ſe hæc ideò in ſe & Apollon transtuliſſe, tanqvam DEI miniſtros, & œconomos, à Domino, & non ab hominibus judicandos, qviq; per ſemetipſos judicare aut juſtificare cupiant, ut ipſi diſcant, nihil ultra id, qvod divinâ inſpiratione ſcriptum eſt, ſapere, neqve alter alterum judicet, aut contemnat, tanqvam vilioribus donis inſtructum, aut à viliori Doctore baptizatum. Sufficit enim qvemq; fideliter, ex tenore ſcripti verbi, DEO miniſtrare. *Hæc autem* (ait) *fratres,* 6
transfiguravi in me & Apollon propter vos, ut in nobis diſcatis, nihil ſupra id, qvod ſcriptum eſt, ſapere, ne alter pro uno (Paulo ſcilicet extollendo) *inflemini adverſus alterum.* (Apollon, & ſic vicisſim.)

Decimum argumentum ſumitur ab hominis egeſtate & miſeriâ, hôc modô: Qvi nihil habet, niſi aliunde acceptum, is gloriari, ſuperbire, & ſchiſmaticè alteri ſe præferre nullô jure poteſt. At homo nihil habet niſi aliunde acceptum. Proponitur cum interrogatione
σχετλιαςικῇ: *Qvis te diſcernit? qvid autem habes, qvod* 7
non accepiſti? Major itidem: *Si autem accepiſti, qvid gloriaris, qvaſi non acceperis?* Ergò ſuperbire talis, alteriq; ſchiſmaticè ſe præferre nullâ juris ſpecie poteſt.

Undecimum depromitur à comparatione Apoſtoli & Corinthiorum, & gravi Ironiâ exornatur. Argumenti vis hæc eſt: Si Apoſtolus Paulus & alii, qvotidianis ærumnis & tentationibus exercentur, non decet Corinthios, aut alios eorum auditores, carnali faſtu turgere, & tanqvam abundantes felicitate, adverſus ſe invicem extolli. At Paulus, & alii, qvotidianis obnoxii ſunt afflictionibus. Ergò non decet Corinthios, tanqvam in cœlo jam poſitos, gloriari. Conſeqventiam propoſitionis declarat abſurditate perſvaſionis contra-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

8 trariæ, ironicè ipſis adſcriptæ. *Jam ſaturati eſtis, jam divi-*
tes facti eſtis (ſcribit,) *ſine nobis regnatis:* (beatiores ſcili-
cet eſtis, ipſis Apoſtolis, qvi tamen, ut agricolæ, primos debent fru-
ctûs percipere, 2. Tim. 2, 6.) Addit ἐπανόρθωσιν: *Atq; utinam*
regnetis, ut & nos vobiscum regnaremus! (q.d. Optârim
verum eſſe, qvod ſuperbi ſibi perſvadent, optârim illos jam in cœlô
eſſe.) Minorem aſſerit longiuſculâ narratione paſſionum & affe-
9 ctionum, qvibus ipſe, cæteriq; Apoſtoli vexentur. *Puto enim,*
qvod DEUS nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit (in regno
cœlorum, ironicè ſcilicet) *tanqvam morti deſtinatos:*
10 *qvia theatrum facti ſumus mundo, & Angelis* (malis)
& hominibus. Nos ſtulti propter Chriſtum (reputamur,)
vos autem (ex perſvaſione veſtrâ) *prudentes in Chriſto: nos*
infirmi, vos autem fortes: vos glorioſi, nos inhonorati.
11 *Usq; in hanc horam, & eſurimus & ſitimus* (non rarò,)
& nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſu-
mus: (incertis ſedibus peregrinamur,) *& laboramus, operan-*
12 *tes manibus noſtris; maledicimur,* (maledictis impediti)
benedicimus, perſecutionem patientes ſuſtinemus:
13 *blaſphemamur,* (blaſphemiis affecti) *obſecramus. Tan-*
qvam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium
peripſema (περίψημα, περικάθαρμα, ἀποσπόγγισμα, luſtramen-
tum, abſterſorium, ſordes) *usqve adhuc.* (Vos contrà tantam
vobis imaginati eſtis beatitudinem, ut jam ſecuri, utri excellentiores
& majores ſint inter vos, diſceptetis.)

Deniq; concludit hanc partem inſtitutionis ſuæ Apoſtolus, & viam ſibi ſternit ad correctiones alias. Concluſio trimembris eſt.

Primùm αἰτιολογίᾳ brevi rationem reddit acrioris caſtigationis hujus. Deinde hortatur eos ad ſui imitationem. Tertiò adventûs ſui denunciatione perterret adverſarios.

In

In primâ parte occupat objectionem aut ſuſpicionem malevolorum, qvaſi confundere voluerit Corinthios, aut ignominiâ afficere, dicendo, eos majores & beatiores eſſe Apoſtolis; Ac proinde veram acerbioris admonitionis rationem explicat, officium nempe ſuum, & reſpectum inter ſe velut patrem, & Corinthios veluti filios, qvos utiqve corrigere errantes, & poſſit ſuô jure & debeat. verſ. 14.
Non ut confundam vos, hæc ſcribo, ſed ut filios meos 14
charisſimos, moneo. Nam ſi decem millia pædagogo- 15
rum habeatis in Chriſto, at non multos patres. Nam
in Chriſto JEſu per Evangelium ego vos genui. (Ego
vos ex Ethnicis Chriſtianos effeci per Evangelii prædicationem, non
meâ tamen, ſed JEſu Chriſti virtute ego vos per Chriſtum regenui,
tanqvam œconomus & miniſter DEI. Ergò meô jure, tanqvam pa-
ter filios caſtigo.)

Tùm ad ſuæ humilitatis imitationem eos provocat, qvam diſcere habeant à Timotheo, ad id à ſe miſſo, qvem de meliori notâ
commendat. *Rogo ergò vos, imitatores mei eſtote,* (ut filii 16
patris ſui.) *Ideò miſi ad vos Timotheum, qvi eſt filius* 17
meus charisſimus, & fidelis in Domino, qvi vos com-
monefaciet vias meas, qvæ ſunt in Chriſto, ſicut ubiqve
in omni Eccleſiâ doceo. Tertiò, inflatos terrore percellit ad-
ventûs ſui, qvo ſe in ordinem eos redigere velle minatur. *Sed tan-* 18
qvam non venturus ſim ad vos, ſic inflati ſunt qvidam,
(alios mihi Doctores ſuperbè præferentes,) *veniam autem ad* 19
vos citò, ſi Dominus voluerit, & cognoſcam non ſermo-
nem inflatorum (de qvô gloriantur,) *ſed virtutem.* Ratio
probationis ejusmodi in promptu eſt: *Non enim in ſermone* 20
eſt regnum Dei, ſed in virtute. Qvid vultis? (ἀνακοίνω-
σις ſimilitudine paterni juris & poteſtatis illuſtrata.) *In virga ve-* 21
niam ad vos, an in dilectione & ſpiritu manſvetudinis?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

CAPUT QVINTUM.

CApite qvintô ſecundum inſtitutionis Epiſtolaris caput conti-
netur, de vitando, tollendoq; ſcandalo publico. Reprehendit
enim eos, qvòd inceſtuoſum hominem in cœtu ſuô tolerent,
& monet vitare notoriorum peccatorum conſortium.

Partes igitur duæ ſunt, Reprehenſio conniventiæ,& Dehortatio
à conſvetudine cum ſceleratis.

Prioris membra tria ſunt: Propoſitio, Oppoſitio, & Confirma-
tio utriusqve.

I. Propoſitio effertur verbis pungentibus & indignitatem tole-
1 rantiæ graviter ſtatim redarguentibus. *Omninò* (inqvit) *auditur
inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qvalis nec in-
ter gentes,* (puta cordatiores, ὀνομάζεται, nominatur,) *ita, ut
uxorem aliqvis habeat patris.* Hoc primum ἔγκλημα, ince-
ſtus, aliis inauditus, inter vos commiſſus eſt. Alterum ſeqvitur verſ.2.
2 *Et vos inflati eſtis, & non magis luxiſtis, ut tollatur de
mediô veſtrûm, qvi hoc opus perpetravit.*

II. Antitheſis juſti zeli continet excommunicationis formu-
lam, in qvâ efficiens, forma, ſubjectum, & finis ejus exprimitur.
Efficiens ſeu excommunicator primàrius eſt ipſe CHRISTUS:
4 *In nomine* (inqvit) *Domini noſtri JEſu Chriſti, & cum
virtute Domini noſtri JEſu Chriſti.* Adminiſtri ſunt Pau-
3 lus & Eccleſia Corinthiaca: *Ego qvidem* (ait) *abſens corpo-
re, præſens autem ſpiritu* (potentiâ ſpirituali à DEI Spiritu mi-
hi donata) *tàm judicavi, congregatis vobis & meo ſpiritu.*
Forma excommunicationis eſt, traditio in manus Satanæ. *Judi-
5 cavi* (inqvit) *tradere talem Satanæ,* (& ſic è regno Chriſti eji-
cere.) Subjectum excommunicandum eſt ille, *qvi hoc ita ope-
ratus eſt,* (qvi inceſto novercæ concubitu ſe polluit.) Finis eſt
interitus carnis, (abolitio corporis peccati, mortificatio veteris
homi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

hominis,) *& ſalvatio ſpiritûs* (hominis interioris & ſpiritualis) *in die Domini JESU*, verſ. 5.

Confirmatur Corinthiorum reprehenſio, & Apoſtolica ſententia I. à conſeqventi damnô, ſcienter & prudenter præcavendo, id qvod ſimilitudine declarat fermenti, verſ. 6. *Non eſt bona glo-* 6
riatio veſtra, (qvâ in ſermone & cognitione gloriamini, virtutem regni DEI negligentes.) *Neſcitis, qvod modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* (ζυμοῖ, fermentat. Sic unicum ſceleris exemplum totam Eccleſiam polluit.) II. à ſtatu Chriſtianorum malitiæ expurgationem reqvirente. *Qvi enim ſunt* 7
azymi, (purgati fide à peccatis, & nova creatura facta, 1. Pet. 1, 18. 19. 2. Cor. 5, 17.) *illi vetus fermentum malitiæ & verſutiæ expurgare tenentur, ut ſint maneantq; verè nova maſſa & conſperſio*. Chriſtiani ſunt azymi, ut asſerit. Ergò expurgent vetus fermentum, ut ſint nova conſperſio, (nec revolvantur ad feces converſationis Ægyptiacæ, vel Ethnicæ, 2. Pet. 2, 18. 20.) III. ab antecedenti beneficiô Chriſti, neqvaqvam indignè contemnendo, qvod declarat collatione typi & antitypi. Pro qvibus enim Paſcha eſt immolatum, illi à conſvetudine Ægyptiacâ vel Ethnicâ abſtinebunt, vetusq; à ſe fermentum removebunt. *At pro nobis Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*, ut affirmat verſ. 7. Ergò vi conſtitutionis divinæ patet concluſio. IV. à temporis decorô. Chriſtianum enim ſeculum perpetui inſtar feſti eſt, ob Chriſtum pro ipſis Agni inſtar immolatum, memoriamq; ejus & virtutem
perennem. *Itaq; epulemur, ſeu ferias agamus non in fer-* 8
mentô veteri (Ethnicô,) *neq; in fermentô malitiæ & neqvitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis*, verſ. 8.

Altera pars priori cognata, qvâ dehortatur ab impiorum conſortiô, itidem trimembris eſt. Nam primùm proponit & explicat ſententiam: Tùm eam confirmat, & deniqve concludit. Explicatio ſen-

9 ſententiæ hæc eſt: *Scripſi* (inqvit) *vobis in Epiſtolâ* (ſive in
hâc ipsâ, cùm dixi, tollendum eſſe è mediò veſtri ſcortatorem, & ex-
purgandum ſcortationis fermentum, ſive aliâ) *ne commiſceami-*
10 *ni fornicariis: non utiq; fornicariis hujus mundi* (Eth-
11 nicis,) *aut avaris, aut rapacibus, aut idololatris: Nunc*
autem ſcripſi vobis non commiſceri, ſi qvis frater (Chri-
ſtianus) *nominatus ſit fornicator, aut avarus, aut idolis*
ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum
hujusmodi nec cibum ſumere, verſ. 10. 11. Rationes ſuccinctè
ſuggerit qvatuor, qvæ omnes eò ſpectant, ut oſtendatur ſceleratos,
non mundi hujus, ſed Eccleſiæ, eſſe devitandos.

Prima ducitur ab impoſſibili. Nam, ſi qvis Ethnicos peccatores omnes vitare debeat, ei è mundo foret exeundum, qvi undiqvaq; malis refertus eſt. At hoc fieri neqvit, ut mundo exeamus. Ergò converſationem cum Ethnicis, aut ab Eccleſiâ extraneis, declinare non poſſumus, verſ. 10.

Altera petitur ab indecorô & ſuperfluô. Superfluum & indecens eſt, extra Eccleſiam poſitos judicare, qvoniam ad Chriſtianos non pertinent. Ergò ſuperfluum eſt & indecorum, ſtudiosè velle eorum conſortium declinare. Antecedens interrogatione exornat.
12 *Qvid* (ait) *mihi* (opus eſt) *de iis, qvi foris ſunt, judica-*
re. Nonne de iis, qvi intus ſunt, vos judicatis? (ex offi-
ciò ſcilicet.) Ergò non de iis, qvi ſunt foris.

Qvarta eſt à propriâ DEI excellentiâ, cujus eſt extraneos judi-
care. Qvod autem ipſe ſibi proprium reſervavit, de eo nobis labo-
randum non eſt. At eos, qvi foris ſunt, judicare, DEI eſt. Ergò de iis
13 nobis laborandum non eſt. *Nam eos, qvi foris ſunt, DEUS*
judicabit. Concluſio enunciatur propoſitionis repetitione,
Auferte eum, qvi malus eſt, ex vobis ipſis, verſ. 13. Sicut olim Iſraëlitæ tollebant malos gladiô materiali, ita vos ſpirituali, Deut. 17,7. & 19, 19. 21. 22. & 22,21.24. & 24,7. 2. Cor. 10,4.5.6. & c. 13,1.2.3.

CA-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

CAPUT SEXTUM.

CApite ſextô tertium & qvartum correctionis membrum proponitur, qvorum illud de litibus in Eccleſiâ finiendis, hoc de ſcortatione vitandâ agit.

Inſtitutionem de litibus ſic tractat, ut primùm proponat factum reprehenſibile. Deinde reprehenſionem argumentis aliqvibus firmiſſimis roboret.

Propoſitio facti vituperabilis hæc eſt: *Audet aliqvis ve-* 1
ſtrûm, negotium habens adverſus alterum, judicari
apud iniqvos (Ethnicos,) *& non apud ſanctos,* (fideles Chri-
ſtianos.)

Reprehenſio & refutatio fit ſeptem argumentis.

I. A comparatione judicii majoris & minoris hôc modô: Si
ſancti mundum, ipſosq; malos Angelos, judicabunt, multò magis
idonei ſunt præſidere judiciis minimis, qvæ de rebus ſecularibus a-
guntur. Atqvi verum prius, qvod turpe eſt ignorare, aut non atten-
dere Corinthios. *Nonne ſcitis,* (inqvit,) *qvòd ſancti hunc* 2
mundum judicabunt? neſcitis, qvòd Angelos judicabi-
mus? Ergò verum etiam poſterius. *Si enim in vobis judica-* 3
bitur mundus, indigni eſtis minimis judiciis? nonne
ſecularia (βιωτικὰ, victualia) *judicabitis?* (Matth. 19, 28. Luc.
22, 30. Apoc. 2, 26. 27. & 3, 21.)

II. Ab indecorô. Indecorum eſt, illum ſibi judicem deligere,
qvem tota Eccleſia contemnit. Ethnici ab Eccleſiâ contemnuntur.
Ergò dedecet eos ſibi judices ſtatuere. Verba Apoſtoli ſunt:
Secularia igitur judicia habeatis, contemtibiles qvi 4
ſunt in Eccleſiâ, illos conſtituite (καθίζεται. Ambroſius rectè
vertit, conſtituitis) *ad judicandum?* (q. d. qvàm hoc decoro-
ſum eſt?)

III. A turpi & abſurdô. Turpe & abſurdum eſt, neminem reperiri in Eccleſiâ ſapientem, qvi judicare fratrum cauſas ſciat. At qvi

judi-

judicia appetunt infidelium, oſtendunt, ſe nullum agnoſcere in Ec-
cleſiâ ſapientem. Ergò illi Eccleſiam pudore ſuffundunt. verſ. 5.
5 *Ad pudorem veſtrum dico. Sic non eſt inter vos ſa-
piens, vel unus, qvi poſſit judicare inter fratrem ſuum?*
6 *ſed frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud
infideles.*

IV. A conjunctô infallibili pravitatis teſtimoniô. Qvod enim
teſtatur de peccatis Chriſtianorum, id utiqve erat omittendum. At
contendere judicio Chriſtianos inter ſe, teſtatur de peccatis eorum.
Ergò id utiqve omittendum potiùs, qvàm ſcandalum extraneis præ-
7 bendum. Aſſumtum aſſerit verſ. 7. *Jam qvidem omninò de-
lictum eſt in vobis, qvòd judicia habetis inter vos.*
Probat à meliori: *Qvare non injuriam accipitis potiùs?
Qvidni potiùs fraudem patimini?* Item à materiâ judi-
8 ciorum, qvæ ſunt injuriæ, deceptiones, & ſimilia. *At vos* (inqvit)
injuriâ afficitis & fraudatis, & hoc fratres, verſ. 8.

V. A pernicie conſeqventi, eaq; æternâ, hôc modô: Qvi iniqvi-
tatem operantur, & alios injuriâ afficiunt, hæreditatem regni DEI
non adibunt. Qvi lites inter ſe exercent coram infidelibus, illorum
alter alterum injuriâ afficit. Ergò alter illorum regni DEI hæredita-
tem non adibit. Propoſitionem amplificat & probat enumeratione
peccatorum mortalium, à regnô DEI excludentium. verſ. 9. 10.
9 *An neſcitis*, (inqvit) *qvòd injuſti regnum DEI non poſ-
10 ſidebunt? Nolite errare. Neq; fornicarii, neq; idolis
ſervientes, neq; adulteri, neq; molles, neq; maſculorum
concubitores, neq; fures, neq; avari, neq; ebrioſi, neq;
maledici, neq; rapaces, regnum DEI poſſidebunt.*
(Puta qvatenus tales permanent, nec à viis ſuis reſipiſcunt.)

VI. Ab antecedente gratiâ, & Chriſtianiſmi receptione. Id tale
erit: Qvi à peccatis enormibus ſangvine Chriſti purgati, & Spiritu
DEI ſanctificati ſunt, illos prioribus vitiis, & inter illa injuſtitiæ de-
nuò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

nuò ſtudere neqvaqvam decet. At Corinthii ab enormibus vitiis ſic purgati & ſanctificati ſunt. Ergò iniqvitati, ac ſimilibus vitiis dediti ne ſunto, & conſeqventer à mutuis litigiis, ex iniqvitate orientibus, abſtinento. Minorem pronunciat his verbis: *Et hæc qvidem* 11
(τινὲς, qvidam) *fuiſtis*, (puta injuſti, maſculorum concubitores, adulteri, &c.) *ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, & in Spiritu DEI noſtri.* Propoſitio ſubintelligitur.

VII. Ab inutili & pernicioſo ſic informo: In qvo homo nocet aliis, & poteſtati ſe tradit alienæ, id qvanqvam aliàs ei licet, tamen hâc de causâ non licet. At cum fratre judicio contendere apud infideles, nocet aliis, & poteſtati tradit contendentem alienæ. Ergò id, qvanqvam aliàs licitum, hôc nomine eſt evitandum. Propoſitio effertur χρεία generali, ad inſtitutum thema applicandâ, verſ. 12.
Omnia mihi licent (non ſimpliciter à DEO prohibita, qvale eſt 12
contendere cum fratre apud judices infideles,) *ſed non omnia expediunt.* (Ita nec hoc, qvod ſcandalo eſt aliis, & Eccleſiam dedecorat.) *Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigor poteſtatem,* (à qvo liber ſum. Liber autem maneo à poteſtate judicis extranei in causâ cum fratre, ſi eam ipſius judicio non permittam.)

Altera hujus capitis, & qvarta totius Epiſtolaris inſtitutionis pars, eſt Dehortatio à ſcortatione, eaq; tota tribus membris conſtans. Eorum primum hóc capite 6. reliqva duo ſeqventi exponuntur.

Primùm à ſcortatione avocat, inſignibus utens argumentis. Deinde oſtendit, non cuivis continentiam eſſe affectandam. Tertiò ad virginalem & vidualem continentiam hortatur, qvicunq; ejus ſibi doni videntur conſcii.

Primum membrum Propoſitione & Confirmatione abſolvitur.

Propoſitio conſtat occupatione objectionis, & ad eam reſponſione. Etenim nonnulli profanè objiciebant, tàm liberè ad ſcortationem corpore, qvàm ad cibos ventre uti licere. Negat illam com-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

paratìonem Apoſtolus, diſtingvendo inter uſum ventris & ciborum,
13 atqve inter uſum corporis proprium & principalem. *Eſca* (inqvit)
ventri, & venter eſcis (puta deputantur.) *Deus autem hunc*
(ventrem) *& has* (eſcas) *deſtruet: Corpus autem non for-
nicationi* (deputatum,) *ſed Domino: & Dominus corpori*
(redimendo & ſanctificando datus.)

Confirmatio rationes negationis explicat, cur videlicet corpore ad ſcortationem abuti non liceat, qvæ ſunt numero qvinqve, eæq; ponderoſiſſimæ.

Prima, à diverſo ventris & corporis fine. Nam ventrem & cibos, qvibus ille ſervit, DEUS abolebit: Non autem corpus humanum, & cui illud ſervire deſtinatum eſt, Dominum. Itaqve qvorum finis eſt diverſus, illorum etiam uſus. Ergò non tàm licenter utendum corpore, qvàm ventre. Finem verò diverſum arguit ab excitatione Domini JEſu, cui corpus eſt conſecratum. Pereuntis & non pereuntis uſus eſt diverſus. At venter perit, & corpus excitabitur. Ergò eorum uſus eſt diverſiſſimus. Aſſumtum demonſtrat verſ. 14.
14 *DEUS verò & Dominum ſuſcitavit, & nos ſuſcita-
bit per virtutem ejus.*

Secundò, à dignitate membrorum corporalium ſic argumenta-
tur: Si ſcortatio membra Chriſti facit membra ſcorti, accuratè erit
ab ea abſtinendum. At ſcortatio membra Chriſti facit ſcorti mem-
15 bra. *Ergòne* (inqvit) *tollens membra Chriſti faciam
membra meretricis? Abſit.* In aſſumptione præſupponit
tanqvam certum, qvòd corpora fidelium membra Chriſti ſint.
Neſcitis, (inqvit) *qvoniam corpora veſtra membra ſunt
Chriſti?* Deinde probat utrumq; à proprietate conjunctionis car-
nalis & ſpiritualis. Nam ſicut illa infert unitatem carnis, ita hæc
16 unitatem ſpiritûs. Qvare ſcribit: *An neſcitis, qvoniam qvi
adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim
inqvit* (Adam Geneſ. 2,24, & Chriſtus Matth. 19,5.) *duo in car-
nem*

nem unam (per copulam carnalem, qvæ tàm fit in ſcortatione,
qvàm in conjugio, qvanqvam in conjugiô honeſtè, in ſcortatione
inhoneſtè. Si autem ſcortator & ſcortum fiunt una caro, ergò illius
membra fiunt hujus.) *Qvi autem adhæret Domino* (per ſpi- 17
rituale conjugium,) *unus ſpiritus eſt.* (Nam unus Spiritus eſt in
Chriſto & Chriſtiano.)

Tertiò, adducit ſcortationis turpitudinem eximiam. Turpiſſi-
mum eſt in proprium corpus peccare, & illud perdere. Homo ſcor-
tans in proprium corpus peccat. Ergò ſcortatio fugienda eſt, ut labes
fœdiſſima. Illuſtrat comparatione aliorum peccatorum verſ. 18.
Fugite fornicationem. Omne peccatum, qvodcunqve 18
fecerit homo, extra corpus eſt. Qvi autem fornicatur,
in proprium corpus peccat, (illud violat, & dehoneſtat.)

Qvartò, allegat corporis ſanctitatem. Templum Spiritûs Sancti
ſcortatione non eſt polluendum. Corpora noſtra templa ſunt Spiri-
tûs Sancti. Verba plana ſunt: *Aut neſcitis, qvod membra* 19
veſtra (Græcè eſt: τὸ σῶμα ὑμῶν, corpus veſtrum) *templum eſt*
Spiritûs Sancti, qvi in vobis eſt, qvem habetis à Deo,
& non eſtis veſtri? verſ. 19.

Qvintam rationem ducit à noſtrâ erga Chriſtum obligatione.
Qvi non ſunt ſui juris, ſed magnô pretiô empti, illi pro libitu ſuô
ſuis corporibus uti neqveunt. Chriſtiani non ſunt ſui, ſed empti ſan-
gvine Chriſti. Ergò non pro ſuô libitu, ſed in gloriam DEI & Domi-
ni ſui corporibus uti debent. Effert his verbis verſ. 20. *Empti enim* 20
eſtis pretio (τιμῆς.) *Glorificate igitur DEUM in corpo-*
re veſtrô, & in ſpiritu veſtrô, qvi ſunt DEI. (Vulgata
parùm rectè: Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate & por-
tate DEUM in corpore veſtrô. Addit ſcil. qvæ in
fonte non exſtant, & omittit,
qvæ exſtant.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

CAPUT SEPTIMUM.

CApite ſeptimô uberiùs explicat doctrinam, de vitandâ ſcortatione & immundiciâ, monſtrans rectum conjugii uſum, & perfectæ continentiæ donum non omnibus contingere asſerens. Commendans interim virginitatem & cœlibatum, & optans dari plurimos, qvi eô vitæ genere decenter uti posſint.

Partes capitis duæ ſunt. Dehortatur enim primò ab importunâ continentiæ affectatione. Deinde ad continentiam virginalem & vidualem, ejus ſibi doni conſcios exhortatur.

Prior pars tribus membris abſolvitur: Propoſitione, Expoſitione ejus, & Amplificatione.

In Propoſitione concedit, bonum qvidem eſſe homini, ſeu commodum, non attingere mulierem: at propter ſcortationes cavendas, habendam mari ſuam uxorem, & fœmellæ maritum pro-
1 prium. Verba ſunt: *De qvibus autem ſcripſiſtis mihi, bonum eſt homini* (continentiâ prædito) *mulierem non tan-*
2 *gere:* (& vicisſim virgini, virum non cognoſcere.) *Propter fornicationes autem* (evitandas) *unusqvisq; ſuam uxorem habeat, & unaqvæq; ſuum virum habeat.* (Non eſt homini cuicunqve bonum, eſſe ſolum, Gen. 2, 18. ſed alicui homini bonum eſt, cui nullum à ſcortatione periculum. Vide hîc Eraſmi annotationes.) Cæterùm Ecthеſis propoſitionis, naturam conjugalis ſocietatis, & conditionem explicat, atqve verum eſſe commonſtrat, qvod ſcortationis vitio medeatur. Etenim conjugii lex poſtulat id, ut vir mulieri, & mulier viro poteſtatem ſui corporis faciat, ad ſcortatio-
3 nes præcavendas. *Uxori* (inqvit) *vir debitum* (debitam benevolentiam, τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν) *reddat, ſimiliter & uxor*
4 *viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet,* (ut deneget viro, aut fiat alteri,) *ſed vir,* (qvi eam ſibi ſtipulatus eſt.) *Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* (Utraqve pars ad mutuam cohabitationem eſt

ob-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

obſtricta.) *Nolite fraudare invicem,* (alter ne ſubtrahat cor- 5
poris uſum alteri,) *ni fortè ex conſenſu ad tempus, ut va-*
cetis jejunio & orationi (ſolenniori. Nam alioqvin orandum
qvotidiè eſt. Jejunare autem ad orationes qvotidiè non posſumus.
Et plus eſt vacare σχολάζειν, precibus, qvàm ſimpliciter orare.)
Et iterùm revertimini in idipſum, (convenite in unum)
ne tentet (illiciat ad ſcortationes) *vos Satanas, propter in-*
continentiam veſtram, (ſi diuturniorem ſeparationem ferre
neqveatis.) Addit ἐπανόρθωσιν, qvâ ſe in continentioribus hoc in-
dulgere, non autem ſimpliciter omnibus præcipere proteſtatur, v. 6.
Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecun- 6
dùm imperium. (Sunt enim, qvi absqve periculô diu ſatis ſecu-
bare à conjugibus posſunt.) Tertiò, in amplificatione repetitâ pro-
poſitione, præclaris qvibusdam regulis, tùm cœlibes, tùm conjuges,
inſtruit. Propoſitionem his verbis repetit, verſ. 7. *Volo autem* 7
omnes esſe ſicut meipſum: (continentes ſcilicet) *ſed unus-*
qvisq; proprium donum habet ex DEO, alius qvidem
ſic, alius verò ſic. Dico autem non nuptis (cœlibibus, τοῖς 8
ἀγάμοις, innuptis) *& viduis* (eos primùm inſtruit,) *bonum eſt*
illis, ſi ſic permanſerint ſicut ego, (ſi continentiæ dono pol-
leant.) *Qvòd ſi non ſe continent, matrimonium con-* 9
trahant. Meliùs eſt enim nubere, qvàm uri, (pruritu
carnis æſtuare.)

Nunc conjugibus præſcribit regulas, 1. Præcepta DEI de vitan-
dâ ſeparatione. *Iis autem, qvi matrimonio juncti ſunt,* 10
præcipio non ego, ſed Dominus, Uxorem à virô non dis-
cedere. Qvòd ſi discesſerit, (ob duritiam, crudelitatem, a- 11.
liásve cauſas, judicibus probatas, extra culpam adulterii) *maneat*
innupta, aut viro reconcilietur. Et vir uxorem non di-
mit-

mittat, (niſi ob fornicationem, Matth. 19,9.) 2. Conſilia in ve-
12 teri lege non expreſſa. *Cæteris autem* (disparis religionis conju-
gibus) *ego dico, non Dominus*, (cujus apertum mandatum non
habeo oſtendere:) *ſi qvis frater uxorem habet infidelem,*
& hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam:
13 *Et ſi qva mulier* (Chriſtiana) *virum habet infidelem,*
(Ethnicum vel Judaicum) *& hic conſentit habitare cum il-*
lâ, non dimittat illum. Rationem attexit hanc, qvòd Ethnica
perſona, Chriſtianæ cohabitans, per Chriſtianam ſanctificetur, puta
ad uſum conjugalem, ut ſanctè qvis conjugiô illô uti poſſit; idq; ex-
inde approbat, qvòd liberi, tali è conjugiô nati, ſancti ſint. Nimi-
rum velut dona DEI, verbô & precibus Eccleſiæ ſanctificantur, & ad
ſacra eis patet aditus, ſicut 1. Timoth. 4,5. dicit, omnem DEI creatu-
ram ſanctificari verbo DEI, & precibus, etiam conjugium & cibos.
14 Sic ait hôc locô verſ. 14. *Sanctificatus eſt vir infidelis in*
muliere (Chriſtianâ,) *& mulier infidelis in viro.* (qvoniam
verum inter ſe & fidum colunt matrimonium. Placet enim utriqve
parti ea conjugii integritas, qvam DEUS verbo ſuo præcepit, & qvam
Chriſtiani colunt.) *Alioqvin filii veſtri immundi eſſent,*
(ſi ſcilicet immundum eſſet ejusmodi conjugium inter dispares,)
nunc autem ſancti ſunt, (legitimo & Chriſtiano conjugio pro-
creati, benedictionis publicæ participes.) Tertia regula, de disparis
15 religionis conjugibus ſic habet: *Qvod ſi infidelis diſcedit,*
(à Chriſtianô conjuge) *diſcedat. Non enim ſervituti ſub-*
jectus eſt frater aut ſoror in hujusmodi. In pace au-
tem nos vocavit DEUS, (ideóq; diſſidiis & divortiis occaſio
omnis præcidenda.)

Confirmat utramqve regulam, de dispari conjugiô traditam,
triplici argumento.

Primum capit à fructu talis matrimonii, qvi eſt converſio infi-
16 delium, verſ. 16. *Qvid enim noſti, mulier, ſi virum ſal-*
vum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

vum facias (converſatione & exemplô tuô, etiam absqve verbô
eum lucrata, 1.Pet.3,1.) *Aut unde ſcis, vir, ſi mulierem ſal-
vam facias?* (Tanta igitur ſpes, nec tuâ ſeparatione aut disſidiô
corrumpenda, nec verò, cùm incerta ſit, injuſtâ ſervitute emenda
eſt.)

Alterum ſumit à decorô. Decet enim qvemq; æqvô ferre ani-
mô, divinam de rebus ſuis diſpoſitionem, per qvam, ſi cui infidelis
conjux obtigit, ferendum: Et ſi diſcedat, itidem vocatione divinâ u-
tendum eſt. *Niſi* (inqvit verſ.17.) *unicuiq;, ſicut diviſit Do-* 17
*minus, unumqvemq; ſicut vocavit DEUS, ita ambu-
let. Et ſic in omnibus Eccleſiis doceo.* (διατάσσομαι, ordi-
no, diſpono.)

Tertium à ſimilibus conſtitutionibus transfert ad propoſitum.
Semper enim vocatio tenenda, ſi melior non obtingat. Sed ſi obtin-
gat, ea potiùs eligenda: ſi par ſit utraqve, nihil laborandum. Simi-
liter in matrimoniô. *Circumciſus aliqvis vocatus eſt? non* 18
*adducat præputium. In præputiô aliqvis vocatus eſt?
non circumcidatur. Circumciſio nihil eſt, & præputium* 19
nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum DEI. (Hîc igitur
nulla diſparitas. In Chriſto neq; Judæus eſt, neq; Græcus, neq; ſervus,
neqve liber, Gal.3,28.) *Unusqvisq;, in qvâ vocatione vo-* 20
catus eſt, maneat. (Similiter) *ſervus vocatus es? non ſit* 21
tibi curæ: ſed & ſi potes fieri liber, magis utere. Qvi 22
enim in Dominô vocatus eſt ſervus, (conditione & ſtatu ci-
vili) *libertus eſt Chriſti,* (à Filio DEI liberatus, libertateq; dona-
tus ſpirituali, Joh.8,36.) *Similiter qvi liber vocatus,* (condi-
tione civili) *ſervus eſt Chriſti,* (ex fœdere baptiſmali, Rom.6,
16.17.18.) *Pretio emti eſtis* (ſangvinis Chriſti,) *nolite fieri ſer-* 23
vi hominum, (qvoad animam & ſpiritum, qvantumvis corporeâ
ſervitute adſtringamini.) Concludit hoc argumentum, repetitâ ter-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

tiò regula de vocatione divinâ, divinô obſeqviô tuendâ, verſ. 24.
24 *Unusqvisq; in qvo vocatus eſt, fratres, in hoc maneat apud DEUM.* (Sic etiam in conjugiô ſuô qvilibet.)

II. Svadet continentiam virginalem & vidualem à verſu 25. ad finem capitis.

Tractationis partes ſunt duæ: Una de virginibus; Altera de viduis agit. I. Propoſitio. II. Expoſitio. III. Confirmatio ponitur in priori membro.

Propoſitionis ſenſus eſt: Non præcipio virginitatem omnibus, ſed ſvadeo, ut virginitatem, tanqvam bonum ſingulare appetant, qvi continere poſſunt, idq; propter eam neceſſitatem, in qvam incidunt
25 conjugio adſtricti. Verba hæc ſunt: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo: conſilium autem do,* (γνώμην, ſententiam) *tanqvam miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis* (in domo DEI ſervus, ad conſervo-
26 rum utilitatem.) *Exiſtimo igitur, hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem* (afflictionis,) *qvoniam bonum eſt homini ſic eſſe.*

Ἔκθεσις propoſitionis, primò ſententiam explicat uberiùs, & deinde regulas qvasdam recitat, ad prudentiam in hôc negotiô adhibendam pertinentes. Nam iis ſe nihil de virginitate præſcribere ait, qvi uxoribus alligati ſunt, ſed iis tantùm, qvi ab iis ſunt ſoluti.
27 *Alligatus es uxori?* (inqvit) *noli qværere ſolutionem. Solutus es ab uxore? noli qværere uxorem,* (ſi continere
28 potes.) *Sin autem acceperis uxorem, non peccâſti, & ſi nupſerit virgo, non peccat. Tribulationem autem carnis* (τῇ σαρκὶ, carni, ſive in carne) *habebunt hujusmodi, ego autem vobis parco* (de illâ.)

Mox regulas tradit nonnullas, qvibus obſervatis, afflictionem
29 illam carnis evitari poſſe indicat. *Hoc itaqve dico, fratres,*
tem-

tempus breve eſt, (ὁ καιρὸς συνεσταλμένος, tempus contractum
in argutias, & qvaſi ſubtractum ſeculo, ne qvis in eo poſſeſſionem,
aut lætitiam firmam ſperet.) *Reliqvum eſt, ut & qvi habent*
uxores, tanqvam non habentes ſint, (corde eis non adhæ-
reſcant, ſed DEO.) *Et qvi flent, tanqvam non flentes*, 30
(in DEO gaudentes.) *Et qvi gaudent* (in conjugio, liberis, bonis
temporalibus,) *tanqvam non gaudentes*, (ſed lugentes ſpiri-
tualiter, Matth. 5, 4.) *& qvi emunt, tanqvam non poſſi-*
dentes, (cor non apponentes.) *Et qvi utuntur hôc mundô*, 31
tanqvam non utantur, (μὴ καταχρώμενοι, abutentes.) *Præ-*
terit enim figura hujus mundi. (Fluxis igitur & caducis nihil
tribuendum, ſed æterna in cœlis bona qværenda. Figuram vocat
mundi ſeu ſpeciem, qvia nihil ei ſubeſt ſolidi.)

Tertiò, Confirmatio exhortationis petitur à comparatione
ſtatûs virginalis & conjugalis, cujus vis hæc eſt: In qvô vitæ genere
DEO promtiùs ſerviri poteſt, absqve ſollicitudine ſeculi, id potiùs
eligendum. At in virginitate promptiùs DEO ſerviri poteſt, absqve
ſollicitudine ſeculi, qvàm in conjugiô. Ergò virginitas conjugio præ-
ferenda. Major iſtis verbis exprimitur verſ. 32. *Volo autem vos* 32
ſine ſollicitudine eſſe. Minor probatur comparatione cura-
rum utriusqve vitæ generis. *Qvi ſine uxore eſt, ſollicitus eſt*
de iis, qvæ ſunt Domini, qvomodo placeat Domino.
Qvi autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt de iis, qvæ ſunt 33
mundi, qvomodo placeat uxori, & diviſus eſt. (Hoc
eſt, cœlebs ſoli DEO unicè addictus, à curis mundanis liber eſt, con-
jugatus etiam uxori placere ſtudet.) *Et mulier innupta &*
virgo cogitat, (variant hîc Latini Codices. Reſtitue è fonte
Græcô: μεμέρισαι ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος. Diviſa eſt mulier &
virgo. Diſtinctæ ſunt à ſe invicem, non naturâ, inqvit Ambroſius,
ſed tactu: qvia legimus in Numeris, mulieres virgines appellatas.)

34 *Innupta cogitat, qvæ ſunt Domini, ut ſit ſancta & cor-*
pore & ſpiritu: qvæ autem nupta eſt, cogitat, (μεριμνᾷ,
curat,) *qvæ ſunt mundi, qvomodo placeat viro.* (Multum
cogitur temporis mundanis occupationibus attribuere, Luc. 10,
41.42.) Cæterùm hanc rationem additâ mitigatione expolit, ſignifi-
cans eò rapiendam non eſſe, qvaſi neceſſitatem, tanqvam laqveum
injicere velit cuiqvam extra conjugium vivendi, ſed ut utilitati con-
tinentium conſulat, qvi ſic decenter, & absqve impedimento Do-
mino, tanqvam aſſidui & accubui, vacare qveant: Alioqvi ſe ſuam
unicuiqve libertatem relinqvere integram, nec conjugium vitupera-
35 re ullo modo. Textus eſt: *Porrò hoc ad utilitatem veſtram*
dico, non ut laqveum vobis injiciam, ſed ad id, qvod
honeſtum eſt, (ἔυσχημον, decorum,) *& qvod facultatem*
præbeat, ſine impedimento Dominum obſecrandi.
(Codex meus antiqviſſimus manuſcriptus habet, Domino obſer-
vandi. Eraſmus corrigit: obſerviendi. Verto: indivulsè, Græcè ἀ-
περισπάστως, Domino aſſidendi. Eſt enim εὐπρόσεδρον τῷ Κυρίῳ, ut
dum tanqvam diſcipulus præceptori qvis aſſideat, non interturbatus
36 curis ſeculi.) *Si qvis autem turpem ſe videri* (dedecere,
ἀσχημονεῖν) *in virgine ſuâ exiſtimat, ſi ſit ſuperadulta,*
ὑπέρακμος, (& tamen innupta) *& ſic oportet fieri* (ob pericu-
lum uſtionis, aut ſcortationis) *qvod vult, faciat; non pec-*
37 *cat, ſi nubat,* (nubant, γαμείζωσαν,) *qvi verò ſtatuit in cor-*
de ſuô firmus, non habens neceſſitatem (uſtionis aut ſcor-
tationis metum,) *poteſtatem autem habet ſuæ voluntatis,*
(virgine non refragante) *& hoc judicavit in corde ſuô, ſer-*
38 *vare virginem ſuam, benè facit. Igitur & qvi matri-*
monio jungit virginem, benè facit, & qvi non jungit,
meliùs facit. (Satius eſt enim ἀπερισπάστως Domino adhæreſce-
re, qvàm ullo modo terrenis curis intricari.)

Par-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,:266)

Parte alterâ de viduis eandem fert,qvam de virginibus tulit, ſen-
tentiam : Nimirum licere eis matrimonio copulari denuò , beatio-
res tamen eſſe, ſi in viduô permaneant torô. Contextus planiſſimus
eſt, verſ.39.40. *Mulier alligata eſt legi* (conjugali,) *qvantô* 39
tempore vir ejus vivit : qvòd ſi dormierit vir ejus, li-
berata eſt à lege, (libera eſt,) *cui vult, nubat, tantùm in*
Domino, (honeſtè & piè, non cum laſciviis, Rom. 7,2.) *Beatior* 40
autem erit, ſi ſic permanſerit, ſecundùm meum conſi-
lium (meam ſententiam. Niſi fortè junior ſit, & continere ne-
qveat. Nam juniores viduas vult nubere & τεκνογονεῖν, ne avertan-
tur poſt Satanam, 1.Tim.2,14.) *Puto autem, qvod ego Spiri-*
tum DEI habeam, (ideóq; ſententia mea in talibus non erit
ſusq;deq; habenda.)

CAPUT OCTAVUM.

INSTITUTIO QVINTA, DE USU ET ABUSU CHRISTIANÆ LIBERTATIS IN ADIAPHORIS.

CApite octavô incipit reprehendere abuſum ſcientiæ libertatis, qvam nonnulli in licentiam qvidvis faciendi transformabant, cum ſcandalo infirmorum, præſertim circa idolothyta. Qvare de iis ſententiam ſuam ita dicit, ut infirmorum contemptores gravisſimis argumentis percellat.

Tractationis partes duæ ſunt : Propoſitio, & Confirmatio.

Propoſitio ab hypotheſi de idolothytis, ad generalem mox theſin transfertur, & ab adjunctâ ratione, qvænam ſit, colligitur: Nimirum in iis, qvæ ſcimus liberæ eſſe obſervationis, dilectionis qvàm ſcientiæ major eſt habenda ratio. Et qvi ſcientiâ libertatis pollent, malè eâ abutuntur ad ſcandalum infirmorum. Verba ſic diſpoſita ſunt, ut
propoſitionem rationi primæ habeant alligatam. *De iis autem* 1
(inqvit) *qvæ idolis ſacrificantur, ſcimus, qvod omnes*
ſcientiam habemus, (qvotqvot perfecti ſumus, licere iis veſci, ut

2 cibis à DEO conditis.) *Scientia* (nuda) *inflat, charitas verò*
ædificat. (Ergò ſcientiâ cum charitate utendum, ad ædificationem
proximi.) *Siqvis autem ſe exiſtimat ſcire aliqvid* (absqve
charitate,) *nondum cognovit* (qvicqvam,) *qvemadmodum*
oportet eum ſcire. *Siqvis autem diligit DEUM, hic*
3 *cognitus eſt ab eo,* (ut dilectus ipſi. Et vicisſim, ſi qvis rectè co-
gnoſcit DEUM, is diligit eum. Non autem in eo gloriandum, qvod
ſcimus aliqvid, niſi illud decenter ſciamus, nec tàm de ſuâ, qvàm ſui
cognitione divinâ confidendum.)

Eſt igitur confirmationis argumentum primum, ab adjuncta ſciolorum vanitate ductum, & comparatione effectuum charitatis & ſcientiæ illuſtratum, hoc modo: Qvod nudum & ſolum inflat, & charitati tantùm junctum ædificat, eò absqve charitate non eſt utendum. At ſcientia ſola & nuda inflat, charitati verò juncta demum ædificat. Ergò eâ absqve charitate non eſt utendum, verſ. 1.2.3.

Alterum petitur ab adjunctis fratrum infirmorum, ſcientiâ ca-
rentium, hoc modo: Si qvidam fratres Chriſtiani idolis adhuc ali-
qvid tribuunt, non eſt absqve discretione idolothytis veſcendum. At
qvidam adhuc idolis aliqvid tribuunt. Ergò non indifferenter idolo-
thytis utendum. Major inde conſtat, qvod ait: qvidam conſcien-
7 tiâ idoli usqve nunc qvaſi idolothytum comedunt, (putantes ſcilicet
ſe idolo adhuc debere gratificari, ſacrificiis ejus veſcendo) & conſci-
entia illorum, cùm ſit infirma, polluitur, verſ. 7. (Atqvi tales ædifi-
candi erunt, non autem indiſcreta idolothytorum comeſtione offen-
dendi, & confirmandi in ignorantiâ.) Minorem probat, exponen-
do veram de idolis ſententiam, & negando illam omnibus eſſe per-
fectam, verſ. 4.5.6.7.

De eſcis autem eorum, (de comeſtione igitur, Græcè:
4 περὶ τῆς βρώσεως οὖν) *qvæ idolis immolantur, ſcimus, qvod*
nihil eſt idolum in mundo, (nihil qvicqvam ei tribuendum,)
& qvod nullus eſt DEUS, (ἕτερος, alius,) *niſi unus.*
5 *Nam etſi ſunt, qvi dicuntur dii, ſive in cœlo* (Angeli,)
ſive

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſive in terrâ (Principes,) *ſiqvidem* (ὥσπερ, qvemadmodum) 6
*ſunt Dii multi, & Domini multi: Tamen nobis unus
eſt DEUS Pater, ex qvo omnia, & nos in ipſum* (glori-
ficandum conditi.) *Et unus Dominus JEſus Chriſtus, per
qvem omnia* (tùm condita, tùm reparata ſunt,) *& nos per
ipſum* (conſiſtimus.) *Sed non in omnibus eſt ſcientia* 7
(iſta.) *Qvidam enim conſcientiam ſibi adhuc aliqvam
de idolô fingunt, ac ſi aliqvid ei tribuendum ſit, nec
ſimpliciter illud pro nihilo reputandum.* Qvi ex illo erro-
re utiqve liberandi ſunt.

Tertium ſumitur à conſeqvente pernicioſo idolophagiæ, & ta-
le erit: Qvi in re adiaphorâ fratrem facit impingere in mandatum DEI, is perniciosè abutitur poteſtate ſuâ. At qvi temerè citra diſcretionem in Idoleo edit & bibit, is in re adiaphorâ facit infirmum fratrem impingere. Ergò is poteſtate ſuâ perniciosè abutitur. Major
indicatur verſ. 9. *Videte, ne fortè hæc licentia veſtra* 9
(poteſtas veſtra illa, qvâ comeditis & bibitis in Idoleó,) *offendicu-
lum infirmis fiat.* Adiaphoram eſſe illam comeſtionem con-
cedit verſ. 8. *Eſca autem* (inqvit) *non commendat nos Deo.* 8
Neqve enim ſi manducaverimus, abundabimus, (ſcili-
cet obedientiâ aut ſcientiâ,) *neqve ſi non manducaverimus,
deficiemus,* (Rom. 14, 17. minùs habebimus, ὑστερούμεθα.) Minor
probatur exemplô, qvod firmum eſſe, & asſertioni evincendæ, inter-
rogatio declarat. *Si enim qvis viderit eum, qvi habet ſci-* 10
*entiam, in Idoleo recumbentem, nonne conſcientia ejus,
qvùm ſit infirma,* (ἀσθενοῦς ὄντος, qvi infirmus eſt,) *ædifica-
bitur ad manducandum idolothyta?* (Nónne putabit illum
aliqvid tribuere idolis, & ſic in errore ſuô perſeverabit; aut ſi du-
bitaverit fortè, confirmabitur & ſeducetur ampliùs?) *Et peribit* 11
infir-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

infirmus frater (nondum confirmatus in conſcientiâ) *in tuâ ſcientiâ, propter qvem Chriſtus mortuus eſt,* (qvi etiam pro pereuntibus mortuus eſt, ut illos æternæ vitæ lucrifaceret.) Hoc argumentum amplificat Apoſtolus, & urget, ſignificando conſeqventiam horribilem, & ſuo exemplo atteſtando, qvantoperè à tali
12 culpâ abhorreat. *Sic autem peccantes* (inqvit) *in fratres, & percutientes* (vulnerantes) *eorum conſcientiam infirmam, in Chriſtum peccatis,* (qvi pro eis mortuus eſt, & ad regnum eos
13 ſuum vocavit.) *Qvapropter, ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.* (Rom.14,21. Væ enim mundo à ſcandalo, Matth.18,6.7. Luc.17,1.)

CAPUT NONUM.

Capite nonô ediſſerit ampliùs, qvod octavo propoſuit, nempè libertate non eſſe abutendum, ad ſcandalum infirmorum, idq; ſuô & Barnabæ exemplô confirmat, qvi planisſimâ libertate ſe abdicârunt, ne qvenqvam offenderent, & Evangelio remoram objicerent. Deinde argumentatur à communi omnium Chriſtianorum conditione, qvæ talis eſt, ut cuilibet cum timore & tremore ſalus ſua operanda ſit.

Argumentum ergò qvartum, à ſuô & Barnabæ exemplo tractum, copioſè tractat, ut fortiter inſtiget ad ſui imitationem Corinthios. Plena Syllogiſmi forma talis eſſe poterit: Si Paulus & Barnabas poteſtate & libertate ſuâ juſtisſimâ uti noluerunt, ne cui præberent ſcandalum, decet Corinthios utiqve & alios Chriſtianos, idipſum imitari, nec prætextu libertatis infirmos offendere. At Paulus & Barnabas libertate planisſimâ abuti noluerunt. Ergò in promptu eſt Concluſio.

Major ut manifeſtisſima omittitur. Minoris probationi totus incumbit Apoſtolus. Et primùm probat libertatem & poteſtatem ſuam, à verſu primô ad duodecimum. Deinde, ſe eâ non eſſe uſum aſſerit, & qvare, verſ.12. Tertiò, iterum novis probationibus jus liberta-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

bertatemq́; ſuam oſtendit, verſ.13.14. ac denuò ſe eâ non eſſe uſum de-
clarat per ἐπιμονὴν, verſ.15. cum αἰτιολογίᾳ, qvare hæc ſcribat & faciat,
verſ. 15.16. Cæterùm priusqvam jus & libertatem ſuam exprimat,
præmunit officii & perſonæ ſuæ dignitatem, demonſtrans ſe eſſe A-
poſtolum & liberum. Apoſtolum ſe demonſtrat 1. à propriô Apo-
ſtolatûs, qvod eſt vidiſſe Dominum JEſum, & ab eo ipſo eſſe ablega-
tum, verſ.1. *Non ſum Apoſtolus? nónne ſum liber? nón-* 1
ne JEſum Chriſtum Dominum noſtrum vidi? (& ab eô
miſſus ſum, ad prædicandum gentibus? Act.9,22.26.) 2. ab effectis
Apoſtolicis, inter qvæ nominatim allegat Corinthiorum converſio-
nem. *Nónne opus meum vos eſtis in Domino? Si aliis* 2
non ſum Apoſtolus, (invidis,) *ſed tamen vobis ſum. Nam*
ſignaculum Apoſtolatûs mei vos eſtis in Domino, (qvos
primus ego Chriſtianos feci.) *Mea defenſio apud eos, qvi me* 3
interrogant, (ἀνακρίνουσι, dijudicant) *hæc eſt.* (2.Cor.3,2.3. Li-
berum ſe, & poteſtate aliqvâ, qvam exercere propter infirmos nolue-
rit, præditum, evincit interrogationibus, qvibus irrefragabilem in-
eſſe veritatem conſtat. Una poteſtas eſt in largiore cibô & potu.
Nónne habemus (inqvit) *poteſtatem manducandi & bi-* 4
bendi? verſ.4. Alteram in circumductione uxoris, verſ.5. *Nónne* 5
habemus poteſtatem ſororem mulierem (uxorem, γυναῖκα.
Ita Clemens Alexandrinus interpretatur 3. Strom. Eamq́; expoſitio-
nem reqvirit connexio, qvia præcedit vocabulum ἀδελφὴν. Omnis
enim ſoror mulier, at non omnis ſoror, puta ſpiritualis, uxor. Nulli
igitur uſui foret h.l. vox mulieris, niſi uxorem deſignaret. Nec va-
câſſet ſcandalo, ſi alias mulieres, præterqvam uxores circumduxiſ-
ſent Apoſtoli,) *circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, &*
fratres Domini (Jacobus minor, Simon, Judas) *& Cephas?*
(qvem uxorem habuiſſe conſtat ex Matth.8,14. Marc.1,14. Luc.4,38.)
Aut ego ſolus & Barnabas non habemus poteſtatem 6
hoc operandi? (τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι, non operandi, ſcilicet propriis

T ma-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

manibus, qvod eſt abſurdum, æqvalibus denegari æqvalia.) Tertiam libertatem ponit in acceptione ſtipendii, qvam probat à jure & juſtitiâ elucente in ſimilibus, ut militiâ, agriculturâ, paſtione, qvæ ſi-
7 milimæ judicantur à Spiritu Sancto miniſterio Evangelico. *Qvis* (ſcribit verſ. 7.) *militat ſuis ſtipendiis unqvam? qvis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? aut qvis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Ne autem hoc argumentum à ſimilibus infirmum cenſeretur, & humanum potiùs, qvàm divinum, demonſtrat hujusmodi in ipsâ lege monſtrari, in qvâ præceptum exſtat, de non obturando ore bovis triturantis, id qvod non propter boves, ſed homines præceptum esſe,
8 nemo non intelligit. *Nunqvid ſecundùm hominem hæc dico?* (nunqvid humanâ utor ratiocinatione?) *nonne etiam lex*
9 *iſta dicit? Scriptum eſt enim in lege Moſis*: (Deut. 25,4.) *Non obligabis os bovi trituranti. Nunqvid de bobus cura eſt DEO?* (ut illorum causâ legem tulerit?) *An propter*
10 *nos utiqve dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt iſta, qvoniam debet in ſpe, qvi arat, arare, & qvi triturat in ſpe,* (fructus percipiendi) *ſpei iſtius particeps fieri.* (Dignus enim operarius mercede ſuâ, Matth. 10,10.)

Deinde jus accipiendi ſtipendii confirmat, à comparatione la-
11 boris & præmii, cùm inqvit verſ. 11. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* (qvi ſpiritualem à nobis ſementem accepêre, parum faciunt, ſeculi hujus bona nobis impertiendo, Rom. 15,27. 2. Cor. 9,6. Galat. 6,6.)

12 Tertiò, idipſum probat ab exemplo minorum, verſ. 12. *Si alii poteſtatis veſtræ* (in vos) *participes ſunt,* (qvi minùs in vobis laborârunt,) *qvantò magis nos?*

Alterô membrô negat, ſe & Barnabam poteſtate & jure ſuô esſe uſos,

uſos, eamq; dilectionem & tolerantiam imitandam proponit Corinthiis. *Sed non uſi ſumus* (inqvit) *hâc poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne qvod offendiculum* (ἐγκοπὴν, interciſionem, remoram) *demus Evangelio Chriſti.* (Ne inſcientes & imperiti occaſionem habeant ſuſpicandi, qvaſi ventris & lucri causâ peragremus regiones longinqvas.)

Tertiò, redit ad probationem juris ſui, & qvartum producit argumentum, à legis ſacrificialis conſvetudine, mandato Chriſti renovatâ, depromptum, verſ.13.14. *Neſcitis, qvòd qvi in ſacra-* 13
riô operantur, (τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι, qvi ſacris operantur,) *de ſacrô edunt? qvi altari deſerviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qvi Evange-* 14
lium annunciant, de Evangelio vivere. (Matth.10, 9.10. Luc.9,3. &10, 8.)

Deniqve repetit, ſe eô jure non eſſe uſum, exponens uberiùs cauſam, cur illi renunciaverit anteà, ac deinceps renunciaturus ſit, ut hoc pacto nervosè perſvadeat Corinthiis, neceſſe eſſe, ut & ipſi, propter infirmos fratres, de libertate aliqvid ſuâ remittant. Ac primùm, cur ſtipendium accipere noluerit, verſ.15.16.17.18. Tùm, cur alii libertati non indulſerit, explicat verſ.19.20,21.22.23. *Ego* (inqvit) 15
nullo horum uſus ſum. Non autem ſcripſi hæc, ut ita fiat in me: (ſtipendium mihi numeretur, ac vivam de Evangelio.) *Bonum eſt enim mihi magis mori, qvàm ut gloriam meam qvis evacuet,* (qvâ Pſeudapoſtolis os obturare ſoleo.) *Nam etſi* 16
evangelizavero, non eſt mihi gloria, (gloriatio.) *Neceſſitas enim mihi incumbit,* (ad pœnam evitandam.) *Væ enim* 17
mihi eſt, ſi non evangelizavero. Si enim volens hoc ago, (promptô & ſpontaneô Spiritu, ad gloriam Chriſti, & converſionem fratrum,) *mercedem habeo* (in cœlis, uberiorem gloriam, immarceſſibilem gloriæ coronam, 1.Pet.5,4.) *Si autem invitus,*

(ne frauder ſtipendio,) *diſpenſatio mihi credita eſt* (myſterio-
rum DEI, à qvâ recedere neqveo, niſi velim DEI iram incurrere.)
18 *Qvæ eſt ergò merces mea?* (μοὶ, mihi? In qvonam mercedem
mihi polliceor?) *Ut Evangelium prædicans, ſine ſumptu
ponam Evangelium Chriſti,* (teſtans me ipſius ſpectare ſolius
honorem & gratiam,) *ut non abutar poteſtate meâ in
Evangelio,* (relinqvens occaſionem calumniandi adverſariis.
Hæc ſanè Spiritûs promptitudo præmio mihi erit apud Dominum.)
Tantum de non acceptis ſtipendiis. Nunc de reliqvæ etiam libertatis
19 abdicatione loqvitur verſ. 19. *Nam cùm liber eſſem ex omni-
bus* (Judæis & Græcis) *omnium me ſervum feci, ut plures
20 lucrifacerem. Et factus ſum Judæis tanqvam Judæus,*
(eorum ritus & ceremonias obſervando, ut in circumciſione Timo-
thei, Actor. 16, 3. tonſurâ capitis, expletô votô, Actor. 18, 18. & 21, 24.)
ut Judæos lucrarer: iis qvi ſub lege ſunt, (gratiam libera-
tionis Chriſti nondum intelligentes,) *tanqvam ſub lege* (Mo-
ſaicâ, obſervans mandata, qvùm ipſe non eſſem ſub lege,) *ut eos,
21 qvi ſub lege erant, lucrifacerem. Iis qvi ſine lege erant*
(gentibus) *tanqvam ſine lege eſſem,* (Moſaica præcepta, tan-
qvam antiqvata, violando,) *qvùm ſine lege DEI non eſſem,
ſed in lege Chriſti,* (ἔννομος, lege obligatus Chriſti, cujus finis
eſt dilectio, Gal. 6, 2.) *ut lucrifacerem eos, qvi ſine lege erant.
22 Factus ſum infirmis, tanqvam infirmus,* (abſtinendo ab
idolothytis, à ſangvine, aliisq; cibis vetitis, Actor. 15. Roman. 14.)
ut infirmos lucrifacerem: Omnibus omnia factus ſum,
(attemperavi me illorum ingenio, qvantum ſalvâ conſcientiâ lice-
bat,) *ut omninò aliqvos ſalvarem,* (inſtitutione & exemplô
23 meô. Vulgata vitioſiùs habet: ut omnes facerem ſalvos.) *Hoc au-
tem facio propter Evangelium, ut particeps ejus effi-
ciar,* (qvoad æterna præmia.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Alterâ hujus capitis parte qvintum continetur argumentum,
à Chriſtianiſmi naturâ deſumptum, qvem curſui in ſtadio, & certa-
mini athletico comparat, unde talis naſcitur ſyllogiſmus: Omnis
certans continet ſe, & abſtinet ab omnibus, qvæ ullâ ratione inter-
vertere brabeum ipſi poſſunt. Omnis Chriſtianus certat, in ſtadiô
currit, pugilem agit. Ergò abſtinebit ab omnibus, qvæ brabeum ipſi
intervertere poſſunt: Et per conſeqvens cavebit, ne, dum libertati
corporis indulgeat, fratrem offendat, & naufragium fidei faciens,
coronam omittat. Majorem aſſerit verſ.25. *Omnis qvi in ago-* 25
ne contendit, ab omnibus ſe abſtinet; & illi qvidem, ut
corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorru-
ptam. Ratio eſt, qvia ſciunt omnes qvidem currere in ſtadio, ſed
uni cedere præmium. Minor inde patet, qvod ſtadii curſum & certa-
men Apoſtolus diſertè Corinthiis applicat, verſ.24. Imò ſibiipſi
verſ.26.27. *Neſcitis* (inqvit,) *qvod qvi in ſtadiô currunt,* 24
omnes qvidem currunt, ſed unus accipit præmium?
Sic currite, ut comprehendatis. Componit ergò Chriſtia-
niſmum cum certamine 1. reſpectu brabéi, qvod omnes appetunt,
ſed non omnes conſeqvuntur, verſ.24. 2. reſpectu continentiæ &
diligentiæ appetentium, qvam tantò majorem eſſe in Chriſtianiſmo
decet, qvantò eſt præmium excellentius, & damnum gravius, verſ.25.
Propoſitionem ſimilitudinis generalem ſibimetipſi accommodat,
exemplô præiturus aliis. *Ego igitur* (ait) *ſic curro, non qvaſi* 26
in incertum, (non dubiè,) *ſic pugno, non qvaſi aërem ver-*
berans: (certa mihi brabêi perceptio, certa ſalus mea:) *ſed ca-* 27
ſtigo (ὑπωπιάζω, lividum efficio, ſugillo) *corpus meum, &*
in ſervitutem (Spiritûs, cui obluctatur,) *redigo,* (mortifico
actiones carnis meæ, & abſtineo à voluptatibus, præmium mihi du-
bium reddere valentibus:) *ne fortè cùm aliis prædicave-*
rim, ipſe reprobus efficiar. (Scio ſanè, nomen meum in cœ-
lis ſcriptum, Luc.10,20. Act.26,16.17. Veruntamen in timore & tre-
more cuilibet operandum ſaluti ſuæ ſcio, Phil.1,12.)

CAPUT DECIMUM.

INSTITUTIO SEXTA, DE VANA IN EXTERNORUM SACRORUM COMMUNIONE CONFIDENTIA.

CApite decimô novam dehortationem profert Apoſtolus, antecedenti tamen cognatam, qvâ externorum ſacrorum communionem haud ſufficere declarat, ad ſalutis certitudinem, niſi qvis interiore cordis obedientiâ DEUM timeat & revereatur.

Dehortatur autem à variis flagitiis, præſertim ab idolorum conſortiô. Dehortatio generalior pertingit ad verſum decimum tertium; ſingularis, pertexitur reliqvô capite.

Tractatio prior eſt paradigmatica. Nam primò Iſraëlitarum proponit exemplum, tùm qvoad beneficia ipſis præſtita, in externorum ſacrorum communione, tùm qvoad exitium, à plerisq; eorum ſibi propriâ profanitate attractum, verſ. 5. Deinde applicat exemplum Corinthiis, dehortans à peccatis iisdem, qvibus Iſraëlitæ ſemet perdiderunt, qvalia qvinqve commemorat ordine, verſ. 6. &c. Tertiò applicationem confirmat, à fine Scripturarum, verſ. 11. & à communi fragilitate, verſ. 12. Deniqve claudit, adjectâ conſolatione à fidelitate DEI, ſcientis, qvantam qvisq; tentationem ſuſtinere valeat, & eventum eidem ſuppeditantis, verſ. 13.

Primùm, beneficia Iſraëlitis omnibus communia enumerat qvatuor, protectionem & ductum nubis, transitum per mare rubrum, comeſtionem mannæ, & bibitionem de petrâ.

1 *Nolo autem* (inqvit) *vos ignorare, fratres, qvod patres noſtri omnes ſub nube fuerunt,* (noctu eos atqve interdiu ducente, ac protegente, Exod. 13, 21.) *& omnes mare trans-*
2 *ierunt* (ſiccô pede, Exodi 14, 22.) *& omnes in Moſen baptizati ſunt* (ut ipſi, tanqvam divino Legato, crederent, & parerent, Exodi 14, 31.) *in nube & mari. Et omnes eandem eſcam*
3 *ſpiritualem manducaverunt,* (manna ſpirituali modô paratum, Exodi 16, 13. 14. ſpiritualem ſignificans cibum,) *& omnes*
4 *ean-*

eundem potum ſpiritualem, (non naturalibus, ſed ſpirituali-
bus mediis & modis ad ipſos derivatum, Exodi 17, 6.) *biberunt.*
Bibebant enim de ſpirituali, conſeqvente eos, petrâ,
(non de naturali, qvæ aqvam non ebullit.) *Petra autem erat*
Chriſtus, (qvi etiam inſiſtebat petræ, & de ſeipsô è petrâ illis aqvam
propinabat, percutiente Moſe, Exodi 17, 6. & ſemper eos comitaba-
tur.) *At* (licèt omnibus Iſraëlitis ea Dei beneficia, tanqvam favoris 5
ipſius Sacramenta, contingerent,) *non in pluribus eorum be-*
neplacitum fuit DEO, (utpote impiis gratiæ ejus contempto-
ribus:) *Nam proſtrati ſunt in deſertô.*

Seqvitur applicatio exempli ad Corinthios, aliosq; Chriſtianos.
Hæc autem in figurâ (typi) *facta ſunt noſtri,* (1.) *ut non* 6
ſimus concupiſcentes malorum, qvemadmodum & illi
concupierunt (allia & cæpas Ægypti, Num. 11, 5.6.) (2.) *Neqve* 7
idolorum cultores efficiamini, ſicut qvidam ex ipſis,
qvemadmodum ſcriptum eſt, (Exodi 32, 6.) *ſedit populus*
manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere, (cavete, ne
ſimiliter idolothytis veſcentes polluamini.) (3.) *Neqve forni-* 8
cemur, ſicut qvidam ex ipſis fornicati ſunt (cum Midia-
nitarum filiabus,) *& ceciderunt unâ die viginti tria millia,*
(imò in univerſum viginti qvatuor millia, annumeratis Principibus
& aliis, qvorum culpâ facinus erat commiſſum, Numer. 25, 9.)
(4.) *Neqve tentemus Chriſtum,* (temerè periculum facien- 9
tes juſtitiæ, potentiæ, & præſentiæ ejus,) *ſicut qvidam eorum*
tentaverunt, (Num. 21, 5. dicentes: Cur eduxiſti nos de Ægypto,
ut moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aqvæ: anima no-
ſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo. Similiter Exodi 17, 7. Eſt-
nè Deus in mediô noſtri, nec ne?) *& à ſerpentibus perierunt*

(igne-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

(igneis, qvotqvot ænei ſerpentis adſpectu non fuerunt ſervati, Nu-
10 mer.21,6.) (5.) *Neqve murmuretis, ſicut qvidam eorum*
murmuraverunt, (cùm aliàs ſæpè, Exodi 15,24. & 16, 7.8. & 17, 3.
tùm ſingulariter ob verba exploratorum, Num.14,2.27.29. & necem
ſeditioſorum, Num.16,11.) *& perierunt ab exterminatore*,
(proſtrati in deſertô omnes, demtis Joſuâ & Calebô, & paucis aliis
non murmurantibus, & proſtrati variis caſibus, Num.14,29.32. par-
tim conſvetâ hominum morte, & plagâ, qvâ viſitari homines ſolent,
partim inſolenti & ſubitaneâ, ut Num.16,29.30.47.48. & 27,3.)
Confirmatur applicatio à fine Scripturarum, cùm dicitur:
11 *Hæc autem omnia typi contingebant illis:* (exempla & fi-
guræ peregrinationis noſtræ, in timore DEI abſolvendæ in hoc ſecu-
lô.) *Scripta ſunt autem ad correptionem*, (νȣθεσίαν, cor-
rectionem) *noſtram, in qvos fines ſeculorum devenerunt.*
(Nam eorum, qvi ſuperioribus ætatibus vixêre, exempla annotari
voluit DEUS in Scripturis ſanctis, ut proſint iis, in qvos fines tempo-
rum, poſt exhibitum Chriſtum, incidunt, Rom.15,4. Mortuis enim
nihil prodeſt ſcriptio illa.)
Confirmatur iterum à communi renatorum ſtantium fragili-
tate, qvi cadere & excidere ſtatu ſuô poſſunt, ideóq; circumſpectione
& vigilantiâ opus habent, ne fallaciâ peccati ineſcentur, Hebr.3, 12.13.
12 *Itaq; qvi ſtat*, (in Domino fide, 1.Cor.16,13. Phil.4,1. 1.Theſs.3,8.)
videat, ne cadat, (ſubverſus à concupiſcentiâ carnis, Jac.1,14.15.
aut mundi, aut Principis mundi deceptionibus, 2.Tim.4,10. 2.Cor.
11,2. & averſus ad idem infidelitatis exemplum, Hebr.4,11.)
Finit generaliorem dehortationem, allatâ explicatione peri-
culi, imminentis etiam Corinthiis, niſi probè ſibimetipſis caveant:
13 *Tentatio* (inqvit) *vos non apprehendat*, (εἴληφεν, apprehen-
dit,) *niſi humana*; (à carne & mundi hujus filiis profecta, ac pro-
indelevior, qvàm Diabolica, qvalem ſuſtinebat Paulus, colophiza-
tus à Satanæ Angelo, 2. Corinth.12,7. qvalis tamen & alios firmio-
res fratres infeſtat, Epheſ.6,12.) *Fidelis autem DEUS*,
qvi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

qvi non patietur vos tentari ſupra id, qvod poteſtis, (infantes adhuc in Chriſto JEſu, ut ſuprà dixit cap. 3,1.) *ſed faciet etiam cum tentatione proventum* (eventum,) *ut poſſitis ſuſtinere,* (& in virtute Chriſti ſtantes vincere, Eph. 6, 12.)

Alterâ parte capitis repetit & urget dehortationem ab idololatriâ, eamq; ſingularibus argumentis roborat, & contrariam objectionem, à libertate manducandi carnes immolaticias ſumptam, refutat.

Itaqve partes tractatuli hujus tres ſunt, Propoſitio, Confirmatio, & Confutatio.

Propoſitionem è ſuperiori inſtitutione generali deductam, planisſimis verbis exprimit verſ. 14. *Propter qvod charisſimi mei fugite ab idolorum cultu.* 14

Deinde fugiendum à conſortio idolorum confirmat à conſeqventi geminó, nimirum communione cum Diabolis, & ſeparatione à Chriſto.

Oſtendit enim primò, ex manducatione idolothytorum ſeqvi communionem cum Dæmoniis, id qvod probat ſimilibus Eccleſiæ Chriſtianæ notis. Argumentum plenum tale poteſt formari: Qvicunqve menſæ & altari cujusqvam DEI communicat, is ipſius DEI particeps efficitur. Idolothyta comedentes, communicant menſæ & altari Diabolorum. Ergò idolothyta edentes participes fiunt Diabolorum.

Major confirmatur ſimilitudine veræ communionis, tùm Chriſtianæ, tùm Judaicæ. Nam ſi Chriſtiani, qvotqvot participes fiunt menſæ Chriſti, participes ſe ſtatuunt ipſius corporis & ſangvinis Chriſti: ſimiliter qvi ſocii ſunt menſæ Diabolicæ, conſortes ſe credant ipſorum fieri Diabolorum. Et ſicut Judæi, manducantes ſacrificia, participes ſunt ipſius altaris, & conſeqventer DEI illius, cui ſacrificatur: ſic qvoqve idolothytophagi participes conſtituuntur altaris, erecti Diabolis, & proinde ipſorum Diabolorum.

Minorem aſſerit, à fine & naturâ ſacrificiorum gentilium. Si enim, qvæcunqve gentes, DEUM verum ignorantes, ſacrificant,

ea Diabolis ſacrificant, conſtat, eos menſæ & altari Diabolorum accumbere, qvi ſacrificialibus iſtis cibis veſcuntur. At illud verum eſt, ſicut cum Apoſtolo, & ante illum, affirmavit Moſes Deut. 32, 17. Ergò & hoc.

15 Textus ita habet, verſ. 15. &c. *Ut prudentibus loqvar,* (non ut infantibus & pueris, haud capientibus myſterium cœnæ Dominicæ,) *vos ipſi judicate, qvæ dico,* (ut decet ſpirituales
16 judicare omnia, ſupra cap. 2. verſ. 15.) *Calix benedictionis, cui benedicimus* (ex inſtitutione Chriſti,) *nónne communicatio ſangvinis Chriſti eſt?* (Nónne calice illô benedictô ſangvis Chriſti communicatur omnibus ex eo bibentibus?) *Et panis, qvem frangimus* (diſtribuimus,) *nónne participatio corporis Chriſti eſt?* (Nónne per diſtributionem illius panis, cor-
17 pus Chriſti omnibus communicatur veſcentibus?) *Qvoniam unus panis* (myſticus) *unum corpus multi ſumus,* (ſub unô myſticô capite Chriſtô:) *nam omnes de unô pane* (per qvem Chriſtus ſe unus communicat) *participamus.* (Niſi enim per panem illum verè præberetur corpus Chriſti, non poſſemus ex illius panis unius participatione concludere, nos omnes unum cor-
18 pus eſſe.) Similiter verſ. 18. *Videte Iſraëlem ſecundùm carnem.* (Nam ſpiritualis Iſraël nos ſumus, qvi menſæ Chriſti, ut decet, communicamus.) *Nónne qvi edunt hoſtias, participes ſunt altaris?* (Etenim per ſeipſos aut alios ſacrificia obtulerunt in altari iſtô, DEUMq; illius altaris colere cupiunt, qvi hoſtiis inibi mactatis veſcuntur.) Hîc utitur prolepſi & ϖεϱαναϛή-σει, anteqvam ſimilia hæc propoſito ſuo applicet, ne qvis putet paritatem aliqvam veram ſubeſſe, qvando menſam Chriſti, & altare Iſraëliticum componit menſæ & altari Diabolorum: ſed ut qvilibet intelligat, ex mente & intentione Dæmoniorum, qvibus miniſtratur, & gentium illis miniſtrantium, comparationis fundamenta pendere. Alioqvi enim idolum nihil eſt, & idolothytum ide-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

idoli proprium non eſt, ſed Domini eſt terra & plenitudo ejus. Itaqve objicit ſibi verſ. 19. ſcribens : *Qvid ergò dico ? Qvod* 19
idolum ſit aliqvid, aut qvod idolis immolatum ſit aliqvid? (cui Chriſtianus metum aut religionem ullam tribuere debeat ? Neqvaqvam.) *Sed qvæ immolant gentes, dæmo-* 20
niis immolant, & non DEO: (qvem vel ignorant, vel qvodammodo è creaturis cognitum non inqvirunt, ut verè rectéq; cognoſcant, Rom. 1, 21. 22. &c. Itaqve Dæmoniis, ut diis ſuis, ſacrificant.)

Alterum argumentum capit à ſeqventi idololatrarum ſeparatione à Chriſto, qvod in hunc compingo ſyllogiſmum: Qvi menſæ Dæmoniorum ſunt conſortes, à menſâ Chriſti ſeparabuntur. Corinthii idolothytis veſcentes, menſæ Dæmoniorum fiunt conſortes. Ergò à menſa Chriſti ſeparabuntur, & ſic conſortiô hæreditatis cœleſtis excident. Major probatur ab impoſſibili. Fieri enim neqvit, ut Chriſtus impunitam relinqvat eorum temeritatem, qvi pariter ipſius & Dæmoniorum menſæ audent aſſidere.
Non poteſtis (inqvit) *calicem Domini bibere, & calicem* 21
Dæmoniorum; (puta juſtè & abſqve pernicie veſtrâ:) *non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum. An æmulabimur* (παραζηλοῦμεν, irritamus, ad æmu- 22
lationem provocamus) *Dominum? Nunqvid fortiores illô ſumus?* (Num potentiam iræ ejus ſuſtinebimus ? qvid dicam, audacia noſtra ſuperabimus ? nónne nos igne indignationis ſuæ accenſos comburet?)

III. Confutat objectionem, à libertate Chriſtianâ depromptam, qvâ utebantur idolothytophagi, dicentes omnia ſibi licere, puta non disertè prohibita, præſertim licere ſibi comedere omnia à DEO creata, cùm Domini ſit terra & plenitudo ejus. Reſpondet Paulus, negando conſeqventiam. Non enim ſeqvitur; licet Chriſtianis omnia comedere, ergò licet idolothyta, cum aliorum ſcandalo, comedere. *Omnia* (inqvit) *mihi licent, ſed non omnia* 23

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

expediunt: omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. (q.d. Illa tantùm licet facere, qvæ expedit facere, ad aliorum ædificationem: qvæ verò cum ſcandalo ſunt conjuncta, ea neqve licet facere, qvia deſtruunt potiùs, qvàm ædificant proximum.) Tùm confirmat negationem iſtam, à communi regulâ in omnibus
24 actionibus obſervanda: *Nemo enim qvod ſuum eſt, qvæ-*
rat, ſed qvod eſt alterius, (ἕκαστος, qvilibet. h.e. non ſuæ libertati aut voluptati, ſed proximi potiùs ſui ædificationi & utilitati qvisq; indulgeat.)

Porrò explicat, qvid in liberis negotiis, præſertim comeſtione ciborum, attendi oporteat, ſi qvis ſuam ſpectet conſcientiam, & ſi qvis proximi, infirmi fratris, ædificationem aut deſtructionem conſideret. Qvoad propriam hominis benè informati conſcientiam, nihil eſſe periculi fatetur in idolothytorum comeſtione, ſi infirmi fratris offenſio abſit. Itaqve diſertè ſcribit verſ. 25.
25 *Omne qvod in macello venit, manducate, nihil inter-*
rogantes (ἀνακρίνοντες, dijudicantes) *propter conſcientiam.*
26 *Domini enim eſt terra & plenitudo ejus,* (Pſalm. 24, 1.)
27 *Si qvis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne, qvod*
vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes pro-
28 *pter conſcientiam. Si qvis autem dixerit vobis, hoc*
immolaticium eſt idolis: (hoc diis noſtris, qvæ idola vobis ſunt, ſacrificatum eſt,) *nolite manducare, propter illum, qvi indicavit, & propter conſcientiam. Domini enim eſt terra, & plenitudo ejus.* (Ac proinde nihil, tanqvam idolo conſecratum, edendum eſt, ſed illi vero DEO omnium domina-
29 tio ſoli asſerenda.) *Conſcientiam autem dico, non tuam,*
(qvæ ſtatuit omnia eſſe Domini, qvantumvis Ethnicus ea attribuerit idolo ſuo:) *ſed alterius,* (ne putet te errori ipſius adſtipulari, & idolo illi aliqvid tribuere, comedendo ea, qvæ illi immolata eſſe profesſus eſt.) *Ut qvid enim mea libertas judicatur*

ab

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ab aliâ conſcientiâ. Si verò ego gratiâ (Dei) *participo,* 30
qvid blaſphemor pro eo, de qvô gratias ago? (Niſi pro-
pter alium ædificandum abſtinerem, nihil meam conſcientiam
comedendo læderem, cùm vero & vivo Deo, pro cibis mihi con-
ceſſis, dignas perſolvam gratias, agnoſcens me ipſius beneficio
percipere, qvæ ad hanc reqviruntur vitam ſuſtentandam.)

Concludit deniq; verſ.31.32. recitando regulas, qvibus finem actionum omnium attendendum, & qvicqvid ei adverſatur, removendum docet, easqvè ſuô exemplô iterum corroborat.
Sive ergò manducatis (ait) *ſive bibitis, ſive qvid faci-* 31
tis, omnia in gloriam DEI facite, (ut ſcilicet ipſum dato-
rem omnium celebretis, vosq; ipſos ad gloriam ipſius conditos
profiteamini.) *Sine offenſione eſtote & Judæis & genti-* 32
bus, & Eccleſiæ DEI, (hoc eſt, nulli cujuscunqve ordinis, pro-
feſſionis, aut vocationis, ſcandalum præbete, ſed qvantum in vo-
bis eſt, omnes annitimini lucrifacere.) *Sicut & ego per omnia* 33
*omnibus placeo, non qværens, qvod mihi utile eſt, ſed
qvod multis, ut ſalventur.* (Sicut oſtendit cap.9.)

CAPUT UNDECIMUM.

DE SACRIS MODESTE DEVOTEQ; ADMINISTRANDIS.

Caput undecimum ſeptimo Inſtitutionis membro inſumitur, & abuſus circa ſacrorum adminiſtrationem receptos, corrigit, laudatq; bonas conſvetudines.

Partes duæ ſunt. Priori laudat Corinthios, qvod contra qvosdam novatores, ritus ab Apoſtolo acceptos ſervent. Poſteriori reprehendit duo publicorum conventuum ſphalmata, ſatis enormia.

Utriqve præmittit propoſitionem generalem, qvâ ad ſui imitationem ita eos adſtringit, ſicut ipſe ad Chriſti imitationem
adſtrictus ſit. *Eſtote* (inqvit) *imitatores mei, ſicut & ego* 1

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Chriſti. Subjungit autem concluſionem ſimiliter generalem,
qvâ reliqva ad ritus pertinentia, in coràm ſe diſpoſiturum polli-
34 cetur his verbis: *Cætera autem, cùm venero, diſponam.*

Præter hæc membris qvatuor prior pars abſolvitur, Exordiô,
Propoſitione, Confirmatione & Epilogo.

Exordio, dilectionem ſuam & candorem teſtatur Corinthiis,
viamq; ſibi munit, ad æqvam placidamq; ſeqventis reprehenſio-
nis ſuſceptionem. Laudat enim eos, qvod traditionum accepta-
2 rum memores, ſacra ex præſcripto ſuo peragant. *Laudo autem
vos, fratres, qvòd per omnia meì memores eſtis,*
(ὅτι πάντα μου μέμνησθε qvòd omnia mea meminiſtis,) *& ſicut
tradidi vobis, præcepta mea* (τὰς παραδόσεις, traditiones)
tenetis, puta, qvantum ad reliqva attinet, & illud etiam, qvod
mox ſeqventi oratione confirmat. Nam qvæ cenſuram mereban-
tur, ea verſ. 17. perſtringere incipit.

Propoſitio concernit geſtus, habitumq; virorum ac mulie-
rum, in publico, eamq; rationibus ipſis annectit, erutu tamen
haud difficilem.

Nam verſ. 4. & 5. planisſimè exponit ſententiam, cùm inqvit:
4 *Omnis vir orans aut prophetans velatô capite*, (κατὰ κε-
φαλῆς ἔχων, in capite habens,) *deturpat caput ſuum.*
5 *Omnis autem mulier orans, aut prophetans, non vela-
tô capite, deturpat caput ſuum.*

Confirmat aſſertionem utramqve argumentis qvatuor.

Primum deſumitur, à dignitate & excellentiâ viri præ fœmi-
nâ, hôc modô: Sexus dignior, nudatione capitis honorare debet
caput ſuum, qvùm orat aut prophetat. Sexus maſculinus dignior
eſt fœmineo. Ergò is orans aut prophetans, nudabit caput ſuum
coram DEO. Viciſſim: Sexus inferior caput ſuum coram DEO non
nudabit, qvia habet caput intermedium, maritos videlicet, qvi-
bus iſta nudatio nec competit, nec placet. Major probatur ab
eminentiâ capitis, qvod habet melior ſexus, cui honor iſte debe-
3 tur. Ait enim: *Volo autem vos ſcire*, (pro confirmandâ ſen-
ten-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

tentiâ, qvam tenetis,) *qvod omnis viri caput Chriſtus eſt: caput autem mulieris vir, caput autem Chriſti,* (qvà homo eſt) *DEUS.* Deo igitur & Chriſto, capiti ſuo, hoc honoris debet maſculus, ut orans aut prophetans coram ipſo caput ſuum nudet, cujus locum vicesq; ſupplet publicè. Minor patet è
collatione ſexûs utriusqve, ut repetit verſ.7. *Vir qvidem non* 7
debet velare caput, qvoniam gloria & imago Dei eſt, (ratione ſcilicet poteſtatis, qvam habet in uxorem, & eminentiæ, qvâ Deum repræſentat,) *mulier autem gloria viri eſt,* (cujus radiis ipſa ſplendet, & dignitatem ejus illuſtrat.) Hoc probat argumento duplici ex ipsâ creatione ducto. Ille enim ſexus melior, qvi prior, qviq; alteri qvaſi originem præbuit. Item pro-
pter qvem alter conditus fuit. *At non vir ex muliere eſt,* 8
ſed mulier ex viro, prout è creationis hiſtoriâ liqvet. *Ete-* 9
nim non eſt creatus vir propter mulierem, (ſed immediatè propter Deum, ut illum glorificet, & prædicet:) *ſed mulier propter virum,* (ut ei ſit adjutorium, Gen. 2,18.)

Alterum argumentum petitur à ſimili. Si non decet tonderi
mulierem, aut decalvari, nec apertô eam capite eſſe decet. Ratio:
Qvia retectô capite eſſe, unum eſt idemq́, ac ſi ſit raſa 5
aut decalvata, verſ.5. (ἕν γὰρ ἐστι καὶ τὸ αὐτὸ τῇ ἐξερημένῃ. Mala
verſio eſt: Unum enim eſt, ac ſi decalvetur.) *Nam ſi non ve-* 6
latur, etiam tondeatur. At non decet eam radi aut tonderi, (prout pro confeſſo ſumit Apoſtolus. Ergò ſi turpe mulieri tonderi,) *aut decalvari, veletur.*

Tertium capitur à publicarum congregationum ſanctimoniâ, qvibus Angeli interſunt. Ejus vis hæc erit: Qvi ſexus, per malorum Angelorum ſeductionem, poteſtate ſuâ abuſus eſt, is poteſtatem capiti impoſitam geſtare debet, ob bonorum Angelorum præſentiam. At ſexus muliebris, per ſeductionem malorum Angelo-

gelorum, poteſtate ſuâ abuſus eſt, qvemadmodum Evæ facinus &
pœna docet. Ergò poteſtatem capiti impoſitam geſtabit, vela-
mentum ſcilicet, ne faciem bonorum Angelorum offendat. Sic
10 plana ſunt verba Apoſtoli: *Propter hoc* (ſubintellige, qvia mu-
lier ex viro, & propter virum condita, malè viro imperavit fructûs
vetiti comeſtionem,) *debet poteſtatem habere ſuper caput
ſuum,* (ut alius ei dominetur, ipſaq; id velatione capitis ſui, & de-
miſsione oculorum teſtetur) *propter Angelos,* (tùm bonos, ne
offendantur, tùm malos, qvia illis qvondam conſenſit, viroq; ut
conſentiret, perſvaſit.)

Hoc argumentum, ne ad nimiam muliebris ſexûs depresſio-
nem qvis torqveat, corrigit qvodammodo Apoſtolus, docens,
11 ſuam etiam illi generi præſtantiam & neceſsitatem eſſe. *Verun-
tamen neqve vir ſine muliere, neqve mulier absqve vi-
12 ro in Domino,* (puta legitimè conjungetur.) *Nam ſicut mu-
lier ex viro, in primâ creatione, ſic etiam vir per mu-
lierem* (procreatur & procreat.) *Omnia autem ex DEO,*
(qvi & illum & iſtam creavit, & procreationem utriusqve natura-
lem conſervat.)

Qvartum argumentum capit, à decoro & indecoro naturali,
& ἀνακοινώσει illuſtrat. *Vos ipſi* (ἐν ὑμῖν αὐτοῖς, in vobis ipſis)
13 *judicate, decet mulierem non velatam orare DEUM?*
14 *Nec* (aut nônne) *ipſa natura docet vos, qvod vir qvidem,
ſi comam nutriat,* (more fœmineó) *ignominia eſt illi.
15 Mulier verò, ſi comam nutriat, gloria eſt illi, qvoniam
capilli ei pro velamine dati ſunt?* Hinc ergò ſeqvitur, na-
turam rectamq; rationem ſvadere, ne mulier capitis nudatione
viro ſeſe exæqvet.

Epilogus ἀποδίωξιν involvit, & contentioſam his de re-
16 bus disputationem abrumpit. *Si qvis autem videtur con-
ten-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

tentioſus eſſe, nos talem conſvetudinem non habemus, (ſubintelligas licet utramqve, tùm contendendi de talibus, tùm capita mulierum nudandi,) *neqve Eccleſia Dei.*

Poſteriore parte duo reprehendit, in conventibus Corinthiorum ſacris.

Unum, qvòd ſchiſmata alant, id qvod ſuprà copioſius refutavit.

Alterum, qvòd ſacram Domini cœnam indignè habeant.

Præmittit generale Exordium, qvod propoſitionis etiam vice
eſſe poteſt. *Hoc autem præcipio,* (præcipiens, παραγγέλλων, 17
nempè qvod præceſſit) *non laudans,* (non laudo) *qvòd non
in melius, ſed in deterius convenitis.* (Omnes enim conventus ad ædificationem ſpectare debent, 1. Cor. 14, 26.)

Primum enim qvidem, convenientibus vobis in 18
Eccleſia, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo. Qvàm id vitioſum, ſuprà cap. 1. 2. 3. 4. declaravit, ideóq; hîc
parcè attingit: Tantùm cur verum eſſe credat, innuens. *Nam* 19
(ait) *oportet & hæreſes eſſe in vobis,* (neceſſitate non abſolutâ, ſed limitatâ, ob Satanæ & hominum malitiam, qvâ DEUS benè utitur, Matth. 18, 7. & 26, 24.) *ut qvi probati* (δόκιμοι, probi) *ſunt, manifeſti fiant in vobis.* (Sic enim contrariis juxta ſe poſitis, eluceſcit, qvinam plus DEUM, qvàm Diabolum diligant. ἵνα non cauſam ſignificat, ſed eventum, teſte Auguſtinó in Pſal. 54. mihi pag. 537. & Chryſoſtomó.)

Porrò indignam ſacræ cœnæ celebrationem primò proponit, deinde refutat, deniqve contrariam opponit ſententiam.

Reprehendit ſcilicet Corinthios, qvòd non tàm Dominicam, qvàm ſuam cœnam privatam, celebrare videantur. Id qvod exinde adſtruit, qvod unus non exſpectat alterum, ſed divites ſeorſim ſibi cœnent, pauperibus inſolenter contemtis. Verba, qvibus
hoc dicit, ſic habent: *Convenientibus ergò vobis in unum,* 20

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

jam non eſt Dominicam cœnam manducare. Probatio
petitur à proprietate cœnæ Dominicæ, qvæ perſonarum reſpe-
ctum excludit, & tàm ad pauperem qvàm divitem pertinet. Syllo-
giſmus talis emerget: Ubi qvilibet ſuam cœnam præſumit, & alius
eſurit, alius inebriatur, ibi cœna Domini non manducatur, ſed
alia ab ipſo non inſtituta. At apud Corinthios qvilibet ſuum ci-
21 bum præſumit. *Unusqvisqve enim* (inqvit) *ſuam cœnam
præſumit ad manducandum:* (προλαμβάνει ἐν τῷ φαγεῖν,
præoccupat in veſcendo, non conferens in commune qvod attu-
lit:) *& alius qvidem eſurit,* (pauper videlicet,) *alius au-
tem ebrius eſt* (dives, qvi multum habet offerre.) Ergò apud
Corinthios non eſt celebrare cœnam Domini, (prout ab ipsô in-
ſtituta eſt.)

Refutatio tàm perverſæ conſvetudinis qvinqve argumentis
perficitur. Primum ab abſurdo ducitur. Nam ſi ſic licebit agere, ſa-
tius erit privatim domi comedere, qvàm in publico ſanctorum
cœtu comparere, ad cœnam Domini ſumendam, id qvod eſt ab-
ſurdum. Eſt præterea cum contemptu Eccleſiæ DEI, & pauperum
fratrum, conjunctum, ſi qvis de oblationibus ſuis ſolus cœnare
22 præſumat, non exſpectatis egenis. Igitur inqvit: *Nunqvid do-
mos non habetis, ad manducandum & bibendum, aut
Eccleſiam DEI contemnitis, & confunditis* (καταισχύνε-
τε, pudefacitis) *eos, qvi non habent? Qvid dicam? lau-
dabo vos in hoc? non laudo.* Interrogatione ironicâ repre-
henſionem graviorem efficit.

Alterum, ab inſtitutionis Dominicæ autoritate ſumitur. Qvi
ſecus celebrant cœnam, qvàm à Domino JESU inſtituta eſt, non
Dominicam cœnam, ſed ſuam celebrant. At Corinthii eam ſecus
celebrant, id qvod commemoratione inſtitutionis comprobatur.
23 Ergò non Dominicam, ſed ſuam cœnam manducant. *Ego enim*
(ait) *à Domino accepi, qvod & tradidi vobis,* (ne igno-
rantiam, aut humanam autoritatem habeatis prætexere.)

Qvo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Qvoniam Dominus JEſus in eâ nocte, qvâ tradeba-
tur, accepit panem, & gratias agens, (ἐυχαριστήσας, gra-
tiis actis) *fregit & dixit: Accipite & manducate: Hoc* 24
eſt corpus meum, qvod pro vobis tradetur. (Græcè κλώ-
μενον, frangitur. Fractum enim eſt, non qvoad oſſa, qvæ manſe-
runt integra, ſed per dolores acerbiſſimos, per distractionem
membrorum, vulnerationem, perfoſſionem manuum ac pedum,
apertionem lateris, cruciatus incredibiles, &c. & ſic traditum pro
nobis in mortem, Eſa. 53, 5. Pſal. 22, 15. 18.) *Hoc facite in meam*
commemorationem. Similiter & poſtqvam cœnavit, 25
(cœnam alteram communem, fami ventris inſervientem abſolvit)
calicem, dicens: Hic calix novum Teſtamentum eſt, in
meo ſangvine. (Hic calix à me benedictus & vobis porrectus, in
& cum meô ſangvine novum vobis ſancit & confirmat teſtamen-
tum. Eſt enim in eo ſangvis Novi Teſtamenti, qvi pro vobis &
multis effunditur in remiſſionem peccatorum, ideóq; hoc pocu-
lo vobiscum novum illud pactum firmatur, Matth. 26, 28. Marci
14, 24. Luc. 22, 20.) *Hoc facite, qvotiescunqve biberitis,*
in meam commemorationem. (In mei recordationem, i. e.
Ut & commemoretis ſolenniter, & recordemini qvisq; ſingulari-
ter, me corpus meum pro vobis morti expoſuiſſe, & ſangvine meô
peccata veſtra expiâſſe.)

Tertia igitur ratio, à fine hujus Sacramenti propriô, profanitatem Corinthiorum redarguit. Qvæ enim cœna, ad annunciationem & recordationem Domini JEſu ſolennem, inſtituta eſt, ea non privata aut vulgaris, ſed ſancta & veneranda omnibus cœna eſt. Sed eô fine inſtituta eſt cœna Dominica, ut demonſtrant verba Salvatoris, qvibus jubet hoc facere, in ſuam commemoratio-
nem. Unde deducit Apoſtolus: *Qvotiescunqve enim man-* 26
ducabitis panem hunc, & calicem hunc bibetis, mor-
tem Domini annunciabitis, (ſolenniter, & recordabimini,)
donec veniat (ad judicium.)

Qvarta, ſumitur à pernicie Sacramento abutentium. Qvæ enim conſvetudo reum efficit hominem corporis & ſangvinis Domini, & judicium ei attrahit divinum, ea abdicanda eſt. At indignè comedere panem illum, & poculum Domini indignè bibere, reum efficit hominem corporis & ſangvinis Domini, & judicium ei accelerat. Ergò hoc ſeriò devitandum. Major planisſima eſt. Minorem diſertè Apoſtolus deducit è recitata inſtitutionis ſacra-
27 mentalis formula. *Itaqve* (ait) *qvicunqve manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſangvinis Domini.* Ratio in promptu eſt, qvia panem illum indignè manducans, indignè manducat corpus
28 Domini. *Probet autem ſeipſum homo,* (an ſit dignus vel indignus, an dignè vel indignè ſumere Sacramentum posſit, reqvirat conſcientiam, interroget cor ſuum, num ab eo condemnetur, an juſtificetur, 1. Joh. 3, 20. 21. Probet ſemetipſum, an ſit in fide, nec ne, an fortè ſit reprobus, 2. Cor. 13, 15.) *& ſic de pane illô edat, &*
29 *de calice bibat. Qvi enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit,* (reatum & pœnam ſibi, manducando & bibendo attrahit,) *non dijudicans corpus Domini,* (nec diſcernens illud à cibis vulgaribus, qvos domi habet comedere, ſuprà verſ. 22.)

Qvintum argumentum ab experientiâ ipsâ deducit Apoſtolus, ob oculos ponens Corinthiis pœnarum exempla, qvas jam tunc ipſimet ſentiebant. Syllogiſmus orietur talis: Qvorum multi morbis, ægritudinibus & mortibus repentinis viſitantur, illi indignè tractati corporis Domini divinitùs admonentur. Corinthii
30 ſic viſitantur, dicente Apoſtolô: *Ideò inter vos multi infirmi & imbecilli, & dormiunt* (mortui) *multi.* (Nam etiam mali dicuntur dormire, 1. Reg. 14, 20. & 16, 6. & 22, 40. Daniel. 12, 2.) Ergò indignè tractati corporis Domini admonentur. Major confirmatur à divino conſilio, ſecundùm qvod non ſolent judicari,
31 qvi ſemetipſos judicant. *Qvod ſi nosmetipſos* (inqvit) *dijudi-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

judicaremus, non utiqve judicaremur. Ut tamen reſipiſcentiæ locum eſſe ſciant, ſubtexit finem pœnarum ejusmodi:
Dum judicamur autem, à Dominô corripimur, ut non 32
cum mundo (infideli & impió) *damnemur* (in æternum.)

Epilogus, corrigendam declarat pravam in accipiendâ cœnâ
conſvetudinem, & cum meliore commutandam. *Itaqve fra-* 33
tres mei, cùm convenitis ad manducandum, invicem exſpectate, (donec tota Eccleſia conveniat.) *Si qvis eſurit, domi manducet,* (vulgari cibô famem ſuam explens. Corpus enim Domini ad explendam famem corporis non eſt ſumendum,)
ut non in judicium veniatis. Cætera autem (ad ceremo- 34
nias pertinentia, minùs neceſſaria) *cùm venero, diſponam.*

CAPUT DUODECIMUM.

DE USU DONORUM SPIRITUALIUM.

OCtavô inſtitutionis membrô tradit Apoſtolus verum uſum donorum ſpiritualium, & abuſum reprehendit, pertexiturq; cap. 12. 13. 14.

Partes generales qvatuor ſunt: Exordium, Propoſitio, Tractatio ipſa & Concluſio.

In Exordio indicat, qvâ de re deinceps ſit acturus. *De ſpi-* 1
ritualibus autem (ſive donis, ſive hominibus,) *nolo vos ignorare fratres.*

Propoſitio fundamenta ſternit ad totam tractationem ſeqventem, docens, qvis habeat Spiritum ſanctum, & qvis non, & qvod nemo qvicqvam ſpiritualis doni à ſeipſo habeat; unde conſeqvitur, ad gloriam DEI, & communem utilitatem omnia eſſe referenda.

Scitis qvoniam qvum gentes eſſetis, (ὅτι ἔθνη ἦτε qvod 2
gentes eratis) *ad ſimulacra multa, prout ducebamini,*

euntes. (Nihil habebatis divinum aut ſpirituale, ſtulti & inſipientes, multorum ſimulacrorum cultores. Tantò igitur minus jam extollimini, memores, divinâ gratiâ ex nuper fatuis & ſtultis vos
3 ſapientes eſſe redditos.) *Ideò notum vobis facio, qvod nemo in ſpiritu DEI loqvens, dicit anathema Jeſum.* (Spiritus DEI ſemper glorificat JEſum: qvi igitur JEſum blasphemat, ſicut Judæi infideles, non loqvitur ex DEI Spiritu.) *Et nemo poteſt dicere Dominus Jeſus* (Κύριον Ἰησοῦν, Dominum Jeſum, i. e. glorificare illum, tanqvam DEUM & Dominum ſuum,) *niſi ex Spiritu ſancto.* (Homo enim animalis ignorat Chriſtum, & qvi ſpiritu malo ducitur, neqvaqvam eum Dominum & ſalvatorem ſuum prædicat. Qvantum igitur aliqvis Chriſtum, ut Dominum ſuum, laudat, tantum Spiritûs boni posſidet.)

Tractatione ipſa 1. agit de donorum ſpiritualium varietate. 2. docet, generalia dona ſanctificantia meliora eſſe miniſtrantibus & ſpecialibus, cap. 13. toto. 3. Qvodnam donum ſpeciale inprimis appetendum, oſtendit cap. 14. 4. Qvaliter donis miniſtrantibus utendum, à verſ. 26. c. 14. usqve ad 36. ediſſerit. Tandem Epilogo totam hanc doctrinam abſolvit, à verſ. 36. ad finem cap. 14.

Hoc capite de donorum ſpiritualium varietate ita loqvitur, ut primùm, qvalis ea, qvantaqve ſit, enumeret verſ. 4. 5. 6. Deinde autorem & finem eorum pariter explicet, verſ. 7. &c. Tertiò, confirmet dicta & illuſtret, verſ. 12. & ſeqventibus. Deniqve concludat,
4 insertâ tranſitione ad ſeqvens membrum. *Diviſiones verò gratiarum* (donorum) *ſunt*, præter commune illud, qvo omnis
5 Chriſtum glorificans eſt præditus) *idem autem Spiritus. Et diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus,*
6 (cui miniſtrãt.) *Et diviſiones operationum ſunt,* (διαιρέσεις ἐνεργημάτων, discrimina facultatum ſunt,) *idem verò DEUS, qvi operatur omnia in omnibus.*

Jam de cauſa efficiente & finali conjunctim loqvi pergit:

Uni-

Unicuiq; autem datur manifeſtatio Spiritûs, ad utilita- 7
tem. Alii qvidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ 8
(ſublimioris) *alii autem ſermo ſcientiæ* (inferioris, qvâ novit,
idolum nihil eſſe, Deum eſſe unum, 1. Cor. 8, 1.7.10.11. &c.) *ſecun-*
dum eundem ſpiritum. Alii verò fides (miracula operandi) 9
in eodem ſpiritu, alii gratia ſanitatum, (dona ſanationum)
in uno (eodem) *ſpiritu. Alii operatio virtutum* (ſingula- 10
rium, ut transferendi montes, &c.) *alii prophetia, alii diſcre-*
tio ſpirituum, alii genera lingvarum, alii interpretatio
ſermonum, (γλωσσῶν, lingvarum.) *Hæc autem omnia ope-* 11
ratur unus atqve idem Spiritus, dividens ſingulis,
Græcè additur ἰδίᾳ privatim, propriè,) *prout vult.*

Confirmat nunc illuſtratq; ſimili, qvod dixit, à corpore hu-
mano deſumpto. Qvod proponit breviter, verſ. 12. applicat & e-
volvit copioſè verſ. 13. &c.

1. Propoſitio ſic habet: *Sicut enim corpus unum eſt,* 12
& membra habet multa, omnia autem corporis (illius
unius,) *qvum ſint multa, unum tamen corpus ſunt: ita*
& Chriſtus (cum Eccleſia, qvæ eſt corpus ejus.)

2. Probat ita eſſe, à duobus ſacramentis, Baptiſmô & cœna
Dominica. In baptiſmô ex uno ſpiritu renaſcimur, ad unum cor-
pus. In ſacra cœna uno Chriſti ſangvine potamur, ad unum ſpiri-
tum. Nam ſicut unus ſpiritus neceſſariò unitatem importat cor-
poris: ita viciſſim unitas corporis & ſangvinis Chriſti unitatem
importat ſpiritus. Atqve hoc eſt qvod ait: *Etenim in uno ſpi-* 13
ritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive
Judæi, ſive gentiles, ſive ſervi, ſive liberi, & omnes u-
num ſpiritum potavimus. (in unum ſpiritum potati ſumus,
εἰς ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν. M. S. meum: in uno ſpiritu potati ſu-
mus.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

3. Explicat utrumqve ſimilitudinis membrum, atqve prius, ve-
14 lut ἐν προτάσει, corporis naturam exponit. *Etenim corpus*
15 *non eſt unum membrum, ſed multa. Si dixerit pes, qvo-*
niam non ſum manus, non ſum de corpore; num ideò non
eſt de corpore? (Nimirum proſopopœiâ & dialogiſmo exornat
16 ſimilitudinem.) *Et ſi dixerit auris, qvoniam non ſum ocu-*
lus, non ſum de corpore, num ideò non eſt de corpore?
17 *Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus,*
18 *ubi odoratus? Nunc autem poſuit DEUS membra,*
19 *unumqvodq; eorum in corpore, ſicut voluit: Qvod ſi*
20 *eſſent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem*
21 *multa qvidem membra, unum autem corpus. Non po-*
teſt autem oculus dicere manui, operâ tuâ non indigeo:
aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarii.
22 *Sed multò magis, qvæ videntur membra corporis infir-*
23 *miora eſſe, neceſſariora ſunt,* (magis neceſſaria.) *Et qvæ*
putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his hono-
rem abundantiorem circumdamus: & qvæ inboneſta
24 *ſunt noſtra, abundantiorem honorem habent. Honeſta*
autem noſtra nullius egent, (v. g. facies, oculi, os, manus.)
Sed DEUS temperavit corpus, ei, cui deerat, abun-
25 *dantiorem tribuendo honorem. Ut non ſit ſchiſma in*
corpore, ſed idipſum pro invicem ſollicita ſint (idem mu-
26 tuo curent) *membra. Et ſi qvid patitur unum mem-*
brum, compatiuntur omnia membra. Sin gloriatur
(δοξάζεται, glorificatur) *unum membrum, congaudent*
omnia membra.

Nunc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Nunc ὡς ἐν ἀποδόσει, accommodat ad Corinthios ſimilitu-
dinem. *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de* 27
membro,(particulari Eccleſia, qvæ eſt tanqvam unum membrum
majuſculum totius Eccleſiæ univerſalis, habens ſua membra ſin-
gularia, ſingulos fideles & ſanctos.) *Et qvosdam qvidem po-* 28
ſuit DEUS in Eccleſiâ, primùm Apoſtolos, (immediatè
vocatos à Chriſto ipſo, ad annunciandum Evangelium, & teſtimo-
nium reddendum verborum, qvæ ab ipsô acceperunt, & operum,
qvæ ipſi viderunt.) *Secundò Prophetas*, (per Spiritum San-
ctum futura prædicentes.) *Tertiò Doctores*, (qvi ſunt vel Ev-
angeliſtæ, pōteſtatem habentes pasſim qvoslibet docendi, vel Pa-
ſtores, certis gregibus præpoſiti, vel Doctores ſpeciatim ita dicti,
qvi in Scholis ſacrisq; conventibus docent tantùm, non autem re-
gunt Eccleſias more Paſtorum, Epheſ. 4, 11.) *Poſtea virtutes*
(miraculorum.) *Exinde* (qvinto loco) *dona ſanationum*.
(Sextò) *opitulationes*, (ἀντιλήψεις, ſubſidia, comminiſteria Diaco-
norum,) *gubernationes.* (Septimum locum tribuit ſenioribus,
non laborantibus in verbô & doctrinâ, ſed in judicandis litibus
& controverſiis fratrum, 1. Cor. 6, 2.) Deniqve ultimo loco ponit
genera lingvarum, qvæ ſola absqve docendi facultate parum
prodeſſe, demonſtrat in ſeqventibus.

Indicatâ donorum ac miniſteriorum varietate, pergit oſten-
dere, qvòd non omnes omnia posſint. *Nunqvid omnes Apo-* 29
ſtoli? Nunqvid omnes Prophetæ? Nunqvid omnes Do-
ctores? Nunqvid omnes virtutes? Nunqvid omnes 30
gratiam habent curationum? Nunqvid omnes lingvis
loqvuntur? Nunqvid omnes interpretantur?

Tandem concludit hoc membrum de donorum multiplici-
tate, per exhortationem ad dona præſtantiora æmulanda, & ſic
viam ſibi ſternit ad alterum tractationis caput, qvo dona ſancti-

31 ficantia potiora eſſe docet miniſtrantibus. *Æmulamini autem chariſmata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.*

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

DE DILECTIONIS EXCELLENTIA.

CApite decimô tertiô asſerit dilectionis præſtantiam, omnibus donis ſpecialibus præferendam.

Propoſitio probationibus incluſa latet, & è concluſione eruitur hæc: Omnium donorum ſpiritualium maximum eſt Charitas.

Confirmatur tribus argumentis: Unum à ſterilitate & imperfectione aliorum chariſmatum, qvæ citra charitatem neminem bonum beatumq; declarant. Alterum à fructibus charitatis, qvibus alia dona antecellit. Tertium à duratione & perpetuitate, qvâ non tantùm dona (qvæ vocantur miniſtrantia) ſpecialia, ſed etiam generalia potisſima ſuperat & excedit.

Primum argumentum tale erit: Si homo absqve charitate, bonus beatusq; cenſeri neqvit, etiamſi maximis donis polleat, & maxima opera faciat, ſeqvitur charitatem maximum eſſe donum, ideóq; maximè omnium æmulandum. At homo absqve charitate vanus eſt, qvantâvis aliâ polleat virtute. Ergò charitas do-
1 num eſt potisſimum. Asſumtum ita asſerit Apoſtolus: *Si lingvis hominum loqvar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* (Mortuus ſum, carens verâ & vivâ fide, qvæ per charitatem operatur. Alios delecto qvidem & ædifico, ſed præter mentem & intentionem meam, perinde ſicut exanime cymba-
2 lum, ab alio impulſum.) *Et ſi habuero prophetiam,* (futura prædixero,) *& noverim myſteria omnia,* (divinô verbô revelata) *& omnem ſcientiam* (Chriſtiano necesſariam,) *& ſi habuero omnem fidem,* (qvâ edere posſim miracula

qvæ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

qvælibet,) *ita ut montes transferam*, (qvod tanqvam maximum miraculum tali fidei eſt pollicitus Dominus, Matth. 21, 21.) *charitatem autem nō habuero* (DEI & proximi,) *nihil ſum*. (Etenim nec mihi ipſi proſunt ea opera ad ſalutem, neqve ex meâ intentione proximum juvant, ſed inanis oſtentationis causâ fiunt.)
Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates 3
meas, (ut gloriam æqvem eorum, qvi propter Evangelium omnia reliqvêre,) *& ſi tradidero corpus meum, ut ardeam*, (martyrium gravisſimum ſubeam, ne verum, qvod agnoſco, deſeram,) *charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. (Poſſum enim damnari, qvia non feci ſincerô corde voluntatem DEI, Matth. 7, 22. 23. ſed vanæ ſtudui gloriæ.)

Secundum argumentum ſic informari poteſt: Cujus doni effectus ſunt plurimi & optimi, illud eſt optimum. Charitatis effectus ſunt plurimi & optimi. Ergò ipſa donum eſt optimum.

Aſſumtionem comprobat ſanctus Apoſtolus, enumeratione effectuum, fructuum, ſeu proprietatum charitatis. *Chari-* 4
tas (inqvit) *patiens eſt, benigna eſt: Charitas non æmulatur*, (contentionis & victoriæ ſtudio.) *Charitas non agit perperam*, (ſed candidè & ſincerè. Eraſmus: non eſt procax,) *non inflatur*, (ſed omnia per humilitatem refert ad commoda
proximi.) *Non eſt ambitioſa*, (rectiùs, non gerit ſe indecenter, 5
οὐκ ἀσχημονεῖ, ſed geſtus moresq; ad proximi ædificationem accommodat,) *non qværit, qvæ ſua ſunt*, (ſed etiam, qvæ alterius, Phil. 2, 4.) *non irritatur, non cogitat* (λογίζεται, reputat)
malum, non gaudet ſuper inæqvitate, congaudet autem 6
veritati, omnia ſuffert, (rectiùs, tegit, στέγει, nihil gravatur,)
omnia (qvæ ſunt pro proximo) *credit, omnia ſperat, omnia* 7
ſuſtinet.

Tertium ita ſonabit: Qvæ virtus nunqvam excidit, ſed ſem-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

permanet, etiam poſt hanc vitam, ea eſt potisſima. Charitas nunqvam excidit. Ergò eſt omnium potisſima.

Minor probatur collatione donorum tùm ſpecialium, tùm
8 univerſalium. *Charitas enim nunqvam excidit. Sive autem prophetiæ evacuabuntur,* (Poſtqvam enim venerunt ea futura, cesſant prædictiones eorum.) *Sive lingvæ cesſabunt,* (propagatô enim in omnes gentes Evangeliô, ad qvid lingvæ?) *ſive ſcientia deſtruetur.*

Confirmat σύγκρισει hujus & venturi ſeculi, qvam elegan-
9 tisſimis ſimilibus illuſtrat. *Ex parte enim cognoſcimus, &*
10 *ex parte prophetamus. Qvum autem venerit, qvod*
11 *perfectum eſt, evacuabitur, qvod ex parte eſt. Qvum*
esſem parvulus, loqvebar ut parvulus, ſapiebam ut
parvulus: qvando autem factus ſum vir, evacuavi,
12 *qvæ erant parvuli. Videmus enim nunc per ſpeculum*
in ænigmate, (qvæ eſt admodum imperfecta & qvaſi umbratica
cognitio,) *tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco*
ex parte, tum autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum
13 (à DEO perfectè.) *Nunc autem* (dum durat hoc ſeculum) *manet fides, ſpes, charitas, tria hæc,* (omnibus Chriſtianis neceſſaria, dona ſanctificantia communia omnibus, qvæ ſemper manent in Eccleſia, qvantumvis deſinant prædictiones & lingvæ.) *Major autem his eſt charitas,* (qvippe in æternum durans.

Nam fides excidit, qvando video id, qvod credidi hactenus.
Spes excidit, qvando adeſt, qvod ſperavi. At dilectio
nunqvam deſinet, ſed vel maximè vigebit
in futuro ſeculo.)

CA-

CAPUT DECIMUM QVARTUM.

CApite decimô qvartô duo continentur. Primum, inter dona ſpecialia ſeu miniſtrantia, qvodnam inprimis appetendum; Deinde, qvaliter iis omnibus utendum, demonſtrat. Itaqve tractatûs hujus membrum tertium & qvartum abſolvitur, cum Concluſione ſeu Epilogô.

In priori capitis parte ſatis dilucidè proponit ſententiam initiô, deinde confirmat, & illuſtrat eximiè.

Propoſitio hæc eſt: *Sectamini charitatem, æmula-* 1
mini ſpiritualia, magis autem ut prophetetis, i. e. Scri-
pturarum myſteria calleatis & explicetis.

Probat prophetiam eſſe donum, poſt charitatem, præſtantiſ-
ſimum I. ex utilitate, qvam præſtat Eccleſiæ. Et qvia Corinthii
lingvarum donum maximè oſtentabant, collata utriusqve utilita-
te evincit, hôc illô longè eſſe inferius. *Qvi enim loqvitur* 2
lingvâ, non hominibus loqvitur, ſed DEO. Nemo enim
audit, Spiritu autem loqvitur myſteria. Qvi autem 3
prophetat, hominibus loqvitur ædificationem, & ex-
hortationem, & conſolationem. (Hinc patet, qvid prophe-
tare h. l. vocet Apoſtolus, nempe occulta DEI myſteria in lucem
producere, ad aliorum utilitatem.) *Qvi loqvitur lingvâ, ſe-* 4
metipſum ædificat: qvi autem prophetat, Eccleſiam
ædificat. Seqvitur occupatio objectionis, ne qvis putet, donum
lingvarum contemni ab Apoſtolo. Scribit enim: *Volo autem* 5
omnes vos loqvi lingvis, magis autem prophetare.
Major enim eſt, qvi prophetat, qvàm qvi loqvitur lin-
gvis, niſi fortè interpretetur, ut Eccleſia ædificationem
accipiat.

II. Ab inutilitate lingvarum, ſi abſit prophetia, arguit prophe-

6 tiæ excellentiam. *Nunc autem, fratres, ſi venero ad vos lingvis loqvens, qvid vobis prodero, niſi vobis loqvar, aut in revelatione* (rerum futurarum & abſconditarum,) *aut in ſcientiâ* (neceſſariorum myſteriorum,) *aut in prophetiâ*, (expoſitione ſcripturarum,) *aut in doctrinâ*, (expoſitione fidei Chriſtianæ, rudioribus adhuc ignotæ.)

Argumentum illuſtrat ſimilibus, qvorum alterum ductum ab inſtrumentis Muſicis, alterum à naturâ dialectorum omnium.

7 De inſtrumentis Muſicis ſic ait: *Tamen qvæ ſine anima ſunt, vocem dantia, ſive tibia, ſive cithara, niſi diſtinctionem ſonituum* (φθόγγοις, ſonis) *dederint, qvomodo ſcietur id, qvod canitur, aut qvod citharizatur?*
8 *Etenim ſi incertam vocem det tuba; qvis parabit ſe ad bellum?*
9 *Ita & vos per lingvam, niſi manifeſtum ſermonem dederitis, qvomodo ſcietur id, qvod dicitur? Eritis enim in aêra loqventes.*

De vocibus ſeu dialectis ita diſſerit, primùm, ut antea, ὡς
10 προτάσει, exponens ſimile: *Tam multa, ut puta*, (εἰ τύχοι, verbi gratiâ ut accidit,) *genera lingvarum ſunt in mundo, & nullum eorum ſine voce* (diſtincta) *eſt*, (ſicut jumenta ſunt
11 ἄφωνα, 2. Petr. 2, 16.) *Si ergò neſciero virtutem vocis, ero ei, cui loqvor*, (λαλοῦντι, loqventi) *barbarus, & qvi loqvitur, mihi barbarus.* (Ita Ovidius 5. Triſt. Eleg. XI.

Barbarus hîc ego ſum, qvia non intelligor ulli,
Et rident ſtolidi verba Latina Getæ.)

12 Deinde ὡς ἐν ἀποδόσει, applicans illud inſtituto, ait: *Sic & vos, qvoniam æmulatores eſtis ſpirituum, ad ædificationem Eccleſiæ qværite, ut abundetis.*
13 *Et qvi loqvitur lingvâ, oret, ut interpretetur.*

III.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

III. Ducit ab experientiâ geminâ, tùm ipſius polyglotti, tùm auditorum, hoc modo: Si lingvis loqvens absq; interpretatione, nec ſibi, nec aliis prodeſt, prophetiæ donum magis eſt appetendum. Verum prius. Ergò poſterius. Confirmatur aſſumptum ab
experientiâ. *Si enim orem lingvâ* (ſolâ,) *mens mea ſine* 14
fructu eſt. Qvid ergò eſt? Orabo ſpiritu, orabo & men- 15
te: pſallam ſpiritu, pſallam & mente, (ut ſciam & ſentiam, qvid pſallam & orem, neqve ſic videar elevatus ſpiritu, ut neſciam,
qvid orem, aut pſallam.) *Qvandoqvidem ſi benedixeris* 16
ſpiritu, qvi ſupplet locum idiotæ, qvomodo dicet amen ſuper tuam benedictionem, (ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριςίᾳ, ſuper tuâ
gratiarum actione,) *qvoniam qvid dicas, neſcit? Nam tu* 17
qvidem benè gratias agas, ſed alter non ædificatur. (Sicut ergò lingvâ orans ſine mente, ſibimetipſi nihil prodeſt, ſic nec alteri prodeſt, mentem loqventis haud perſpicienti.)

IV. A ſuo exemplo petit. *Gratias ago DEO meo, qvod* 18
omnium veſtrûm lingvâ loqvor. (Rectiùs: qvod magis
omnibus vobis lingvis loqvor.) *Sed in Eccleſiâ volo qvinq;* 19
verba ſenſu meô loqvi, ut & alios inſtruam, qvàm decem millia verborum in lingvâ. (Hîc Eraſmus: At nunc in nonnullis regionibus totos dies pſallitur ſpiritu, nec modus, nec finis cantionum: cùm vix intra ſex menſes audiatur concio ſalubris, adhortans ad veram pietatem: Id enim Paulus vocat in ſenſu loqvi. Lege reliqva ibi, & ſæpe.)

V. A fine lingvarum propriô petitum, ſic ſonat: Qvod donum ad coarguendos potiùs infideles, qvàm ad ædificandos fideles datur, id inferius eſt eo, qvod ſervit ædificationi fidelium. Donum lingvarum ad coarguendos infideles datur. Ergò inferius eſt prophetiâ, qvæ ſervit ædificationi fidelium.

Anteqvam ad hoc argumentum procedat, graviter admonet Corinthios, ut pueri eſſe deſinant, & perfectiorem ſapientiam adſpirent, qvam in abuſu donorum hactenus declaraverint.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

20 *Fratres, nolite pueri eſſe ſenſibus, ſed malitiâ parvuli
eſtote, ſenſibus autem perfecti eſtote.* (Matth. 18, 3. Ro-
man. 16, 19.)
Deinde propoſiti ſyllogiſmi aſſumtum roborat teſtimoniô
21 Eſaiæ cap. 28, 11. 12. *In lege* (veteris Inſtrumenti libris) *ſcriptum
eſt: qvoniam in aliis lingvis & labiis aliis loqvar po-
22 pulo huic, nec ſic exaudient me, dicit Dominus. Itaqve
lingvæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus, pro-
phetia autem non infidelibus, ſed fidelibus.* (Paulus juxta
Hebraicam veritatem adduxit teſtimonium Eſaiæ, cùm LXX. cæ-
teriq; Interpretes verba paulò aliter expresſerint.)
23 Dictum illuſtrat ὑποτυπώσει experimentali: *Si ergò con-
veniat univerſa Eccleſia in unum, & omnes lingvis
loqvantur, intrent autem idiotæ aut infideles, nónne
dicent, qvod inſanitis?* (Nec enim intelligent ſermones ve-
24 ſtros, ideóq; videmini barbari vel amentes.) *Si autem omnes
prophetent, intret autem qvis infidelis vel idiota, con-
vincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus* (ad ædifi-
cationem, doctrinam, & exhortationem ejus loqventibus; hoc
25 enim eſt prophetare, ut ſuprà patet verſ. 3.) *Et ſic occulta cor-
dis ejus manifeſta fiunt,* (occultæ dubitationes, ignorantiæ,
peccata, tenebræ, qvæ omnia revelat lumen verbi divini:)
*& ita cadens in faciem adorabit DEUM, pronuncians
qvòd verè DEUS in vobis ſit.*

Seqvitur pars capitis poſterior, totius tractatûs octavi membrum qvartum, qvomodo donis ſpiritualibus utendum ſit, demonſtrans.

Hoc peragit Apoſtolus præſcribendo 1. regulas qvasdam generales, easq; confirmando. 2. Speciales de mulieribus, verſ. 34.

Prima regula, ἀνακοινώσει illuſtrata, ſic exprimitur: *Qvid*

ergò

ergò eſt, fratres? qvum convenitis, unusqvisq; ve-
ſtrûm pſalmum habet, doctrinam habet, lingvam ha-
bet, apocalypſin habet, interpretationem (lingvæ) habet:
Omnia ad ædificationem fiant.

Altera ſic: Sive lingva qvis loqvitur, ſecundùm 27
duos, aut ut plurimùm tres, & per partes, (ne ſimul lo-
qvantur,) unus interpretetur, (ut intelligat Eccleſia, qvid di-
catur.) Si autem non fuerit interpres, taceat in Eccle- 28
ſiâ: ſibi autem loqvatur & DEO.

Tertia hæc eſt: Prophetæ autem duo aut tres dicant, 29
& cæteri dijudicent, (utrum rectè doceant, & ſecundùm ana-
logiam fidei, Rom. 12, 16.) Qvod ſi aliì revelatum fuerit 30
ſedenti, (qvod ad ædificationem pertineat,) prior taceat.

Qvarta: Poteſtis omnes per ſingulos prophetare, 31
(ſi dono iſtoc polleatis, licebit toti Eccleſiæ prophetare, qvemad-
modum olim optabat Moſes Num. 11. Idq;, ſi ſinguli ſibi invicem
ſuccedant, nemini incommodabit.) Confirmat à fine: Ut
omnes diſcant, & omnes exhortentur.

Qvinta regula: Et Spiritus Prophetarum Prophetis 32
ſubjecti ſunt, (ut ſcilicet Prophetæ de Prophetarum Spiritibus
judicent, ſintne ex DEO, an non? Convenit ferè cum regulâ tertiâ.)

Firmatur à voluntate DEI: Non enim eſt diſſenſionis 33
(ἀκαταστασίας, diſſolutionis, inordinatæ confuſionis) DEUS,
ſed pacis. (Ideò domeſtici ejus ſibi invicem ſubjecti, & dicto au-
dientes ſunt.) Item à communi Apoſtolorum conſenſu: ſicut
& in omnibus Eccleſiis Sanctorum, (ſive à me plantatis, ſi-
ve ab aliis Apoſtolis.)

Regulæ ſpeciales de mulieribus ſunt duæ: Una, Mulieres 34

 veſtræ

veſtræ in Eccleſiis taceant. Ratio à lege divinâ: *Non enim permittitur eis loqvi, ſèd ſubditas eſſe*, (ſancitur) *ſicut & Lex dicit*, (Gen. 3, 16.)

35 Altera: *Si qvid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent*. Ratio à decoro: *Turpe eſt enim mulieri loqvi in Eccleſiâ*. (1. Timoth. 2, 11. 12.)

Deniqve Epilogô generali totum hunc de donis ſpiritualibus tractatum claudit, graviter primùm monens Corinthios, ut dictis obedientiam præſtent, deinde verò fuſiùs diſputata brevisſimè repetens.

Qvoad primum membrum, urget obedientiam I. improperando contumacibus ſuæ inſolentiæ abſurditatem, non minùs abſurdam, qvàm ſi vanè jactent, ſe omnium Chriſtianorum magiſtros, aut ſolos Chriſtianos, qvi proinde nullis aliorum exemplis
36 aut monitis teneri velint. *An à vobis* (inqvit) *verbum DEI procesſit? an ad vos ſolos pervenit?* (q. d. Qvàm abſurdum hoc eſt ſibi arrogare; tàm eſt illud, nolle parere inſtitutioni meæ.)

37 II. Ab autoritate præceptorum divinâ. *Si qvis videtur Propheta eſſe aut ſpiritualis, cognoſcat, qvæ ſcribo vobis, qvoniam Domini ſunt mandata*, (qvibus nemo non, ſive Propheta, ſive ſpiritualis, obtemperare tenetur.)

38 III. Rejiciendo ἀποτόμως ignorantiæ ſuæ addictos. *Si qvis autem ignorat, ignorabitur*. (Græcè ἀγνοείτω, ignoret, q. d. non erit mihi curæ ampliùs, ignorantia ejus ipſius capiti eſto, Apocal. 22, 11)

Alterô Epilogi membrô recapitulat præcedentia, ſeu propo-
39 ſitionum partes primarias. *Itaq; fratres æmulamini prophetare, & loqvi lingvis nolite probibere*. (Hæc fuit tertia
40 propoſitio hujus tractatûs.) *Omnia autem honeſtè & ſecundùm ordinem fiant*, (in vobis, redundat.) Hæc verba pri-
mam,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

mam, ſecundam & qvartam propoſitionem repræſentant, & communem de omnium donorum uſu regulam continent.

CAPUT DECIMUM QVINTUM.

INSTITUTIO DE RESURRECTIONE MORTUORUM, ET REPREHENSIO ALITER DOCENTIUM.

NOna hæc eſt pars doctrinæ Epiſtolaris, eaq; valdè luculenta, qvâ duo inprimis tractat. 1. Reſurrectionis mortuorum certitudinem. 2. Corporum reſurgentium qvalitates.

Partes capitis ſunt qvatuor: I. Exordium. II. Repetitio Evangelii compendiaria. III. Explicatio articuli de Reſurrectione. IV. Concluſio.

I. Exordium attentioni & benevolentiæ aptum eſt, ob rerum dicendarum pondus & majeſtatem, ac prægreſſæ Corinthiorum obedientiæ commendationem.

Notum autem vobis facio, Fratres, Evangelium, 1
qvod prædicavi vobis, qvod & accepiſtis, in qvo & ſtatis. Per qvod & ſalvamini, qvâ ratione prædicaverim 2
vobis, ſi tenetis; niſi fruſtrà credidiſtis.

II. Repetitio Evangelii brevem articulorum fidei præcipuorum ſummam continet, præſertim reſurrectionis Chriſti, qvam probat apparitione ſextuplici.

Tradidi enim vobis inprimis, qvod & accepi 3
(à Dominô,) *qvoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, ſecundùm Scripturas,* (Moſis, Pſalmorum, & Prophetarum, Luc. 24, 4. 27. 44.) *& qvia ſepultus eſt, & qvia re-* 4
ſurrexit tertiâ die, ſecundùm Scripturas, (Hoſ. 6, 2. Jonæ 2, 1. 11.)

Confirmat hunc poſtremum articulum, à teſtimoniis ocularorum teſtium, eóq; nomine apparitiones Chriſti reſuſcitati præcipuas commemorat. *Et qvod viſus eſt Cephæ,* (Petro, ut 5
narratur Lucæ 24, 34.) *Et poſt hoc undecim,* (Græcè τοῖς δώδεκα, duo-

duodecim illis, demptô tamen proditore, qvi ſe ipſum ſuſpende-
6 rat, Judâ, Lucæ 24,36. Johan.20,26. Marci 16,14.) *Deinde viſus*
eſt plus qvàm qvingentis fratribus ſimul aut ſemel
(in monte Galilææ, qvem conſtituerat JEſus diſcipulis, Matth.
28,16. etiam anteqvam pateretur, & Angelus repetierat promiſ-
ſionem, Matth.26,32. Marci 16,7.) *ex qvibus multi* (plures) *ma-*
nent usq; huc, qvidam autem dormierunt (ſomno mortis
corporeæ. Ita ſuperiùs κοιμῶνται, 1.Cor.11,30. Et infrà verſ.18. hu-
7 jus cap. ἐκοιμήθησαν.) *Deinde viſus eſt Jacobo,* (apparitio
hæc alibi non exponitur,) *deinde omnibus Apoſtolis,* (qvan-
do in cœlum adſcendit, Luc,24,50. Act.1,4. ſpectantibus non tan-
tùm duodecim, ſed etiam aliis, ad annunciandum Evangelium de-
8 ſtinatis, Act.1,15.) *Novisſimè autem omnium, tanqvam*
abortivo, (qvi tenebris obſeptus ad inſtar fœtûs abortivi, ut eſt
Pſal.58,9. matrem Eccleſiam læſi, eiq; penè exitialis exſtiti, dum
9 me eniteretur,) *viſus eſt & mihi. Ego enim ſum minimus*
Apoſtolorum: qvi non ſum dignus vocari Apoſtolus,
10 *qvoniam perſecutus ſum Eccleſiam DEI. Gratiâ au-*
tem DEI ſum id, qvod ſum: & gratia ejus in me va-
cua non fuit: ſed abundantius iis omnibus laboravi;
(nemo reliqvorum meos labores æqvavit.) *Non ego autem,*
(qvi à meipsô nec cogitare qvicqvam boni qveo, 2. Corinth.3,5.)
11 *ſed gratia DEI, qvæ mecum. Sive igitur ego, ſive illi,*
ſic prædicamus, & ſic crediдiſtis, (prout verſ.3.4. dictum.)

III. Explicatio articuli de reſurrectione mortuorum bimem-
bris eſt: 1. Reprehendit negationem reſurrectionis corporalis.
2. Refutat ejus impugnationem, à corporum qvalitate ductam.

Prius membrum conſtat Propoſitione, Confutatione, & Concluſione.

Propoſitio rejicit negationem reſurrectionis, tanqvam ab-
ſurdam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſurdam in Chriſtianiſmo, hóc modô: *Si autem Chriſtus præ-* 12
dicatur, qvod reſurrexit à mortuis, qvomodo qvidam
dicunt in vobis, qvòd reſurrectio mortuorum non eſt?
Confutatio fit qvinqve argumentis primariis. I. Ab abſur-
dô conſeqventi, ex qvo multa alia abſurdisſima naſcuntur. II. Ab
effectu reſurrectionis Chriſti propriô, verſ. 20. III. Ex totius Ec-
cleſiæ Chriſtianæ confesſione, elucente in Baptiſmo, verſ. 29.
IV. Ex Apoſtolorum practico teſtimonio, verſ. 38. V. A conſe-
qventi impietate, verſ. 32.
Argumentum primum ſic habet: *Si reſurrectio mor-* 13
tuorum non eſt, neq; Chriſtus reſurrexit. At Conſeqvens
eſt abſurdum. Ergò & Antecedens.
Conſeqventis abſurditatem commonſtrat, è ſeptem abſurdis
abſurdisſimis, qvæ eo poſito ſeqvuntur. *Nam ſi Chriſtus non* 14
reſurrexit, inanis eſt ergò prædicatio noſtra, (in gratiam
hominis mortui, nunqvam reſurrecturi facta,) *inanis eſt & fi-*
des veſtra, (nihil prædicatione, ex qvâ gignitur, melior.)
Invenimur autem & falſi teſtes DEI, (tertium hoc ab- 15
ſurdum,) *qvoniam teſtimonium diximus adverſus*
DEUM, qvi ſuſcitaverit Chriſtum, qvem non ſuſcita-
vit, ſi mortui non reſurgunt. Repetit conſeqventiam pro-
poſitionis: *Nam ſi mortui non reſurgunt, neq; Chriſtus* 16
reſurrexit. (Si nullus mortuus reſurgit, neqve Chriſtus, utpote
verè mortuus, reſurrexit.) *Si autem Chriſtus non reſurre-* 17
xit, vana (falſa) *eſt fides veſtra. Adhuc eſtis in pec-*
catis veſtris, (qvintum hoc abſurdum, qvod evidenter ex ne-
gatâ Chriſti reſurrectione naſcitur. Nam ex Chriſti reſurrectione
conſtat, ipſum fuiſſe DEI Filium, & peccata noſtra expiâſſe. Si non
reſurrexit, DEI Filius non fuit, nec peccata expiavit, nec mortem
vel Diabolum devincere potuit.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

18 *Ergò & qvi dormierunt in Chriſto, perierunt,*
(in peccatis ſuis mortui, & nunqvam ad vitam reſurrecturi, qvô
19 nihil abſurdius.) *Si in hâc vitâ tantùm in Chriſto ſperan-
tes ſumus,* (& omnis ſpes reſurrectionis & alterius vitæ decolla-
vit,) *miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* (Alii enim
ſaltem hâc vitâ fruuntur; nos verò Chriſtum ſeqventes, & cum ipſo
hanc contemnentes vitam, umbraticâ reſurrectionis ſpe decipi-
mur, qvâ nec ipſe Chriſtus potitus eſt. Et ſic tùm ipſe, tùm Chri-
ſtiani, ſolâ ſpe, nullâ re unqvam beati, omnium hominum ſunt
miſerrimi. Sic datô unô abſurdô, ſeqvuntur infinita.)
Secundum argumentum ſic ſonabit: Si Chriſtus reſurrexit,
etiam alii mortui reſurgent. At verum prius. Ergò & poſterius.
Aſſumptum ex antè-dictis ſatis conſtat. Conſeqventiam aſ-
ſerit ratione triplici, & exornat narratione proceſsûs regni Chriſti.
Ratio prima: *Chriſtus eſt primitiæ dormientium.*
Ergò dormientes alii ipſum ſeqventur, ſuô qvisq; ordine. Primi-
tiæ enim ſanctificant meſſem, & primitias neceſſariò meſſis ſe-
20 qvitur. Nam ſi meſſis nulla foret, ad qvid primitiæ? *Nunc
autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormi-
entium* (factus eſt, ἐγένετο.)
21 Altera, à collatione primi & ſecundi hominis: *Qvoniam
enim per hominem mors, etiam per hominem reſurre-
22 ctio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriun-
tur: ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* (Qvemad-
modum ergò ſeqvitur: Adam primus homo, in qvo omnes pec-
cavimus, mortuus eſt. E. omnes morientur. Sic non minùs ſeqvi-
tur: Chriſtus alter homo, in qvo omnes juſtificati ſumus, reſur-
rexit. E. omnes reſurgemus. Conferatur cap. 5. ad Romanos.)
Tertia ratio ducitur à naturâ regni Chriſti, Scripturis firma-
tâ. Si Chriſtus à mortuis reſuſcitatus, tandem omnia ſibi ſubji-
ciet, ergò etiam mortem; & proinde mortui reſurgent. Verum an-
tecedens. Ergò conſeqvens. Confirmat & exornat pariter aſſum-
ptum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ptum, recenſendo proceſſum regni Chriſti, eumq́; è Scripturis ſta-
biliendo. *Unusqvisq; autem in ſuô ordine* (ſcil. vivificabi- 23
tur.) *Primitiæ Chriſtus*, (qvi primus ad incorruptelam reſur-
rexit,) *deinde ii, qvi ſunt Chriſti, in adventu ejus* (glorioſô.)
Deinde finis, qvum tradiderit regnum (hoc, qvale hacte- 24
nus adminiſtravit in verbô & Sacramentis, per prophetias, mira-
cula, &c.) *Deo & Patri; qvum evacuaverit omnem prin-*
cipatum, & omnem poteſtatem, & virtutem (hujus præ-
ſentis ſeculi.) *Oportet enim illum regnare, donec ponat* 25
omnes inimicos ſub pedibus ejus, (prout Pſal. 110. in Spiritu
loqvitur David.) *Novisſima autem inimica deſtruetur* 26
mors, (qvæ ad finem usqve dominatur membris Chriſti myſticis,
ideóq; ultima devincitur. Satanam, mundum & carnem ſupera-
vimus, qvum egredimur ex hoc ſeculo. At morti adhuc obnoxia
manet caro noſtra, cujus poteſtas poſtrema omnium delebitur.)
Omnia enim ſubjecit ſub pedibus ejus, (teſte Pſalmô 8.) 27
Qvum autem dicat, omnia ſubjecta ſunt ei, ſine dubiô
(δῆλον ὅτι palam eſt, qvod,) *præter eum, qvi ſubjecit omnia*,
(Qvia enim alius ſubjecit ei omnia, ergò omninò ille excipitur à
ſubjectione ejus, cui ſubjecit alia omnia.) *Qvum autem ſub-* 28
jecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe Filius ſubjectus
erit (qvà hominis filius eſt,) *ei, qvi ſubjecit ipſi omnia, ut*
DEUS ſit omnia in omnibus, (nemo ſit ampliùs Rex, aut
Dominus, aut Paſtor, aut Sacerdos, niſi ſolus DEUS, qvi omnia
erit in omnibus, Apoc. 21, 22. 23. Erit igitur regnum Chriſti æter-
num, ſed qvà divinum, non qvà humanum, i. e. qvà ſtatui homi-
num in hoc ſeculo viventium, & in carne adhuc militantium, ac-
commodatum. Tunc plenè meréq; divinum erit, qvum nihil non
pedibus ejus ſubjectum erit.)

Tertium argumentum ſic habebit: Si Eccleſiæ in more poſi-

tum

tum eſt, ut baptizentur multi ſuper mortuis, ad teſtandam conſenſionem de reſurrectione illorum, reſurgent utiqve mortui. At verum prius, qvod non necesſe habuit demonſtrare Apoſtolus, cùm conſtet, primævos Chriſtianos ſuper ſepulchris martyrum conventus egisſe, & Baptiſmum ibi, aliaq; Sacramenta adminiſtrâsſe. Ergò & poſterius. Conſeqventiam interrogatione evincit, poſtulando, ut rationem reddant illius ritûs, ſi nulla ſit mor-
29 tuorum reſurrectio. *Alioqvin qvid facient, qvi baptizantur pro mortuis,* (Græcè ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, ſuper mortuis. Nam ὑπὲρ cum Genitivo ſæpè etiam Suprà ſignificat, ut Job. 29,3. Eſdr. 9, 6. Thren. 4,7. Jonæ 4, 7. Ezech. 1, 22. 25. 26.) *ſi omninò mortui non reſurgunt? Ut qvid & baptizantur ſuper illis?*

Qvartum, à praxi ductum Apoſtolica & Chriſtiana, ſic informabitur: Si Paulus & reliqvi Apoſtoli, ſpe reſurrectionis, qvotidiana mortis pericula adeunt, reſurgent certè mortui. At illud verum. Ergò & hoc. Majoris veritas interrogatione iterum decla-
30 ratur. *Ut qvid & nos periclitamur omni horâ?* Minor
31 ſanctè asſeritur: *Qvotidiè morior* (affectu animi) *per veſtram gloriam,* (Græca qvædam exemplaria meliùs: νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν, per noſtram gloriationem, ſcilicet illam, de qvâ ſuprà verſ. 10.) *qvam habeo in Chriſto JESU,* (perinde eſt, ac ſi diceret; per ſalutem animæ meæ, & gratiam Apoſtolatûs, de qvâ glorior in Chriſtô JESU.)

32 *Si ſecundùm hominem* (humanô more, humanâ laude ductus,) *ad beſtias pugnavi Epheſi, qvid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt?* (Hiſtoria θηριομαχίας Paulinæ non exſtat.)

Qvintum tale eſt: Si mortui non reſurgunt, ſecurè mundo huic indulgendum. Impium Conſeqvens. Ergò Antecedens. Probat μιμήσει vocum impiarum, qvas reprehendit Eſaias cap. 22,13. *Manducemus & bibamus: cras moriemur.*

Con-

Concludit hoc membrum gravi dehortatione à tàm pravis
ſodalitiis, tàm abſurda dogmata procudentibus, & exhortatione
ad ſerium ſtudium pietatis. *Nolite ſeduci. Corrumpunt mo-* 33
res bonos colloqvia prava. (verſus Senarius Menandri. Lege
Socratem Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 14.)

Evigilate juſtè, & nolite peccare. Ignorantiam 34
enim DEI qvidam habent, (qvi reſurrectionem vel negant,
vel negantibus conſentiunt,) *ad reverentiam* (ἐν τροπὴν, pu-
dorem) *vobis dico.*

Poſterius membrum conſtat Objectione, Confutatione, Am-
plificatione, & Peroratione.

Objectio eſt προληπτικὴ: *Sed dicet aliqvis, qvomodo* 35
reſurgent mortui? qvaſi autem corpore venient?
(Nulla ratio patitur, ut mortui hiſce cum corporibus, qvalia nunc
geſtamus, in mundum redeant. Vide objectionem Sadducæorum,
Matth. 22. Ergò vanum reſurrectionis dogma.)

Refellit qvatuor argumentis. Primum à ſimili, verſ. 36. Alte-
rum à carnium comparatione, verſ. 39. Tertium à Scripturæ Vete-
ris teſtimoniô, verſ. 45. Qvartum à primi & ſecundi Adami com-
paratione ductum eſt, verſ. 46.

Primum à ſimilitudine, ſtultitiam diſputantium redarguit,
ipſius naturæ exemplis, hôc modô: Si ſemina mortua vivifican-
tur, & vivificata longè meliora ſunt & ornatiora, qvàm cùm ſemi-
narentur; multò magis corpora noſtra vivificabuntur, & longè
ſplendidiora reſurgent, qvàm moriuntur. Prius confirmat natu-
ralis experientia. Ergò poſterius ſtultè negatur. *Inſipiens,* 36
(inqvit) *tu qvod ſeminas, non vivificatur, niſi prius mo-*
riatur. Et qvod ſeminas, non corpus, qvod futurum eſt 37
(iisdem affectionibus præditum,) *ſeminas, ſed nudum gra-*
num, (ſine culmô, ariſtâ, herbidâ viriditate,) *ut puta tritici, aut*
alicujus cæterorum. DEUS autem dat illi corpus, 37

ſicut voluit, & unicuiqve ſeminum proprium corpus, (ut tritico triticeum, ſiligini ſiligineum ſuum,non aliud.)

Secundum,à comparatione carnium & corporum ſumptum, ita ſonat: Si carnes & corpora, eorúmq; gloria variant, non neceſſarium eſt, carnem, qvæ reſurgit, iisdem modis affectam eſſe, ſicut ea eſt, qvæ cadit. Antecedens patet. Ergò & Conſeqvens.

39 *Non omnis caro eadem caro. Sed alia qvidem homi-*
num, alia verò pecorum, alia volucrium, alia piſcium.
40 *Et corpora cœleſtia, & corpora terreſtria. Sed alia*
qvidem cœleſtium gloria, alia autem terreſtrium.
41 *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas*
42 *ſtellarum. Stella enim à ſtellâ differt in claritate. Sic*
reſurrectio mortuorum. (Alia, qvoad affectiones, caro ſemi-
natur; alia, ſi qvalitates ſpectes, reſurgit. Alia caro damnatorum;
alia juſtorum. Et ipſa juſtorum corpora cœleſtia different clari-
tate.) *Seminatur in corruptione,* (per qvam in pulverem
redit, & vermibus eſca fit,) *ſurgit in incorruptione,* (nec morti
ampliùs, nec morbis, nec doloribus obnoxium, Apocal. 21, 40.)
43 *Seminatur in ignobilitate,* (ἀτιμίᾳ, ignominiâ, ob qvam te-
gitur, & removetur à conſpectu viventium,) *ſurgit in gloriâ,*
(conforme corpori Chriſti glorioſo, Phil. 3, 20. lucidum inſtar So-
lis, Matth. 13, 43.) *Seminatur in infirmitate,* (ut ne vermicu-
lum qvidem poſſit abigere, & tanqvam gleba terræ aliorum hu-
44 meris exportetur,) *ſurgit in virtute* (Angelicâ.) *Seminatur*
corpus animale, (more alterius animalis, edens, bibens, dor-
miens, vigilans, ſimile generans, &c.) *ſurgit corpus ſpirituale,*
(ſpirituum virtutes posſidens. Filii enim reſurrectionis erunt
ἰσάγγελοι, Luc 20, 36. Matth. 22, 30.)

Tertium, Scripturæ teſtimonio roboratũ, docet, dari corpus animale & ſpirituale. Unde ſeqvitur, non eſſe negandã corporum immuta-

mutationem. *Eſt corpus animale, eſt & corpus ſpiritua-* 45
le. Sicut ſcriptum eſt (Gen. 2, 7.) *Factus eſt primus homo*
Adam in animam viventem, (acceptô ſpiraculô vitarum à
DEO,) *noviſſimus Adam in Spiritum vivificantem*,
(qvi ita corpus vivificaret, ut ultrà non egeret aliqvâ ſuſtentatio-
ne, nec eſſet ſolubile, ſed ipſum vivificaret alios,) *ſed non prius*, 46
qvod ſpirituale eſt, ſed qvod animale, (ne qvis ex præſen-
ti ſtatu concludere præſumat de futuro:) *deinde qvod ſpiri-*
tuale.

Qvartum à primi & ſecundi hominis collatione arguit, cer-
tiſſimam eſſe corporum immutationem. Argumentatio plana eſt
è textu: *Primus homo* (Adam) *de terrâ terrenus, ſecundus* 47
homo de cœlô cœleſtis (Chriſtus, Dominus de cœlo, ὁ Κύριος
ἐξ οὐρανοῦ, non tantùm corpus habens naturale, ſed pariter exiſtens
ipſe cœli Dominus.) *Qvalis terrenus, tales & terreni.* 48
(qvi non fiunt participes gratiæ cœleſtis.) *Et qvalis cœleſtis,*
tales & cœleſtes, (cœlitùs glorificati in die noviſſimô.) *Igitur* 49
ſicut portavimus imaginem terreni, portemus (porta-
bimus, Φορέσωμεν) *imaginem cœleſtis*, (conformati corpori
ejus glorioſo, ſicut anteà corpori Adamico, humili & animali.)

Amplificatio latiùs perſeqvitur hoc, qvod de corporum qva-
litatibus dictum eſt, declarans non tantùm qvid mortuis, ſed
etiam qvid vivis corporibus, regnum DEI ingreſſuris, futurum ſit,
in Adventu Domini JESU.

Continet Propoſitionem, Narrationem, Confirmationem,
& Epiphonema.

Propoſitio eſt: *Hoc autem dico, Fratres, qvòd caro &* 50
ſangvis (qvà caro tantùm & ſangvis absq; immutatione & glori-
ficatione,) *regnum DEI poſſidere* (hæreditare, κληρονομῆσαι)
non poſſunt, neq; corruptio incorruptelam poſſidere.

51 Narratio hæc: *Ecce myſterium vobis dico, omnes*
qvidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.
(Falſa eſt hæc verſio. In fonte eſt: qvemadmodum etiam legunt
Tertullianus lib. de carnis reſurr. Chryſoſtomus, Theophylactus,
Syrus, & Arabs Interpretes: πάντες μὲν ȣ̓ κοιμηθησώμεθα. h. e.
Omnes qvidem non dormiemus, multi enim ſupererunt in die ex-
tremô, 1. Theſs. 4, 17. πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, ſed omnes immu-
52 tabimur.) *In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba,*
(σαλπίσει γὰρ, canet enim) *& mortui reſurgent incorru-*
pti, & nos immutabimur, (abſorptâ mortalitate ab incorru-
53 ptelâ, 2. Cor. 5, 4.) *Oportet enim corruptibile hoc induere*
incorruptionem, & mortale hoc induere immortalita-
tem, (ſubſtantiâ qvidem manente, at novâ conditione, tanqvam
cœleſti indumento eam exornante.)
54 Confirmatio ſeqvitur: *Qvum autem corruptum hoc*
induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit im-
mortalitatem, tunc fiet ſermo, qvi Chriſtus eſt, (Eſa. 25, 8.)
55 *Abſorpta eſt mors in victoriâ,* (eâq; æternâ.) *Ubi eſt tua,*
mors, victoria? (Græcè: σȣ κέντρον, ſtimulus tuus, puta qvô
occidiſti genus hominum,) *ubi eſt tua, inferne,* (cum cohor-
te Diabolorum) *victoria?* (qvâ in captivitatem redegeras o-
56 mnes nos. Verba exſtant in verſione LXX. Hoſ. 13, 14.) *Stimulus*
autem mortis peccatum eſt, (per qvod mors ad omnes ho-
mines pervaſit, Rom. 5, 12. qvia omnes peccaverunt.) *Virtus ve-*
rò peccati Lex, (maledicens homini peccatori. Ubi enim non
eſt Lex, nulla transgresſio. Et absqve Lege mortuum eſt peccatum,
Rom. 4, 15. & 7, 8.)
57 Epiphonema Euchariſticum ſubdit: *DEO autem gra-*
tia, qvi dedit nobis (non Satanæ, inferno, peccato, morti)

victo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

victoriam per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, (capitis ſerpentini contritorem, Gen.3,15.)

Qvarta pars capitis eſt concluſio hortatoria, ex antecedenti diſputatione deducta. *Itaqve, fratres mei dilecti, ſtabiles* 58
eſtote & immobiles, (ne aberretis ab Evangeliô ſemel acceptô) *abundantes in opere Domini* (cuiq; commendato pro vocatione ſuâ) *ſemper; ſcientes, qvòd labor veſter non eſt inanis in Domino,* (ſed excellentisſimam remunerationem habiturus, in reſurrectione juſtorum.)

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

DE SEPONENDIS ELEEMOSYNIS.

NOnum & ultimum Inſtitutionis caput eſt de ſeponendis Eleëmoſynis, cui tertia totius Epiſtolæ pars, EPILOGUS, ſubjungitur.

Præceptio hæc brevis eſt, Propoſitione & Confirmatione conſtans.

Propoſitio eſt: *De collectis, qvæ fiunt in ſanctos, ſic-* 1
ut ordinavi in Eccleſiis Galatiæ, ſic & vos facite. Per
unam Sabbati (Sabbatorum, σαββάτων, primâ die hebdomadis, 2
i.e. Dominicâ,) *unusqvisq; veſtrûm apud ſe ſeponat recondens, qvod ei benè placuerit,* (ὅ,τι ἂν εὐοδῶται, qvicqvid oportunè contigerit.)

Confirmatio petitur à decoro, ne iter vel ſuum, vel legatorum, qvos ad deferendas pecunias miſſurus eſt, retardetur.
Ut non, cùm venero, tunc collectæ fiant. Qvum autem 3
præſens fuero, qvos probaveritis per Epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram (vobis à DEO datam, &
ſanctis communicatam,) *in Jeruſalem. Qvod ſi dignum* 4
fuerit, ut ego eam, mecum ibunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

EPILOGUS.

EPilogi qvinqve membra ſunt. Primô, qvid de ſuô vel collegarum adventu ſperandum, perſcribit. Alterô exhortationes congerit, verſ.13. Tertiô, Stephanam & alios qvosdam commendat. Qvartô, ſalutationes commemorat. Qvintô, benedicit piis & maledicit impiis,

Primum de ſuô adventu ſignificat, qvando futurus, & præſentia qvamdiu durare poſſe videatur. Tùm Timothei adventum qvaliter excipi velit, & deniqve qvid de Apollo exſpectandum ſit.

5 *Veniam autem ad vos, qvum Macedoniam per-*
6 *transiero; nam Macedoniam pertransibo. Apud vos*
autem forſitan manebo, vel etiam hyemabo, ut vos
7 *me deducatis, qvocunq; iero. Nolo enim vos jam in*
transitu videre, (ſicut anteà Act.19,21.) *Spero enim me ali-*
qvantum temporis manere apud vos, ſi Dominus per-
8 *miſerit. Permanebo autem Epheſi usqve ad Penteco-*
9 *ſten,* (ut Pentecoſten agam Jeroſolymæ, Act.20,3.) *Oſtium enim*
mihi apertum eſt magnum & evidens, (ἐνεργὴς, efficax,
ἐναργὴς, evidens, ad introducendum multos in ovile Domini, Act.
10 19,26.) *& adverſarii multi,* (Judæi & Græci, Act.20,3.) *Si au-*
tem venerit Timotheus, videte, ut ſine timore ſit apud
vos, (Judæorum inprimis, Act.18,12.) *opus enim Domini ope-*
11 *ratur, ſicut & ego. Ne qvis ergò illum ſpernat,* (tanqvam
juvenem, 1.Timoth.4,12.) *Deducite autem illum in pace, ut*
veniat ad me. Exſpecto enim illum cum fratribus,
12 (venit etiam, ut apparet Act.20,4.) *De Apollô autem fratre,*
(notum vobis facio, redundat in Vulgatâ,) *multa rogavi eum,*
ut veniret ad vos cum fratribus. Et utiq; non fuit vo-

luntas ejus, ut nunc veniret. Veniet autem, cùm ei vacuum (oportunum) *fuerit.*

Alterum membrum conſtituunt exhortationes: *Vigilate,* 13
ſtate in fide, viriliter agite, confortamini. (Pſal. 31, 25. Ita
vos gerite erga DEUM.) *Omnia veſtra in charitate fiant* 14
(erga proximum, 1. Cor. 13. &c.)

Seqvitur tertium membrum, complectens commendationes:
Obſecro autem vos fratres, noſtis domum Stephanæ 15
(& Fortunati, non eſt in fonte Græcô,) *qvoniam eſt primitiæ*
Achajæ (domus iſta,) *& in miniſterium ſanctorum ordi-*
naverunt ſeipſos, ut & vos ſubditi ſitis hujusmodi, & 16
omni cooperanti & laboranti. Gaudeo autem in præ- 17
ſentiâ Stephanæ, & Fortunati, & Achaici, qvoniam
id, qvod vobis deerat, (in hâc Epiſtolâ reprehenſum,) *ipſi*
ſuppleverunt, (rectitudine fidei & morum.) *Refecerunt* 18
enim & meum ſpiritum, (præſentes mihi) *& veſtrum,*
(præſentes vobis.) *Cognoſcite ergò, qvi ejusmodi ſunt,*
(1. Theſs. 5, 12. 13.)

Qvartum membrum inſumitur ſalutationibus, tùm aliorum,
tùm Apoſtoli. *Salutant vos Eccleſiæ Aſiæ,* (à qvibus recens 19
veni in Macedoniam, Act. 20, 1. 2.) *Salutant vos in Domino*
multum Aqvila & Priſcilla, cum domeſticâ ſuâ Eccle-
ſiâ, (apud qvos & hoſpitor. Non eſt in fonte.) *Salutant vos* 20
omnes fratres. Salutate invicem in oſculo ſancto. Sa-
lutatio mea manu Pauli. 21

Ultimum membrum maledictiones & benedictiones continet Apoſtolicas.

Maledictio eſt: *Si qvis non amat Dominum noſtrum* 22
JEſum

JEſum Chriſtum, ſit anathema, Maran Atha. (Syriacè, מָרָן אָתָא, Dominus venit. Eſt extremi anathematis formula, hominem ad Chriſti adventum execrans, Malach. 4,6. Hieronym. Tomo 3. Epiſt. ad Marcellam ait: Completo anathemate deinceps inſeratur, Dominus noſter venit: qvod ſuperfluum ſit, adverſum eum pertinacibus odiis velle contendere, qvem veniſſe jam conſtet.)

23 Benedictio: *Gratia Domini noſtri JESU Chriſti vobiscum. Charitas mea cum omnibus vobis in Chriſto JEſu, Amen.*

Ad Corinthios prior miſſa fuit è Philippis, per Stephanam, & Fortunatum, & Achaicum, & Timotheum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

JOHANNIS CLUVERI, SS. THEOL. D. ejusdémq; olim Profeſſoris Sorani, & poſteà Superintendentis Dithmarſici,

ANALYSIS POSTERIORIS EPISTOLÆ S. PAULI AD CORINTHIOS.

HANC Epiſtolam aliqvantô tempore pôſt præcedenti ſubmiſit Apoſtolus, defendendi ſui tuendiq; Evangelii cauſâ, qvod priori Epiſtolâ repetitum Pſeudapoſtoli variis calumniis inceſſerant.

Incipit admodum patheticè à gratiarum actione ſolenni ad DEUM, non tàm pro Corinthiis, (ut in præcedenti Epiſtolâ,) qvàm pro ſeipſo & Timotheo, qvòd in ſummis afflictionibus efficaciter ipſos conſolatus ſit, ſubindicans, nihil ſibi gratius accidere à Corinthiis poſſe, qvàm ſi afflictionem afflicto nullam addant. Deinde ſuam erga DEUM & homines ſinceritatem, ſuiq; Evangelii veritatem, luculentis argumentis adſtruit, & ſic gravi ad pietatis opera exhortatione Epiſtolam proſeqvitur.

Partes ejus qvinqve ſunt: Primum eſt Exordium, ſalutatione & inſinuatione conſtans, usqve ad verſ.12. cap.1.

Deinde Propoſitio his verbis concepta: Gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, qvod in ſimplicitate & ſinceritate DEI, non in ſapientiâ carnali, ſed in gratiâ DEI converſati ſumus, abundantius autem apud vos, cap. 1,12.

Tertia eſt Confirmatio, qvâ primùm firmat aſſertionem rationibus prægnantibus & copioſis; Deinde cap. 6.7.8.9. qvædam præcepta, antehac data, repetit & inculcat.

Qvarta Confutatio, qvâ accuſationum capita Paulo objecta

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

jecta diluit, inq; ipſos Adverſarios retorqvet, à cap. 10. usqve ad cap. 13.

Deniqve Concluſio hortatoria & eulogetica, cap. 13, 5. &c.

CAPUT PRIMUM.

EXORDIUM EPISTOLÆ, PROPOSITIO, ET CONFIRMATIONIS ARGUMENTUM PRIMUM ET SECUNDUM.

EXordium bimembre eſt, Salutatione & Inſinuatione conſtans.

Salutatio qvis, cui, qvid, à qvo precetur, indicat.

1 *Paulus Apoſtolus JEſu Chriſti per voluntatem DEI, & Timotheus Frater,* (jam reverſus in Macedoniam, ex legatione ad Corinthios,) *Eccleſiæ DEI, qvæ eſt Corinthi, cum omnibus ſanctis, qvi ſunt in universâ Achaiâ.*

2 *Gratia vobis & pax à DEO Patre noſtrô, & Dominô JEſu Chriſtô.*

Inſinuatio, movendo affectui amoris & compasſionis apta, excitandisq; Corinthiorum votis pro Paulo & Timotheô, duplici ratione ad ſcopum ſuum collimat. I. Divinæ benignitatis prædicatione generali. II. Singularis cujusdam exempli recentis allegatione. Verba Pathetica ſyllogiſmo includi posſunt, hâc formâ: Qvos DEUS ſingulari favore proſeqvitur, & pro aliorum ſalute affligit, ac vicisſim ex afflictionibus eripit, ii ſeriô cordis affectu diligendi, & vota precésq; pro piis fundendæ ſunt. Paulum & Timotheum ita ducit & curat DEUS. Ergò ii impensè diligendi, precésq; pro ipſis & gratiæ DEO offerendæ ſunt. Et per conſeqvens falſisſimum eſt, qvod Pſeudapoſtoli de carnalibus eorum viis ac ſtudiis nugantur.

In probandâ asſumptione totus eſt Apoſtolus, gratias DEO agens pro benignisſima cura ſui, primùm in omnibus, deinde in ſingulari afflictione Aſiaticâ. Nam primò generatim ait:

Bene-

Benedictus DEUS, & Pater Domini noſtri JEſu Chri- 3
ſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius (omnis, πάσης)
conſolationis, qvi conſolatur nos in omni tribulatione 4
noſtrâ, ut poſſimus ipſi conſolari eos, qvi in omni preſ-
ſurâ ſunt, per exhortationem, (rectiùs conſolationem, παρα-
κλήσεως,) qvâ exhortamur ipſi à DEO, (vel, qvâ DEUS
nos conſolatur.) Qvoniam ſicut abundant paſſiones 5
Chriſti in nobis, (qvas ipſe in nobis tanqvam membris ſuis pa-
titur, pro juſtitiâ & veritate,) ita & per Chriſtum abundat
conſolatio noſtra, (ut tentationes divinâ virtute poſſimus ſuſti-
nere, 1. Cor. 10, 13.) Sive autem tribulamur pro veſtra ex- 6
hortatione, (conſolatione,) & in ſalute, qvæ operatur in
tolerantiam (tolerantiâ, ὑπομονῇ) earundem paſſionum,
qvas & nos patimur. (In veſtrum ſolatium & ſalutem vergit,
qvicqvid nos patimur, ut noſtrô exemplô confortemini, noſtrô
alloqviô tanqvam commilitonum excitemini:) ſive exhortemur
(conſolationem accipiamus) pro veſtra exhortatione,
(conſolatione) & ſalute. (Ut exemplo divinæ erga nos beni-
gnitatis roborati, eandem ſpem habeatis.) Et ſpes noſtra fir- 7
ma eſt pro vobis, ſcientes qvòd ſicut ſocii paſſionum
eſtis, ſic eritis & conſolationis. (videntur aliqvid paſſi Co-
rinthii pro Evangelio, aut ſaltem aliqvi ex illis, præter primam
perſecutionem illam, de qvâ Act. 18, 12.)

Nunc deſcendit ad ſingulare exemplum nuperum. Non 8
enim volumus ignorare vos fratres, de tribulatione
noſtrâ, qvæ facta eſt (ἡμῖν, nobis) in Aſia, (proficiſci vo-
lentibus in Syriam, Act. 20, 3.) qvoniam ſupra modum gra-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

vati ſumus, ſupra virtutem (noſtram,) *ita ut tæderet nos*
etiam vivere, (ὥςε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς, ut deſperaremus nos
de vitâ, præcipitati in inſidias hoſtium Judæorum, Actor. 20, 3.)
9. *Sed ipſi in nobismetipſis reſponſum mortis habuimus,*
ut non ſimus fidentes in nobis, (in noſtrâ induſtriâ, ſapientiâ,
10 viribus:) *ſed in DEO, qvi ſuſcitat mortuos. Qvi de tan-*
tis periculis (tali morte, ἐκ τηλικούτου θανάτου, jam ob oculos
verſante, & præſentisſima, ni DEUS avertisſet,) *nos eripuit, &*
eruit, (eripit, ῥύεται, etiamnum, disſipatis hoſtium conſiliis,)
in qvem ſperamus, qvoniam & adhuc eripiet, (ne in ma-
11 nus eorum incidamus.) *Adjuvantibus & vobis in oratione*
pro nobis, ut ex multarum perſonis facierum (ſimpli-
cius: ut ex multis perſonis, Græcè: ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων,)
ejus, qvæ in nobis eſt, donationis per multos gratiæ a-
gantur pro nobis, (h.e. ut ex multarum perſonarum reſpectu,
qvæ per nos beneficiô afficiuntur, donum ereptionis noſtræ mul-
torum gratiarum actionibus celebretur, pro ampliori conſerva-
tione noſtri.) Hucusqve proœmium.

PROPOSITIO.

AD Propoſitionem pulcrè ſtrata via declinat, ſignificans, DEUM
cura erga ſe ſua declarare, qvalem eum eſſe ſervum cenſeat.
12 Exprimitur autem ipſa verbis ſatis evidentibus: *Nam gloria*
(καύχησις: gloriatio) *noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcien-*
tiæ noſtræ, qvod in ſimplicitate & ſinceritate DEI, non
in ſapientiâ carnali, (prout improperant nobis inimici,) *ſed*
in gratia DEI converſati ſumus in mundo. Abundan-
tius autem apud vos, (ubi ſingulari nos alloqviô dignatus eſt
Domiuus JESUS, Actor. 18, 9. & ubi ſeſqviannum demorati ſu-
mus.)

CON-

CONFIRMATIO.

SImpliciter & ſincerè ſe coram DEO ambuláſſe, ſeptem argumentis docet Paulus.

Primum petit à propriô Corinthiorum teſtimoniô. Alterum à cauſis emanſionis ſuæ juſtisſimis, verſ. 15. Tertium à cauſâ adventûs in Macedoniam, cap. 2, 12. Qvartum ab effectibus officii ſui Apoſtolici, cap. 3, 1. &c. Qvintum à conſtantiâ in afflictionibus maniſeſtisſimâ, cap. 4, 7. Sextum à certâ futuræ compenſationis fiduciâ, cap. 5, 1. Septimum à cauſa impulſiva, ſcilicet Chriſti dilectione ardentisſimâ, cap. 5, 14.

Hoc Confirmationis membrum primum eſt, Apoſtoli mentem & ſententiam asſerens. Alterum ad officia & mores Corinthiorum ſpectans, cap. 6. & reliqvis pertexitur.

Primum ſic habet: Qvales nos cognoverunt Corinthii, & nunc cognoſcunt, & impoſterum cognoſcent, tales ſumus. At cognoverunt nos ſimplices & ſinceros, in gratia DEI ambulantes.
Ergò tales ſumus. Major his verbis exprimitur: *Non enim* 13
alia ſcribimus vobis, qvàm qvæ legitis & cognoſcitis,
(ἢ ἃ ἀναγινώσκετε, ἢ καὶ ἐπιγινώσκετε, aut legitis, aut etiam cognoſcitis. q. d. Hoc ipſum, qvod ſcribimus, hoc legitis, & hoc cognoſcitis ipſimet de nobis re factisq́; expresſum. Tales ſumus, non alii,
alienisſimi ab omni ſimulatione & hypocriſi.) *Spero autem,* 14
qvòd usq; in finem cognoſcetis. Sicut & cognoviſtis nos ex parte. (μεταγωγῇ καὶ παρονομασίᾳ orationem illuſtrat Apoſtolus.) Minor ita colligitur: *Gloriatio veſtra ſumus, qvemadmodum & vos noſtra, in die Domini JESU.* Ergò cognoviſtis nos ſimplices & ſinceros, in gratia DEI ambulantes. Id enim ipſe dies Domini patefaciet, qvando vos de nobis, & nos de vobis in eâdem gratiâ gloriabimur.

Alterum argumentum: Qvi, ut gratiam ampliorem haberent Auditores, ad eos venire inſtituit: ſed ne in dolore veniret, conſilium mutavit, ille in ſinceritate ambulavit, non in carnali ſapientiâ. Paulus ad Corinthios proficiſci voluit, ut ſecundam gra-

gratiam haberent: emanſit, ne in dolore veniret. Ergò in gratia DEI ſincerè & ſimpliciter ambulavit.

Minorem aſſerit primùm, & probat; deinde incuſationem contrariam refutat, verſ. 17. Tertiò, cur non venerit, explicat, verſ. 23.

15 *Et in hac confidentia* (mutuæ notitiæ & gloriationis) *volui priùs venire ad vos*, (ſicut ſcripſi priori Epiſtolâ cap. 4,19. & 16,5.) *ut ſecundam gratiam haberetis* (à DEO, per miniſterium meum, & impertirem vobis plura chariſmata ſpiritualia, Rom. 1,11.)
16 *Et per vos transire in Macedoniam, & iterum à Macedonia venire ad vos.* (Utrumqve in animo habuit iter, de poſteriori autem ſcripſit 1. Cor. 16,5. ſi verum eſt, ut eſt, qvod habet ſubſcriptio, miſſam eſſe priorem ad Corinthios è Philippis Macedoniæ,) *& à vobis deduci in Judæam*, (per Aſiam & Syriam.) Jam levitatis notam diluit, refutans ſcilicet emanſionis cauſam falſam, inconſtantiam carnalem, & ponens veram.

17 Primùm objectionem occupat: *Qvum ergò hoc voluiſſem*, (τοῦτο οὖν βουλευόμενος, hoc autem conſultans,) *nunqvid levitate uſus ſum? aut qvæ cogito, ſecundùm carnem cogito?* (delibero, βουλεύομαι,) *ut ſit apud me eſt & non?* (τὸ ναὶ καὶ οὔ. Sic videtur legendum cum exemplaribus qvibusdam, qvemadmodum etiam legit vulgatus Interpres. Niſi qvis ſic etiam malit interpretari alteram lectionem, ἵνα ᾖ παρ᾽ ἐμοὶ τὸ ναὶ, ναὶ putà hodiè, καὶ τὸ οὔ, οὔ, cras, mutabile ſcilicet & inconſtans. Sed Chryſoſtomus aliter interpretatur lectionem Græcam, q.d. Qvod volo & ſtatuo, non ſtatuo juxta carnem, h. e. juxta voluntatem hominum, qvi in rebus gerendis animo ſuo obſeqvuntur, ut ſit apud me eſt, eſt, & non, non, ut qvicqvid velim, faciam, & qvicqvid nolim, vitem. Imò ſubditus ſum Spiritui DEI, per qvem aliqvando vetor facere, qvod volo, & jubeor facere, qvod volebam. Utram ſententiam ſeqvaris, parum intereſt, modò inconſtantiâ Chriſti Apoſtolum liberes.)

Re-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Refutat levitatis crimen à naturâ Evangelii Corinthiis præ-
dicati, hôc modô: Qvi firmum & immutabile DEI verbum præ-
dicavit & prædicat, ille non eſt levitatis in officio arguendus. Pau-
lus tale verbum prædicavit, ſicut ait: *Fidelis autem DEUS,* 18
qvia ſermo noſter, qvi apud vos, non fuit (in illo, redun-
dat,) *eſt, & non,* (h.e. inconſtans & contradictorius.) *DEI e-* 19
*nim Filius JEſus Chriſtus, qvi in vobis per nos prædi-
catus eſt, per me, & Sylvanum & Timotheum,* (Act. 18,5.)
non fuit, eſt & non, ſed Eſt (ναὶ, certè,) *in illo fuit.* (Qvic-
qvid dictum de illo, firmum & invariabile fuit in illo.) *Qvot-* 20
qvot enim promisſiones DEI ſunt in illo Eſt, (ideò, re-
dundat,) *& per ipſum Amen* (hoc eſt, certæ, ratæ, indubitatæ)
DEO ad gloriam noſtram. (Falſisſima verſio: δι' ἡμῶν enim
eſt; per nos, i.e. per noſtrum miniſterium. Qvicqvid enim à DEO
per Chriſtum promittimus, id eſt Næ & Amen, firmum, ſanctum,
ratum.) *Qvi autem confirmat nos vobiscum in Chri-* 21
ſtum, & qvi unxit nos DEUS. (Hoc alterum documen-
tum conſtantiæ. Qvi enim unctus eſt, & firmatus Spiritu veritatis,
illi levitatis crimen non eſt impingendum. Paulus & Timotheus
uncti ſunt, & obſignati Spiritu veritatis. Ergò illis levitatis crimen
non impingendum. *Qvi & ſignavit nos,* (ait) *& dedit pi-* 22
gnus Spiritûs in cordibus noſtris. q.d. ſigilló & arrhabone
Spiritûs Sancti certisſimos de gratia ſua nos fecit, ut non fluctue-
mus inter eſt & non.

Nunc veram emanſionis cauſam patefacit: I. Eam asſerens ſanctè. II. Explicans, & à calumniis vindicans, verſ. 24. & cap. 2,1.2. III. Qvid de ea nunc ſentiendum, exponens verſ. 3. &c.

Asſertio cauſæ juramento obſignatur: *Ego autem te-* 23
*ſtem DEUM invoco ſuper animam meam, qvod par-
cens vobis non veni ultrà in Corinthum,* (è Macedoniâ,

ſicut

ſicut anteà pertransivi Achaiam, veniens ex Aſia, Act. 19,21. & 20,1. qvæ tertia fuiſſet Corinthiorum viſitatio, qvam denuò promittit ſub finem hujus Epiſtolæ, cap. 13,1. & complevit, ſcribens è Corintho ad Romanos, Rom. 16,23.)

Ne qvis autem objectaret, Ergóne Dominus noſter es, qvi tractare nos poſſis pro lubitu, qvandoqvidem parcendi causâ diſtuliſti adventum? Reſp. *Non qvia dominamur fidei veſtræ*, (qvod eſt ſolius Chriſti, τὸν γὰρ βουλόμενον πιστεῦσαι τίς κύριος ἀναγκάσαι; ait Chryſoſtomus h. l.) *ſed adjutores ſumus gaudii veſtri*, (qvod noſtro miniſterio adjuvatur, per gratiam Chriſti nobis cooperantem.) *Fide enim ſtatis*, (qvam ex prædicatione Evangelii noſtri accepiſtis, & per eandem prædicationem corroborare poteſtis. Si autem loco gaudii ex Evangelio orientis dolorem attuliſſemus vobis, ſicut neceſſe fuit propter enormia qvorundam ſcelera, ingratus certè noſter adventus fuiſſet. Fides libera dominium neceſſitatis eſt, ut interpretatur Ambroſius. Addit Eraſmus: Hæc animadvertenda nobis, qvi fidei ac religionis titulo ad tyrannidem abutimur. Nec aliò fortasſis ſtudiò cupimus orbem redigi ad profeſſionem Chriſti, qvàm ut ipſi latiùs regnemus.)

24

CAPUT SECUNDUM.

HOc capite pertexit ſecundum argumentum, ut dixi ſuprà, & ſuperaddit tertium. Continet ergò duas partes. Poſterior incipit verſ. 12.

Perſiſtit verò Apoſtolus explicatione cauſæ, ob qvam non venerit tertiò ad Corinthios, qvemadmodum præcedenti E-
1 piſtolâ erat pollicitus. *Statui autem hoc ipſum apud me, ne iterum triſtitiâ venirem ad vos*, (ſicut anteà factum videtur, qvando ſecundò eos inviſit, ut apparet Act. 19,21. & 20,1.
2 infrà cap. 12,21. & 13,2.) *Si enim ego contriſto vos, & qvis eſt, qvi me lætificet, niſi qvi contriſtatur* (ὁ λυπούμενος, qvi triſtitiâ afficitur) *à me?* (Non poſſum ego gaudere, qvum

vos

voſ contriſto, qvi gaudium meum eſtis. Igitur qvi contriſtatur à
me, ſi reſipiſcat, exhilarat me; nec eſt, qvi me exhilaret, ſi in ipsô
contriſtando pergere debeam.)

Seqvitur nova objectio, ejusq; ſolutio: Tertium ſcilicet mem-
brum hujus pericopes. Poſſent enim dicere, ad qvid ergò ſcripſiſti
te venturum? Potésne jam venire absqve dolore? Reſp. *Et hoc* 3
ipſum ſcripſi vobis, (ſcilicet me nolle iterum in dolore venire
ad vos.) *ut non cùm venero, triſtitiam* (ſuper triſtitiam, re-
dundat) *habeam, de qvibus oportuerat me gaudere:*
Confidens in omnibus vobis, qvia meum gaudium o-
mnium veſtrûm eſt. Nam ex multa tribulatione & an- 4
guſtiâ cordis ſcripſi vobis per multas lacrymas (hanc
ipſam Epiſtolam,) *non ut contriſtemini, ſed* (ἀγάπην, chari-
tatem.) *ut ſciatis, qvam charitatẽ habeam* (habeo) *abun-*
dantius in vobis, (εἰς ὑμᾶς, erga vos. Nam qvi lacrymas fun-
dit, qvod minùs ſe diligi videt, is ſanè præ amore merô eas fundit.
Et qvi propter alterius peccata lacrymatur, ardenter illum amat,
pro qvo lacrymatur.) *Si qvis contriſtavit*, (ut haſce lacry- 5
mas funderem,) *non me contriſtavit, ſed ex parte, ut non*
onerem omnes vos, (q.d. nolim hác vos culpâ onerare, qvòd
non ſitis contriſtati hôc ſcandalô, ex parte ſaltem contriſtati eſtis
omnes, qvanqvam non omnes æqvè teſtati eſtis dolorem veſtrum.
Nolim etiam peccatorem illum jam reſipiſcentem nimis grava-
re, qvaſi omnes contriſtârit: ex parte tamen contriſtavit omnes.)
Sufficit illi, qvi ejusmodi eſt, objurgatio hæc, qvæ fit à 6
pluribus, (ne nimis eum onerem.) *Ut è contrario magis do-* 7
netis & conſolemini, ne fortè abundantiori triſtitiâ ab-
ſorbeatur, qvi ejusmodi eſt, (deſperans de ſalute ſuæ animæ.)
Propter qvod obſecro vos, ut confirmetis in illum cha- 8
ritatem. Ideò enim & ſcripſi vobis (Epiſtolâ priori,) *ut* 9

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

cognoſcam experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis, (tùm in excommunicatione, tùm in abſolutio-
10 ne.) *Cui autem aliqvid donatis, & ego. Nam & ego donavi, ſi qvod donavi, propter vos in perſona Chriſti.* (Qvicqvid enim miniſter condonat, tanqvam vices Chriſti gerens propter Eccleſiam, cui hæc poteſtas data eſt, condonat ἐν πϱοσώπῳ Χϱιϛοῦ. Qvidam interpretantur: in conſpectu Chriſti, qvidam vice Chriſti, conjungi præſtat utrumqve ſenſum, juxta Theophyl.)
11 *Ut non circumveniamur* (πλεονεκτηθῶμεν, avarè defraudemur) *à Satanâ. Non enim ignoramus cogitationes ejus,* (qvomodo cupiat aut ſecuritate, aut deſperatione, perdere animas peccatorum.)

ALTERUM MEMBRUM CAPITIS.

CUR REDIERIT IN MACEDONIAM, NON VISITATIS CORINTHIIS.

ARgumentum tertium à cauſa reverſionis in Macedoniam ex Aſiâ ſic habet: Si Paulus gravi de causâ è Troade in Macedoniam rediit, non visâ Corintho, non eſt niſi ſimpliciter & ſincerè converſatus in gratia DEI. At prius verum. Ergò poſterius. Cauſam hanc primùm narrat ſimpliciter, deinde amplificat doxologiâ, qvâ ſignificat ad ſingularem DEI gloriam, & Eccleſiæ fructificationem omnes ſuas vias, & hanc ipſam redundâſſe.

12 *Qvum veniſſem autem in Troadem, propter* (εἰς, ad) *Evangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in*
13 *Domino,* (confer 1. Cor. 16, 9.) *non habui reqviem ſpiritui meo, qvòd non invenirem Titum fratrem meum* (& cooperarium, qvem ibi exſpectabam:) *ſed vale faciens illis,* (ἀποταξάμενος, valedicens,) *profectus ſum in Macedoniam* (iterum per Ægeum mare. Eſt enim ex Troade expeditus in Macedoniam trajectus, qvare poſtmodum etiam eodem præmiſit comites itineris, volens proficiſci Jeroſolymam, Act. 20, 5. & ſignificat Lu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Lucas qvinqve diebus navigationem tunc abſolutam, verſ. 6. Confer etiam Act. 16, 8 9.)

DEO autem gratia, qvi ſemper triumphat nos 14
(triumphatores facit,) *in Chriſto JEſu, & odorem notitiæ*
ſuæ manifeſtat per nos in omni loco. Qvia Chriſti bo- 15
nus odor ſumus DEO, in iis qvi ſalvi fiunt, & in iis
qvi pereunt. Aliis qvidem odor mortis in mortem, 16
(ut posſunt bonô etiam odore offendi ægrotantes, & res per ſe bona in perniciem cadere abutenti:) *aliis autem odor vitæ ad vitam.* (Confer Luc. 2, 34. Matth. 13, 11. 14. 15. Joh. 9, 39.)

Prolepticâ interrogatione arrogantiæ ſuſpicionem amoliens, ait: *Et ad hæc qvis idoneus?* (DEO omnis laus debetur, nihil nobis.) *Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes* 17
verbum DEI, (καπηλεύοντες, cauponantes, cauponum inſtar corrumpentes & vendentes, rati pietatem eſſe qvæſtum, 1. Tim. 6, 5.) *ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex DEO* (autore) *coram Deo* (corda & conſcientias noſtras probante) *in Chriſto loqvimur.* Virtuti Chriſti adſcribimus triumphos noſtros, in qvo posſumus, qvicqvid posſumus. Sic neqve noſtrum verbum, neq; ad noſtrum commodum, neqve noſtris viribus loqvimur, ſed DEI verbum, coram DEO in Chriſto. Atqve hoc eſt in ſimplicitate & ſinceritate DEI, non in carnali ſapientia ambulare, ſed in gratiâ DEI, ſicut propoſitio ſonabat, ſuprà cap. 1, 12. Hactenus fuerunt tria argumenta.

CAPUT TERTIUM.

Anteqvam ad qvartum argumentum procedat, qvia invidioſa videtur oratio, ſi qvis propriam converſationem collaudare cogatur, novâ inſinuatione utitur, & prolepſi novâ amolitur arrogantiam.

Deinde effectum officii Apoſtolici præclarè ediſſerit. Tractatio tota artificioſisſima eſt, qvemadmodum perſpicitur, ſi argu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

mentum ipſum ſyllogiſticæ formæ includas, & qvaliter explice-
tur ab Apoſtolo, attendas.

Syllogiſmum ſic ſtruo: Qvos officii ſui effectus clarisſimè
commendant, de iis planum eſt, qvòd in ſinceritate divinæ gratiæ
ambulent. Paulum & Timotheum officii ſui effectus efficacisſimè
& clarisſimè commendant. Ergò eos in ſinceritate divinæ gratiæ
ambulare planum eſt.

Primùm progresſurus ad hujus argumenti tractationem, ex-
ordiò averruncat ſuperbiæ & incivilitatis maculas. Posſet enim
aliqvis oggerere, qvid teipſum laudas? qvidni commendatitias
1 Epiſtolas petis ab aliis, ſi laudes tuas inculcari cupis? *Incipimus*,
inqvit, *iterum nosmetipſos commendare? aut nunqvid
egemus, ſicut qvidam commendatitiis Epiſtolis ad vos,
aut ex vobis* (ad alias Eccleſias?) Reſp. Neutram objectionem
habere locum. Nec enim à ſeipſis laudari, nec commendationibus
egere, qvorum opera toti mundo pateant.

2 Eſt ergò prima probatio converſio Corinthiorum: *Epiſto-
la noſtra* (commendatitia) *vos eſtis, ſcripta in cordibus
noſtris*, (unde facilè eam recitamus,) *qvæ ſcitur & legitur
3 ab omnibus hominibus. Manifeſtati, qvòd Epiſtola
eſtis Chriſti*, (ipſius ſummi commendatoris,) *miniſtrata à
nobis, ſcripta non atramentô, ſed Spiritu DEI vivi,
non in tabulis lapideis*, (in qvibus operoſisſimæ commenda-
tiones inſculperentur,) *ſed in tabulis cordis carneis.*
Hæc eſt probatio, ab opere ſpeciali petita, nimirum Corinthio-
rum illuminatione.

Altera à communi effectu officii Apoſtolici, novô præmuni-
4 tur arrogantiæ amuletô, dum inqvit: *Fiduciam autem talem
habemus per Chriſtum ad DEUM*, (ut à Chriſto ipſo nos
5 commendari gloriemur,) *non qvòd ſufficientes ſimus cogi-
tare aliqvid à nobis, qvaſi ex nobis, ſed ſufficientia no-*

ſtra

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſtra ex DEO eſt: Qvi & idoneos nos fecit miniſtros 6
Novi Teſtamenti, non litteræ (legalis,) *ſed ſpiritûs*
(Evangelici.) *Nam litera occidit*, (damnans peccatorem,)
Spiritus autem vivificat, (per Evangelii gratiam, remittens
peccata, & vires donans novas, qvibus fiant grata DEO.)

Tertia pars capitis illuſtrat effectum officii Apoſtolici, per comparationem miniſterii Veteris & Novi Teſtamenti. Cujus collationis momenta ſunt qvatuor 1. à cauſis efficientibus, qvæ fuit in Veteri Teſtamento Litera, in Novo Spiritus. 2. ab effectibus, qvi fuerunt in Veteri Teſtamento qvidem condemnatio, in Novo autem juſtificatio. 3. à connexa duratione. Vetus enim transiit, Novum manet. 4. à claritate. Illud obſcurum, hoc perſpicuum.

Primum comparationis momentum ita effert: *Qvod* 7
ſi miniſtratio mortis in literis, deformata in lapidibus,
fuit in gloria, ita ut non poſſent intendere filii Iſraël
in faciem Moſis, propter gloriam vultûs ejus, (deſcendentis de monte cum tabulis Legis lapideis,) *qvæ evacuatur*,
(utpote corporalis, viſibilis & tranſitoria:) *Qvomodo non* 8
magis miniſtratio Spiritûs erit in gloria? (Litera enim illa, lapidibus inſculpta, per ſe virtutem nullam contulit populo, per qvam placerent DEO. At Spiritus ipſe confert.)

Alterum ſic: *Nam ſi miniſtratio damnationis gloria* 9
eſt, multò magis abundat miniſteriū juſtitiæ in gloria.
(Litera illa legalis, & miniſterium Moſis, literam illam deferens de monte, condemnationem operatur homini ob peccatum, dum maledicit omni transgreſſori, ut fuſiùs docetur Rom. 7, 7. &c. Miniſterium Evangelicum juſtitiam annunciat, efficitq; ut peccator in Chriſtum credens, juſtificetur gratis Ergò multò glorioſius hoc qvàm illud. Ergò ſi Moſes honorem meretur, non minorem debebitis Apoſtolis.) *Nam nec glorificatum eſt, qvod cla-* 10
ruit, in hâc parte, (qvoad damnationis & juſtitiæ collationem,)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

propter excellentem gloriam. q. d. Nec dicenda claritas illa eſt ſi cum hac N. T. conferatur.

11 Tertium ſic: *Si enim qvod evacuatur, per gloriam eſt;* (V.T. miniſterium,) *multò magis qvod manet* (Novum) *in gloria eſt;* (Illud enim V.T. miniſterium, ſi absqve imperfectione fuiſſet, novo locus haud fuiſſet. Si autem Novum illi ſucceſſit, & perpetuum erit, ad extremum usqve diem; igitur illô tranſeunte erit glorioſius.)

Qvartum à perſpicuitate ductum uberiùs explicat, productam Moſis hiſtoriam allegoricè interpretando. Obſcuritatem enim V.T. indicat 1. Factum Moſis. 2. Iſraëlitarum infirmitas. 3. Experientia moderna. Contrà perſpicuitatem Novi monſtrat 1. Apoſtolorum fiducia. 2. Fidelium libertas & illuminatio. 3. Qvotidiana experientia.

Apoſtolus hiſtoriam interpretationi permiſcens ſic ait:
12 *Habentes igitur talem ſpem* (perpetui miniſterii, & gloriæ
13 ejusdem,) *multâ fiduciâ utimur. Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ut non intenderent filii Iſraël in faciem* (εἰς τὸ τέλος, in finem) *ejus, qvod evacuatur:* (ita nos metuimus auditorum infirmitatem. Non ita. Illi non poterant ferre ſplendorem vultûs Moſis, qvi tanqvam viſibilis tranſibat. Nos inviſibilem noſtrum ſplendorem, qvô major non erit in hac vita, confidenter omnibus ingerimus, qvia nunqvam tranſibit. Ille velabatur, nos vel maximè cupimus inſpici,
14 perpetuam gloriam, utut inviſibilem, oſtentantes.) *Sed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Usq; in hodiernum diem idipſum velamen in lectione Veteris Teſtamenti manet, non revelatum, qvoniam in Chriſto evacuatur.* (Deſignavit Iſraëlitarum cœcitatem velatio vultûs Moſis. Nam ſicut tunc faciem, ita nunc textum Veteris Teſtamenti, conſcriptum à Moſe, non vident Judæi, nec intelligunt, qvoniam Chriſtum non agnoſcunt, in qvo ſolo velamen illud aboletur, & gloria faciei Moſaicæ
con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

conſpicitur.) *Sed usq; in hodiernum diem, qvum legitur* 15
Moſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum, (ut non-
percipiant, aut perſpiciant ſententiam verborum ejus.) *Qvum* 16
autem converſi fuerint (ἐπιστρέψῃ, converſum fuerit cor eo-
rum, ſicut qvondam Moyſes naturaliter, ita illud ſpiritualiter,)
ad Dominum, auferetur velamen, (ut illis in Domino pa-
teſcat claritas Moſis.) *Dominus autem Spiritus eſt* (ſan- 17
ctus. Ille eſt Dominus, ad qvem converſô corde tollitur velamen
obſcuritatis & inſcitiæ.) *Ubi autem Spiritus Domini,* (qvi
idem Dominus cum Patre & Filiô,) *ibi libertas.* (Ergò in nobis
libertas, ut non tegamus claritatem, & in vobis, ut eam audacter
inſpiciatis, utpote Spiritu DEI præditi.) *Nos verò omnes re-* 18
velatâ facie gloriam Domini, (in Evangelio revelatam,)
ſpeculantes, in eandem imaginem (ſapientiæ & bonitatis
ejus) *transformamur, à claritate ad claritatem, tan-
qvam à Domini* (Domino, qvia deeſt articulus) *Spiritu.*
(Ut illuminati ſumus ſemel, & demptô ignorantiæ velô gloriam DEI mente intuemur: ſic qvotidiè magis magisq; proficimus, & imagini ejus asſimilamur, claritate unâ alteram adjuvante & progignente, per virtutem divini Spiritûs.

CAPUT QVARTUM.

CApite qvartô abſolvitur argumentum ab effectibus ductum officii Apoſtolici, & verſu ſeptimô qvintum, à conſtantiâ tolerantiâq; afflictionum tractum, ſuperadditur.

Concludit ergò priùs qvartum argumentum, applicando illud theſi ſeu propoſitioni ante dictæ, & tandem, ne qvid dubii ſuperſit, objectionem adverſus obſcuritatem Evangelii moveri oportunam, diſcutit, ut qvinqve adeò partibus tota hujus argu-
menti tractatio peragatur. *Ideò* (inqvit) *habentes* (hanc) *mi-* 1
niſtrationem, juxta qvod miſericordiam conſecuti ſu-
mus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

mus, non deficimus: (ἐκκακοῦμεν. ad fraudes & carnalia ſtudia
2 non depravamur;) *ſed abdicamus occulta dedecoris*, (qvalia
ſunt oſtentatio hypocritica, figmenta revelationum, ſimulata ſan-
ctitas, &c.) *non ambulantes in aſtutia, neq; adulterantes
verbum DEI*, (confer ſuprà verſ.12. cap.1. & 2,17.) *ſed mani-
feſtatione veritatis commendantes nosmetipſos, ad
omnem conſcientiam hominum coram DEO*, (ut & ipſi
bonâ conſcientia nitamur, & alii conſcientiá ſuâ convicti coram
DEO, teſtimonium ſinceritatis nobis perhibere cogantur.)

Prolepſis ita haberet plenior. At occultum eſt multis Evan-
gelium tuum, ideóq; veritas non omnibus manifeſtatur? Reſpon-
det Apoſtolus, id ex accidenti contingere, vitio alieno, non Evan-
3 gelii, nec ſuo. *Qvod ſi etiam opertum eſt Evangelium
noſtrum* (non ſemper perſpicuum) *in iis, qvi pereunt, oper-
4 tum eſt. In qvibus DEUS hujus ſeculi* (princeps tenebra-
rum hujus ſeculi, Epheſ.2,2. qvi DEI inſtar colitur,) *excæcavit
mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio Evan-
gelii gloriæ Chriſti, qvi eſt imago DEI.* (Sicut enim Chri-
ſtus ſatis eſt glorioſus, ſic qvoqve ſatis lucidum Evangelium ejus.
Sed nec ipſius gloriam, nec hujus illuminationem percipiunt ex-
5 cæcati.) *Non enim nosmetipſos prædicamus, ſed JEſum
Chriſtum: nos autem ſervos veſtros per JESUM,*
6 (διὰ Ἰησοῦν, propter JEſum.) *Qvoniam DEUS, qvi dixit de
tenebris lucem exſplendeſcere,* (initiô creaturæ Geneſ.1,2.)
*is eſt, qvi illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem
ſcientiæ claritatis DEI, in facie JEſu Chriſti.* (Idem
DEUS, qvi olim per Chriſtum, verbum ſuum, è tenebris lucem eli-
cuit, nunc qvoq; in cordibus noſtris cœcis lumen excitavit, ut nos
illuminaremus alios ſcientiâ gloriæ DEI, in perſona JEſu Chriſti,
qvi ipſe per nos agit, & illuſtrat lumine vultûs ſui auditores Evan-
geli-

gelii. Absqve Filio enim Pater non cognoſcitur, Matth. 11, 26. Non igitur nobis imputari poſſunt tenebræ, niſi qvis eas ipſi Chriſto imputare velit, per noſtrum miniſterium operanti, qvi tamen ipſa lux & imago DEI eſt ſplendidisſima. Intellige & gloriam DEI in facie Chriſti, eam ſcilicet, qvæ in ipsâ Chriſti jam glorificati facie relucet, Apoc. 1, 16. Qvæ qvidem & olim in facie Chriſti erat, Luc. 9, 29. Matth. 17, 2. ſed ſpecie ſervili tegebatur, donec clarificaretur Dominus, Col. 3, 3. 4. Phil. 2, 6. 7. ſuprà cap. 3, 18.

Pergit jam ad qvintũ argumentum, cujus hæc ſententia eſt: Qvi in ſummis & extremis anguſtiis, miſeriis & periculis cõſervati, illuminant alios & vivificãt, ii in ſimplicitate & ſinceritate gratiæ, non in carnali ſapientiâ ambulant. Ita conſervantur & proficiunt Apoſtoli, Paulus & cæteri. Ergò in ſinceritate divinæ gratiæ ambulant.

Minor non nudè asſeritur, qvippe in qva tota vis argumenti ſita, ſed contentione ſeu antithetô illuſtratur eximiè. Indicaturq; primùm cauſa ultima afflictionum, qvæ eſt gloria DEI. Deinde eorum forma, antitheſibus gratiæ & tribulationis exornata. Tertiò finis humanus duplex, unus reſpectu eorum qvi patiuntur, alter reſpectu aliorum, pasſiones ſpectantium, verſ. 11. 12. Qvartò exponitur modus, qvô ad utrumqve finem pervenitur, tùm intermedium, qvi ad alios, tùm ultimum, qvi ad DEUM, tùm deniq; illum, qvi ad ipſos patientes pertinet.

Primò, cauſam ultimam allegoricis phraſibus eloqvitur:
Habemus autem theſaurum iſtum (illuminationem ſcien- 7
tiæ DEI,) *in vaſis fictilibus*, (corporibus hisce mortalibus &
infirmis, qvæ ὀστράκου ſeu teſtæ inſtar facilè conteruntur;) *ut ſub-
limitas virtutis ſit DEI, & non ex nobis.* (Hóc conſide-
ratô, nec ſpernimur tanti theſauri geſtatores, nec extollimur ni-
mis, vaſa hæc fictilia omnium oculis ingerentes.)

Forma afflictionum hæc eſt: *In omnibus tribulationem* 8
patimur, ſed non anguſtiamur, (coarctamur in anguſtias,
paracletô nos reficiente:) *aporiamur*, (ἀπορούμενοι, turbamur,
hæſitamus,) *ſed non deſtituimur*, (ἐξαπορούμενοι, deſperamus,

9 exturbamur mente.) *Perſecutionem patimur, ſed non derelinqvimur: dejicimur, ſed non perimus.*

10 Finis afflictorum: *Semper mortificationem Domini JEſu in corpore noſtro circumferentes,* (mortis ejus ſimilitudinem, qvâ peccato mortuus eſt ſemel, Rom. 6,5.) *ut & vita JEſu manifeſtetur in corporibus noſtris,* (tùm in hôc ſeculô, Roman. 6,4.11. tùm in futurô, Phil. 3,20. 1. Cor. 15,49.)
11 *Semper enim nos, qvi vivimus, in mortem tradimur propter JEſum, ut & vita JEſu* (qvam vixit olim, & nunc vivit,) *manifeſtetur in carne noſtrâ mortali.* (Semper illi commorimur, ut ſemper convivamus, præſertim in altero ſeculo.)

12 Finis ad alios redundans: *Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis,* (qvi vita Jeſu vivificamini per miniſterium noſtrum contemplantes & experientes vitam, in mortali noſtro corpore apparentem.)

13 Modus, qvo finis iſte attingitur, eſt prædicatio fidei: *Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt, credidi propter qvod locutus ſum* (de Chriſto, Pſal. 116, 10.) *& nos credimus, propter qvod & loqvimur:* (ut ſcilicet vita Jeſu ex ſermone prædicationis & invocationis eluceſcat.)
14 *Scientes, qvoniam qvi ſuſcitavit Jeſum, & nos per ipſum ſuſcitabit, & conſtituet vobiscum,* (in glorioſo adventu ejus 1. Cor. 15.)
15 *Omnia enim propter vos* (ſpiritus fidei & ſermonis, mors & vita noſtra,) *ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione* (διὰ τῶν πλειόνων τὴν εὐχαριστίαν, propter multorum gratiarum actionem) *abundet in gloriam DEI.* (Audientes enim & credentes loqvelæ noſtræ plurimi, glorificabunt DEUM, qvi JESUM ſuſcitavit, nosq; cum ipſis ſuſcitabit in illo die.)

Mo-

Modus, qvô finis comparatur ipſis afflictis: *Propter qvod* 16
non deficimus, (perſeverantes in fide, participes efficimur vitæ
JEſu:) *ſed licet, qvi foris eſt noſter homo, corrumpitur,*
tamen is, qvi intus eſt, (ſpiritualis & renatus) *renovatur*
de die in diem. Id enim qvod in præſenti eſt momenta- 17
neum & leve afflictionis noſtræ, ſupra modum in ſub-
limitate æternum gloriæ pondus operatur nobis; (non
meretur qvidem, qvoniam non ſunt dignæ paſſiones hujus tempo-
ris ad futuram gloriam, Rom. 8, 18. Sed operatur tanqvam admini-
culum & inſtrumentum qvoddam, ſicut abſtinentia operatur ſa-
nitatem corporis, & labores ſtudioſorum ſapientiam.) *Non con-* 18
templantibus nobis (fide ea, qvâ ſtamus & ſervimus DEO,) *qvæ*
videntur, ſed qvæ non videntur. Qvæ enim videntur,
temporalia ſunt; (mundus hic & univerſæ pompæ ejus, divi-
tiæ, honores, voluptates.) *qvæ autem non videntur, æterna*
ſunt. (Juſtitia, gaudium & beatitudo venturi ſeculi.)

CAPUT QVINTUM.

DE FUTURORUM PRÆMIORUM ET DILECTIONIS CHRISTI INCITAMENTO.

SExtum & ſeptimum argumentum, qvo probatur, Paulum & Timotheum ambulare in ſinceritate gratiæ DEI, non in carnali ſapientia, ſuppeditat conſideratio futuræ compenſationis, & ardentisſimi amoris Chriſti.

Sextum tale eſt: Qvi certi tum de emigratione ſua ad beatiora tabernacula, tum de futuro judicio univerſali, præmiisq; & pœnis ibidem exſpectandis, utrumq; finem in conſpectu habent ſemper, illi in ſinceritate & bonitate conſcientiæ ambulant coram DEO, & hominibus. Paulus & Timotheus certi, tàm de beata emigratione ſua, ſi moriantur, qvàm de futuri judicii æqvitate,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

utrumqve finem ſemper mente circumferunt. Ergo ſimpliciter & ſincerè ambulant. Major patet.

Minor duo membra habet, & ſic qvoqve oratio, qvâ eam aſſerit firmatq; Apoſtolus. Utriq; membro Concluſionem ſubjicit, priori verſ. 9. poſteriori verſ. 11.

Primum de migratione ad æterna tabernacula ſic diſſerit:
1 *Scimus enim*, (qvi inviſibilia contemplamur) *qvoniam ſi*
terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur,
(corpus noſtrum, in qvo ſpiritus nunc habitat,) *ædificationem*
ex DEO habemus, domum non manufactam, æternam
in cœlis, (ſedem beatorum, paradiſum, tertium cœlum, manſio-
2 nes paternæ domûs à CHRISTO præparatas, Joh. 14, 2.) *Nam & in*
hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, qvæ de cœlo,
ſuperindui cupientes (in adventu Domini Jeſu omnibus piis
3 deſideratisſimo, Rom. 8, 22. 23.) *Si tamen veſtiti* (corpore)
& non nudi reperiamur, (tabernaculô hoc jam exuti, qvia nu-
di induuntur, & non ſuperinduuntur. Veſtiri enim adhuc corpo-
re, ſuperinduuntur cœleſti gloriâ, non deponentes corpus ſuum,
ſed immutantes ſolummodò; nudi autem à corpore, induuntur
denuò priori habitaculo, ſed jam glorificato, 1. Cor. 15, 51. 53.)
4 *Nam & qvi ſumus in hoc tabernaculo* (corporis mortalis
qvod vocat σκῆνος, immortale jam factum, οἰκίαν καὶ οἰκητήριον)
ingemiſcimus gravati, eò qvod nolumus exſpoliari, ſed
ſuperveſtiri (malumꝰ Chriſtũ venire nobis viventibus, ut corpꝰ
hoc immortalitate ſuperveſtiatur, qvam mori priùs & corpore ex-
ui:) *ut abſorbeatur qvod mortale eſt à vita* (indumẽtó mu-
5 tató qvidem, ſed non depoſitô.) *Qvi autem effecit nos in*
hoc ipſum (immortalitatis decus,) *DEUS eſt, qvi etiam*
dedit nobis pignus Spiritus. (Spiritus enim immortalis & di-
vinus, qvô obſignati ſumus, arrha & pignus eſt immortalitatis

fu-

futuræ. Si enim Spiritꝰ ejus, qvi ſuſcitavit Jeſum à mortuis, habitat
in nobis; qvi ſuſcitavit Jeſum à mortuis, vivificabit & mortalia
corpora noſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis,
Rom. 8, 11.) *Audentes* (θαῤῥοῦντες, confidentes) *igitur ſemper* 6
& ſcientes, qvoniam dum ſumus (ἐνδημοῦντες) *in corpore,*
peregrinamur (ἐκδημοῦμεν) *à Domino. Per fidem enim* 7
ambulamus, & non per ſpeciem. (Qvi autem non videt
qvempiam, abeſſe ab eo, & peregrinari rectè dicitur.) *Audemus* 8
(confidimus) *verò, & bonam voluntatem habemus*
(εὐδοκοῦμεν, probamus) *magis peregrinari à corpore, &*
præſentes eſſe apud Dominum. (Malumus corporis, qvàm
DEI præſentiâ carere.) Seqvitur Concluſio prioris membri: *Et* 9
ideò contendimus, ſive abſentes, ſive præſentes (εἴτε ἐνδη-
μοῦντες, εἴτε ἐκδημοῦντες, ſive domi agentes, ſive foris, ſive in hac, ſive
altera vita) *placere illi.* Unde jam planum eſt, iſta meditantes
rectè de bona conſcientia gloriari.

Secundum, de conſideratione judicii, cognatiſſimum primo
eſt. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal* 10
Chriſti (tum vivos, tum mortuos, præſentes apud Dominum &
abſentes) *ut referat unusqvisq; propria corporis* (τὰ διὰ τοῦ
σώματος, per corpus facta) *prout geſſit, ſive bonum, ſive*
malum. (Qvia enim corpus animæ cooperatum eſt, ſeu bonum,
ſeu malum, in hac vita, in communionem etiam compenſatio-
num veniet, in univerſali judicio. Interim animæ ad ſua loca
abeunt, & qvæ apud Dominum ſunt, piorum, placere illi ſtudent
unicè, haud in fide ambulantes ultrà, ſed in contemplatione. Con-
ſeqvens hinc iterum eſt, extremum diem animo repræſentantes,
ſinceriſſimè ſervire DEO, & ambire puritatem conſcientiæ. Itaqve
ait:) *Scientes ergo timorem Domini, hominibus ſvade-* 11

mus (tales nos eſſe,ſicut dictum cap.1,12.) *DEO autem mani-*
feſti ſumus (καρδιογνώςῃ) *ſpero autem & in conſcientiis*
veſtris manifeſtos nos eſſe (qvod in ſinceritate DEI ambule-
mus,neqvaqvam in carnali ſapientia. Timens enim Dominum,
ſtudet mandatis ejus. Proverb.3,7.& 13,13.& 14,2.16.& 24,21.Eccle-
ſiaſt.12,13.Pſal.128,1.)

Septimum argumentum novo ornatur proœmiolô, qvo ite-
rum totum hunc de converſatione ſua diſcurſum purgat ab omni
labe ſuperbiæ. Deinde ipſum argumentum proponitur verſ.14.
Tertiò finitur hic tractatus,& ad doctrinæ & exhortationis capita
proceditur. verſ.18.

Proœmiolô rationem reddit, cur tàm copioſè ſuam in Chriſto
12 integritatem aſſerat. *Non enim iterum commendamus nos*
vobis, ſed occaſionem damus vobis gloriandi pro nobis,
(doctoribus veſtris) *ut habeatis* (aliqvid) *ad eos, qvi in facie*
gloriantur, & non in corde, (Ore magnos ſe ferunt, proprii
13 cordis teſtimonio condemnati.) *Sive enim mente excidimus*
(in exceſſu mentis loqvi videmur) *DEO* (id fit, cujus inſpiratio-
ne hanc Epiſtolam ſcribimus,cui in omnibus obediendum, qva-
liacunqve iſta videantur hominibus,) *ſive ſobrii ſumus* (&
agnoſcitis ſobria eſſe omnia & modeſta, qvæ ſcribimus,) *vobis*
(ſic etiam placemus. Cupimus enim & hominibus placere & Deo.
Si autem utrumq; obtinere non licet,ſufficit DEO placuiſſe. Si &
hominibus ſobrii videmur,qvod ambimus, tantò melius. Alii ſic
exponunt: Si qvid velut extra nos rapti gloriamur,ad DEI pertinet
gloriã: ſi mediocria loqvimur,veſtris affectibus accommodamur.)

Argumentum ipſum tale eſt : Qvi dilectione Chriſti,pro omni-
bus mortui,rapiuntur,ut illi vivant,illi non ſecundum carnem,
ſed ſincerè coram DEO ambulant. Paulus & alii Apoſtoli ſic agun-
tur. Ergo non ſecundum carnem,ſed ſecundum DEUM ambulant.
Proponitur Enthymematicè. Antecedens aſſerit his verbis : *Cha-*
14 *ritas enim Chriſti urget* (συνέχει, conſtringit) *nos, æſtiman-*

tes

tes hoc, qvoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo
omnes mortui ſunt, q. d. Perinde eſt, ac ſi omnes eſſemus mor-
tui pro peccatis noſtris, qvoniam Chriſtus pro nobis eſt mortuus.
Qvi autem hoc conſiderat, Chriſtum tanqvam pro ſe mortuum
diligit, ac propterea ipſi ſervit ſeriò. *Etenim pro omnibus* 15
mortuus eſt Chriſtus, ut qvi vivunt, non jam ſibi vi-
vant, ſed ei, qvi pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.
Conſeqvens affirmat hoc modo: *Itaq; nos ex hoc neminem* 16
novimus ſecundum carnem, (nulli hominum ſecundum car-
nem addicti ſumus, neqve carnaliter cuiqvam placere aut ſervire
cupimus:) *Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chri-*
ſtum, (putantes illum ſecundum carnem ambulaſſe, ideoqve a-
lios ſecundum carnem eum pro Meſſia venditare:) *Sed nunc*
jam non amplius novimus (illuminati & meliora de ipſius
morte & reſurrectione edocti, qvam olim infideles credebamus.)
Si qva erga in Chriſto, (ὥςε εἴτις ἐν Χριςῷ. Igitur ſi qvis in 17
Chriſto eſt,) *nova creatura eſt. Vetera tranſierunt*
(carnalia & humana ſomnia, ſtudia, ſervitia:) *Ecce omnia fa-*
cta ſunt nova. (Qvi enim Chriſtum expiandis peccatis mor-
tuum, & reducendæ juſtitiæ, vitæq; novæ reſuſcitatum ſtatuit, is
moritur peccato, DEOq; ſincerè & ſanctè ſervire contendit.)

Concluſione primùm omnia de ſe hactenus aſſerta, DEO &
Chriſto tribuit, verſ. 18.19. Deinde Corinthios ad ſuſcipiendum
miniſterii Apoſtolici verbum accendit, verſ. 20.21.

Omnia autem (putà, qvod jam neminem ſecundùm car- 18
nem novimus, & tanqvam nova creatura DEI, ipſius gloriam qvæ-
rimus) *ex DEO, qvi nos reconciliavit ſibi per JEſum*
Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis.
Qvoniam qvidem DEUS erat in Chriſto, (qvà homine,) 19

mun-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

mundum reconcilians ſibi, (genus humanum à ſe alienum reducens, & retrahens ad ſe,) *non reputans illis delicta ipſorum*, (ſed imputans juſtitiam Chriſti,) *& poſuit in nobis verbum reconciliationis*, (ut loco Chriſti, per verbum Evangelii, alios omnes DEO reconciliemus, inſtructi eâ poteſtate, ut qvicqvid remittimus credenti, remiſſum ſtatuamus in cœlo.)

20 *Pro Chriſto ergò legatione fungimur, tanqvam*
DEO exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, re-
conciliamini DEO. (Ipſius Chriſti partes ſuſtinemus, qvi in
mundum miſſus eſt, reconciliare eum DEO. Hunc reſpicite, ne
fruſtrà pro vobis mortem oppetierit. Rogamus ejus loco, ut ma-
gis ſubinde DEO reconciliemini, & qvi averſi ſunt iterum redeant
21 ad gratiam ejus.) *Eum enim, qvi non nôrat peccatum,*
pro nobis peccatum fecit, (hoſtiam, peccati bajulam, qvæ ſic
tractatur, ac ſi ipſum ſit peccatum, & propterea peccatum appel-
latur, Exodi 29,36. Levit. 4,3,24. & 8,14. ac paſſim alibi,) *ut nos*
efficeremur juſtitia DEI in ipſo, (reputaremur tanqvam
juſtitiam operati, imò tanqvam juſtitia ipſa in ipſo, qvi legem pro
nobis implevit, & credentibus imputat ſuam obedientiam, ut de-
ſinamus cenſeri peccatores, perq; fidem juſti habeamur coram
DEO, propter ipſum. Sicut enim Chriſtus peccatum factus eſt, im-
putatione peccati noſtri, cùm ipſe non noſſet peccatum: Sic nos
efficimur juſtitia, imputatione juſtitiæ ejus, qvi ipſi non novi-
mus, nec fecimus juſtitiam.)

PARS SECUNDA CONFIRMATIONIS,

EXHORTATIO AD SINCERAM ET SIMPLICEM CONVERSATIONEM IN GRATIA DEI.

POſtqvam ſe & Collegas ſuos ſimplices ſinceroſq; DEI ſervos eſſe docuit Apoſtolus, nunc porrò ad imitationem converſationis ſuæ hortatur Corinthios.

Ea exhortatio eſt generalis & ſpecialis.

Gene-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Generaliter enim primùm monet, gratiam DEI reverenter habere, nec eam in vanum accipere, itemq; à malorum communione abſtinere, ac perficere ſanctificationem in timore DEI. Hoc agit cap. 6. & 7.

Deinde ſpecialiter exhortatur ad liberalitatem, & beneficentiam erga pauperes Hebræos, idq; argumentum perſeqvitur cap. 8. 9.

Generalior illa Exhortatio trimembris eſt. Primum membrum eſt de uſu gratiæ divinæ. Alterum de vitando improborum conſortio. Tertium de continuanda ſanctificatione in timore DEI.

CAPUT SEXTUM.

CApite ſexto generalioris Exhortationis duo membra abſolvuntur. Primum Propoſitione, Confirmatione, Amplificatione, & Concluſione conſtat.

Propoſitio iſta eſt: *Adjuvantes autem* (exhortationem CHRISTI συνεργοῦντες cooperantes DEO, 1. Corinth. 3, 9.) 1
etiam exhortamur, ne in vacuum gratiam (qvà nobis in CHRISTO reconciliatis peccata remittit) *accipiatis*: (Sed noſtri imitatores efficiamini, in qvibus non fuit vana & inefficax hactenus DEI gratia. 1. Cor. 15, 10.)

Confirmatio fit à temporis oportunitate ſcripturis propheticis roborata; *Ait enim, tempore accepto exaudivi, & in die* 2
ſalutis adjuvi te: (Eſa. 49, 8.) *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*. Ergò hujus tàm beati temporis ratio habenda, inq; eo reverenter & gnaviter benignisſimo DEO ſerviendum.) Amplificatione recenſet Apoſtolus ſuum, Timothei, aliorumq; collegarum curſum, qvò teſtatum faciunt, qvàm reverenter gratiâ DEI utantur, nec ullis parcant laboribus aut ſtudiis, ut temporis ſalutaris ratio conſtet DEO.

In iſto Apoſtolorum curſu qvatuor diſtinctè annotat, (1.) Studium bonæ & inoffenſæ conſcientiæ, tanqvam ſepimentum & cancellos, qvibus omnes eorum viæ muniuntur, verſ. 3, 4. (2.) Salebras & aſperitates viarum, per qvas iter dirigendum, verſ. 4. 5. (3.) Arma &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

vires,qvibus inſtructi iter abſolvunt. verſ.6.7. (4.) Diverſa judicia tum ſpectatorum,tum currentium ipſorum, verſ.8.9.10.

Nam primò ſibi,omnibusq; fidis collegis propoſitum eſſe ait illibatæ conſcientiæ ſtudium, ne in ſtadio hujus vitæ cuiqvam ſcan-
3 dalum aut offendiculum ponant: *Nemini dantes ullam offenſionem,ut non vituperetur miniſterium noſtrum.*
4 *Sed in omnibus exhibeamus* (συνιστῶντες, commendantes) *nosmetipſos,ſicut DEI miniſtros.* (ὡς θεοῦ διάκονοι, ſicut DEI miniſtri, ſubaudi ſumus.)

5 Deinde paſsiones,qvibus exerceantur,enumerat: *In patientia multa,in tribulationibus, in neceſsitatibus,*(unde exitus nullus proſpicitur) *in anguſtiis* (animæ,) *in plagis* (corporis,) *in carceribus,in ſeditionibus,*(odio noſtri excitatis à Judæis & gentibus,) *in laboribus* (manuum ac pedum,) *in vigiliis,* (pro Eccleſia,) *in jejuniis* (ob rerum neceſſariarum indigentiam, aut ſponte ſuſceptis ad affligendum corpus, & in ſervitutem redigendum. 1.Cor.9,27.)

Tertiò arma & præſidia notat,in qvibus ſe DEO miniſtros præ-
6 beant: *In caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuavitate* (χρηστότητι, bonitate, qvâ aliis nos qvaſi utendos damus.) *in ſpiritu ſancto,*(ne qvid mihi tribuere aut humanis viribus vi-
7 dear,) *In charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute DEI* (cujus gratiæ omnia tribuimus, nihil noſtro robori,) *per arma juſtitiæ à dextris* (ne vincamur bonis apparentibus) *& à ſiniſtris,*(ne ſuccumbamus malis apparentibus.)

8 Deniqve varietatem ſortis & judiciorum attexit: *Per gloriam & ignominiam* (nos DEI miniſtros exhibemus,ignominia affecti à Satana & mundo; gloria à DEO, ſanctis Angelis & hominibus.) *per infamiam & bonam famam,ut ſeductores*

&

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

& veraces, (ſeductores mundo perverſo, veraces fidelibus & e- 9
lectis.) *ſicut qvi ignoti* (mundo,) *& cogniti* (DEO & ſanctis,)
qvaſi morientes (oculis hominum,) *& ecce vivimus*, (DEO
nos conſervante:) *ut caſtigati, & non mortificati*, (Pſal. 118, 10
17.18) *qvaſi triſtes* (ſecundum carnem,) *ſemper autem gau-
dentes*, (ſecundum ſpiritum:) *ſicut egentes* (bonorum hujus ſe-
culi,) *multos autem locupletantes*, (bonis alterius ſeculi, ſæpe
etiam hujus, qvandoqvidem & illius promiſsiones habet pietas,
Pſal. 112, 1.2.) *tanqvam nihil habentes*, (pro more hominum
hujus ſeculi,) *& omnia poſsidentes*, (corporalia ad neceſſita-
tem, ſpiritualia ad jucunditatem. Eraſmus: Sic totus hic ſermo per
contraria, per membra, per comparia, per ſimiliter deſinentia, per
ἀναδιπλώσεις, aliáq; id genus ſchemata variatur, volvitur ac rotatur,
ut nihil eſſe poſſit nec venuſtius, nec ardentius. Auguſtinus eum ad-
ducens lib. 4. de doctrinâ Chriſt. cap. 20. Magna res eſt, inqvit, & gran-
diter agitur, nec deſunt ornamenta dicendi.)

Concluſione excuſat hanc de ſe & collegis narrationem, e-
jusq; uſum ad Corinthios accommodat, ut nempê ſimiliter gratiâ
DEI utantur. *Os noſtrum patet ad vos ô Corinthii*, (pleno 11
ore vitæ noſtræ curſum eloqvimur) *cor noſtrum dilatatum eſt*
(gaudiô ſpiritûs, Eſa. 60, 5) *Non anguſtiamini* (στενοχωρεῖσθε, an- 12
guſtias patiamini) *in nobis*, (tanqvam infenſis, aut minus rectê de
veſtra Eccleſia ſentientibus,) *anguſtiamini autem in viſceri-
bus veſtris*, (qvisqve in ſuo corde & viſceribus, de ſeipſo & propter
ſeipſum anguſtias ſentiat, ſi malè ſibi eſt conſcius) *Eandem au-* 13
tem habentes (Theophyl. ſupplet voce εἰσενεγκάτε, adferte re-
tributionem. Græcè: τὴν δ' αὐτὴν ἀντιμισθίαν i. e. ſecundum eandem
compenſationem) *remunerationem, tanqvam filiis dico,
dilatamini & vos.* (Rependite eandem vicem nobis, tanqvam

filii patribus, & viciſſim, qvàm efficax in vobis ſit gratia eadem DEI, oſtendite, ut haud degeneres vos talium genitorum filios eſſe appareat.)

Secundum exhortationis generalioris membrum Propoſitione & Confirmatione abſolvitur.

14 Propoſitio plana eſt: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, i.e. nolite jugô copulari, & ſocietatem vitæ aut laboris inire cum infidelibus, ſicut faciunt, qvi cum ipſis in idoléo cubant, & Dæmoniorum menſis accumbunt. Suprà 1. Cor. 8, 10.

Confirmatio fit à contrariorum inter ſe collatione, & roboratur ipſius DEI vocibus in Moſe & Prophetis, hôc modô:

Juſtitiæ cum injuſtitiâ, luci cum tenebris, Chriſto cum Diabolo, fideli cum infideli, templo veri DEI cum idolis, nihil debet eſſe commercii. Corinthii, omnesq; adeò fideles ſunt templum DEI, juſtificati, Chriſtiani, DEI filii & filiæ. Ergò nihil illis ſit commercii cum infidelibus.

15 Major contentione interrogatoriâ exprimitur. *Qvæ enim
participatio* (inqvit) *juſtitiæ cum iniqvitate? aut qvæ
ſocietas luci ad tenebras?* (contrariorum enim unum expel-
lit alterum.) *Qvæ autem conventio Chriſti ad Belial?*
16 (Diabolum?) *aut qvæ pars fideli cum infideli? Qvis au-
tem conſenſus templo DEI cum idolis?* (Qvàm indignum
ſit, templum DEI idolis pollui, tota Scriptura loqvitur.)

Minor asſeritur è Scripturis, dignitatem populi DEI teſtificantibus. *Vos enim eſtis templum DEI vivi, ſicut dicit DEUS* (Levit. 26, 22.) *Qvoniam inhabitabo in illis, & inambulabo. Et ero illorum DEUS, & ipſi erunt mihi populus*, (Ezechiel. 37. 23. 27. Ubi autem DEUS habitat & ambulat, ibi eſt templum DEI, ibi lex, juſtitia, fides.)

Concluſio verbis Scripturæ veteris enunciatur. Nam pro eo, qvod dicere potuisſet, Ergò nolite communicare cum infidelibus,

ex Eſaiâ cap. 52, 11. Jerem. 31, 1. 9. Hoſ. 1, 10. ait: *Propter qvod* 17
exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus:
& immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos. Et 18
ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios & fi-
lias, dicit Dominus omnipotens. (Nam qvi idolis, h. e. dæ-
moniis ſe aſſociant, deficiunt à DEO patre ſuo, ideoq; pro filiis ejus
& filiabus haberi neqveunt. Deut. 32, 19. 20. Eſaiæ 1, 2. 4.)

CAPUT SEPTIMUM.

TErtium Exhortationis generalioris membrum ſingulari artificiô tractat Apoſtolus, ſtabiliens illud à ſuo exemplo, & ipſorum Corinthiorum obedientiâ nuperâ. Cùm enim antè copioſiùs de ſuis rectè factis dixiſſet, nunc etiam Corinthios laudat, qvòd Tito ſe valdè probârint; & ſic abſolvit Exhortationem generalem, qvâ uſum gratiæ DEI in veræ ſanctitatis ſtudiô continuandum edocuit.

Propoſitio perſpicua tranſitionem incluſam habens, ipſum 1
hujus capitis initium occupat: *Has ergò habentes promiſ-*
ſiones, chariſſimi, mundemus nos ab omni inqvina-
mento carnis & Spiritûs, (ne vel corpus, vel mentem ullâ re
nefariâ polluamus,) *perficientes ſanctificationem* (gratiâ
DEI inchoatam,) *in timore DEI.*

Confirmatio robur addit exhortationi ex integritate Apoſtoli, & fiduciâ ejus conceptâ de Corinthiis.

Qvi enim integer eſt vitæ, ſceleriſq; purus, is meritò audien-
dus & imitandus. Talem ſe eſſe, ac Timotheum, indicat: *Capite*
nos. Neminem læſimus, neminem corrupimus, nemi- 2
nem circumvenimus; putà ſicut Pſeudapoſtoli faciunt, qvi-
busdam veſtrûm nimiùm grati. Itaqve nos audiendi, noſtra inte-
gritas æmulanda eſt.

Deinde eandem exhortationem uberiùs firmat, ex ſuâ de Co-

rinthiis hauſtâ fiduciâ. Nam ne putarent, Apoſtolum ſe ideò à vitiis immunem prædicare, qvod ipſos iisdem obnoxios exiſtimaret, ſubtexit narrationem, qvâ contrà ſe ſperare ac ſentire demonſtrat, ideóq; meritò urgere, ut inchoatam ſanctificationem peragant, & porrò ab omni corporis ac Spiritûs inqvinamento ſe abſtineant. Nam qvi benè cæpit, jure dat operam, ut benè pergat imposterum. Hoc argumentum, qvia fuſiùs exponitur, in ſuas partes reſolvendum eſt.

Propoſitio eſt: Optimè de vobis ſentio, futurum ſcilicet, ut vos mundetis ab omni inqvinamentô, & ſanctificationem in timore DEI perficiatis. Prolepticè eam format Paulus, ſuſpiciones
3 contrarias antevertens. *Non ad condemnationē dico* (veſtrâ,)
prædixi enim, qvòd in cordibus noſtris eſtis, (ſuprà cap. 1,
6. 14. & 2, 4.) *ad commoriendum & ad convivendum.*
4 *Multa mihi fiducia eſt apud vos*, (tanqvam filios, Spiritu
per Evangelium genitos,) *multa mihi gloriatio pro vobis*
(ὑπὲρ ὑμῶν, ſuper vobis) *repletus ſum conſolatione, ſuper-*
abundo gaudio in omni tribulatione noſtrâ, ſubintellige,
ex iis, qvæ comperi de integritate & dilectione veſtrâ, ut ſubjungit
verſ. 7.

Confirmationis inſtar eſt narratio eorum, qvæ à Tito accepit de Corinthiis, tùm affectum eorum erga ſe in aliis, tùm inprimis in excommunicatione inceſtuoſi, demonſtrantia.
5 *Nam & cùm veniſſemus in Macedoniam, nullam*
reqviem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem
paſſi ſumus, foris pugnæ, intus timores, (animæ pertur-
6 bationes.) *Sed qvi conſolatur humiles, conſolatus eſt nos*
7 *DEUS in adventu Titi. Non ſolùm autem in adventu*
ejus, ſed etiam in conſolatione, qvâ conſolatus eſt in
vobis, referens nobis veſtrum deſiderium, (me videndi,)
veſtrum fletum, (de vitiis in Eccleſia repertis,) *veſtram æ-*
mu-

mulationem pro me, (contra alios ſeſe vanè inflantes, & ab illis, & iſtis Doctoribus ſeſe ambitioſè denominantes,) *ita ut magis gauderem.*

Nunc ſingulariter de causâ inceſti hominis agere incipit.

Qvoniam etſi contriſtavi vos in Epiſtola, non me pœnitet, etſi pœniteret, (ac mallem vos ſine omni triſtitiâ DEO ſervire cum gaudio poſſe, præſertim absqve tali triſtitiâ. Etiamſi igitur pœnituisſet me contriſtáſſe vos: jam non pœnitet, qvia res adeò feliciter cesſit.) 8

Videns (βλέπω, video) *enim, qvòd Epiſtola illa, etſi ad horam vos contriſtavit, nunc* (tamen) *gaudeo, non qvòd contriſtati eſtis, ſed qvia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundùm DEUM*, (DEO triſtitiam & pœnitentiam illam operante, ſecundùm voluntatem ſuam,) *ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis*, (ne opus ſit in virga ad vos venire, ſed in manſvetudine Spiritûs, 1.Cor.4,21.) 9

Qvæ enim ſecundùm DEUM triſtitia eſt, pœnitentiam (peccati) *in ſalutem ſtabilem* (ἀμεταμέλητον, non pœnitendam, cujus pœnitentiæ neminem unqvam pœnitebit,) *operatur. Seculi autem triſtitia mortem operatur.* h. e. Qvi divinô percuſſus mandatô de peccatis ſuis dolet, is converſus ad DEUM ſalutem adipiſcitur, & dolor in gaudium tranſit. At qvi mundanô more ob hujus vitæ incommoda tantùm dolet, humanasq; miſerias plangit, absqve divinæ providentiæ & benignitatis conſideratione, is mœrore iſtô mortem ſibi attrahit, Sirach 30, 22.23.24. 10

Ecce enim hoc ipſum ſecundùm DEUM contriſtari vos, qvantam in vobis operatur ſollicitudinem, (σπουδὴν, diligentiam.) *Sed* (i.e. imò) *defenſionem, ſed indignationem*, (ſuper peccatore iſtô & aliis,) *ſed timorem*, 11

(iræ

(iræ Dei,) *ſed deſiderium* (purgandi vos mihi.) *ſed zelum*,
ſed vindictam, (ſententiæ excommunicatoriæ divinam.) *In
omnibus exhibuiſtis vos incontaminatos eſſe negotiô*,
(non probáſſe illud facinus, nec ferre velle admonitos tale in cœ-
12 tu veſtrô nefas.) *Igitur etſi ſcripſi vobis, non propter
eum, qvi fecit injuriam, nec propter eum, qvi paſſus eſt*,
(non tanqvam gratificaturus huic, incommodaturus illi ſcripſi,)
*ſed ad manifeſtandam ſollicitudinem noſtram, qvam
habemus pro vobis*, (ne peccetis) *erga vos*, (tanqvam gre-
13 gem noſtrum,) *coram* DEO. *Ideò conſolati ſumus. In
conſolatione autem noſtrâ abundantius magis* (Græca
ſic habent: Διὰ τοῦτο παρακεκλήμεθα ἐπὶ τῇ παρακλήσει ὑμῶν,
περισσοτέρως δὲ μᾶλλον, i.e. Propterea conſolationem accepimus
in conſolatione veſtrâ, abundantius autem magis) *gaviſi ſu-
mus ſuper gaudio Titi, qvia refectus eſt ſpiritus ejus
14 ab omnibus vobis. Et ſi qvid apud illum de vobis glo-
riatus ſum*, (virtutes enim veſtras aliis prædico, vitia vobis-
metipſis ob oculos pono,) *non ſum confuſus. Sed ſicut
omnia vobis in veritate locuti ſumus, ita & gloriatio
noſtra* (de vobis,) *qvæ fuit ad Titum, veritas facta eſt*,
15 (ipsô expertô jam gloriationem noſtram comprobante.) *Et vi-
ſcera ejus abundantius in vobis ſunt*, (tantò ardentius vos
diligit, & in corde gerit ſuô,) *reminiſcentis omnium veſtrûm
obedientiam, qvomodo cum timore & tremore excepi-
ſtis illum*, (à me miſſum ad vos.)

Concluſio hujus argumenti Propoſitionem repetit:
16 *Gaudeo igitur, qvod in omnibus confido in vobis*, (θαῤῥῶ
ἐν ὑμῖν, fiduciam habeo de vobis, nimirum ſperans vos peracturos
ſanctificationem in timore Dei.)

CAPUT

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

CAPUT OCTAVUM.

HOc capite de liberalitate erga egenos ſanctos exercendâ agere incipit, qvæ eſt ſpecialis pars exhortationis, qvemadmodum ſupra monuimus.

Tractatio qvatuor conſtat partibus, Exordio, qvod incluſam habet propoſitionem, Confirmatione, Amplificatione & Concluſione. Exordium Apoſtoli narratione alieni facti inſinuat Corinthiis, qvid ipſis ſit agendum. Nam laudando Macedonicas Eccleſias, ſtimulum addit Achaicis, ut exemplum illarum imitentur. Conſtat narratione & accommodatione, cui inſerta eſt exhortationis
propoſitio. Narratio laudat Macedonum liberalitatem, primum à
cauſa efficiente, DEI gratia. *Notam autem facimus vobis,* 1
fratres, gratiam DEI, qvæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ. Deinde laudat à ſubjecti conditione, ſeu à cauſarum effi-
cientium, qvas proximas vocant, qvalitatibus. *Qvod in multo* 2
*experimento tribulationis abundantia gaudii ipſorum
fuit,* (qvanqvam multa tribulatione affligebantur, & explorabantur, tamen gaudium DEI vicit afflictionum triſtitiam.) *& altisſima* (ἡ κατὰ βάθους, profunda) *paupertas eorum abundavit, in divitias, ſimplicitatis eorum,* (qvanqvam profundiſſima egeſtate preſſi, tamen largiter ſimplicitatem & ſinceritatem dilectionis ſuæ demonſtrarunt erga pauperes.)
Porrò commendat beneficentiam à forma: *Qvia ſecun-* 3
dum virtutem, (δύναμιν, vires) *teſtimonium illis reddo, & ſupra virtutem* (vires) *voluntarii* (αὐθαίρετοι, ſpontanei)
fuerunt. Cum multâ exhortatione obſervantes nos, 4
gratiam & communicationem miniſterii, qvod ſit in ſanctos, ſuſcipere. (Hæc vox ſuſcipi addenda vulgatæ verſioni, qvia fons habet δέξασθαι ἡμᾶς.)
Amplificat à promptitudine ſpontanea. *Et non ſicut ſpe-* 5

 ra-

ravimus, (ad noſtram exhortationem promptos fore,) *ſed ſe-
metipſos dederunt primum Domino, deinde nobis per
voluntatem DEI*, (excitantis in eis dilectionem iſtam.)
6 Accommodat jam narrationem ad Corinthios: *Ita ut ro-
garemus Titum, ut qvemadmodum cæpit, ita & perfi-
ciat in vos etiam gratiam iſtam*, (accipiendo à vobis argen-
tum, & qvæcunqve ad ſublevationem ſanctorum contribuere pla-
cet, deferendo ad ipſos.) Propoſitio attexitur amabilis valdè: *Sed*
7 *ſicut in omnibus abundatis, fide, & ſermone & ſcientia,
& omni ſollicitudine, & charitate veſtra in nos, ut &
in hac gratia abundetis.*

Confirmat exhortationem argumentis qvinqve. Primum è ſu-
periori narratione deductum, ab exemplo robur ſumit. Aſſumptio
enim conſtat ex eo, qvod memoravit Eccleſiis Macedonicis. Major
8 diminutione figuratur h. m. *Non qvaſi imperans dico*,
(ut poteram,) *ſed per aliorum ſollicitudinem* (σπȣδῆς, dili-
gentiam) *etiam charitatis veſtræ ingenium bonum*.
(τὸ γνήσιον, ingenuitatem, ſinceritatem) *comprobans*. i. e. decet
veſtram charitatem eâdem indole eſſe, qvâ eſt Eccleſiarum Macedo-
nicarum. At illarum charitas exuberavit liberalitate erga ſanctos, ut
indicatum. Ergò decet veſtram eâdem indole eſſe, ſiqvidem γνησία
eſt.

Alterum ab exemplo JESU CHRISTI, ſic concludit: Si JE-
SUS CHRISTUS cum dives eſſet, pauper pro nobis factus eſt, ut ſuâ
inopiâ nos ditaret, fas eſt Chriſtianos divites aliqvid ſuis facultatibus
detrahere, ut fratres qvodammodo & ipſi locupletent. Antecedens
verum, adeoqve notum eſſe innuit Apoſtolus, cum inqvit: *Scitis*
9 *enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, qvoniam
propter vos egenus factus eſt* (non habens, qvo caput decli-
naret, Matth. 8, 20.) *qvum eſſet dives*, (omnia habens, poteſtati

ſuæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſuæ ſubjecta, Johan. 13, 3.) *ut illius inopiâ vos divites eſſetis,*
(in omni dono ſpirituali, 1. Cor. 1, 5.) Ergo de conſeqventi nihil dubi-
tandum.
Tertium, ab æqvo & bono, ita conformabitur: Æqvum eſt &
utile promiſſa implere, benè cæpta perficere, Corinthii cæperunt &
benè velle & facere pauperibus Ebræis. Ergo expedit hoc perficere.
Propoſitionem à ſua ſententia firmat. *Et conſilium in hoc do.* 10
Hoc enim vobis utile eſt, nimirum ne fructu exiſtimationis ve-
ſtræ, ac benedictionis divinæ privemini. Aſſumptionem ita effert:
qvi non ſolum facere, ſed velle, ſed velle (αὐθαίρετοι) *cæpi-*
ſtis ab anno priore. Concluſio ſeqvitur: *Nunc verò & facto* 11
perficite, ut qvemadmodum promptus eſt animus vo-
lendi, ita ſit & perficiendi, ex eo qvod habetis.
Qvartum argumentum ſumit à facili, hoc modo: Qvod habet
aliqvis in promptu facere, in eo non deerit æqvitati. At Corinthii
habent de abundantia ſua ſuccurrere aliorum inopiæ. Ergo non de-
erunt æqvitati. Major tanqvam planiſſima, omittitur. Minor aſſe-
ritur à natura liberalitatis. *Si enim voluntas prompta eſt, ſe-* 12
cundum id qvod habet aliqvis, accepta eſt, non ſecun-
dum id qvod non habet. Non enim ut aliis ſit remiſſio, 13
vobis autē tribulatio, (non ut alii veſtra liberalitate abundent,
vos inopiâ conflictemini.) *ſed ex æqvalitate. In præſenti* 14
tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat,
ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplemen-
tum, (ſi ita uſus & neceſsitas poſtulet.) Aſſeritur etiam teſtimoniô
ſcripturæ Moſaicæ, qvod extat Exod. 16, 18. & huc transfertur, *tan-*
qvam ad rem ſimilem. Sicut ſcriptum eſt: qvi multum 15
habuit, non abundavit, & qvi modicum, non minoravit,
οὐκ ἠλαττόνησε, non habuit minus, i. e. Sicut plus Mannæ qvàm ne-
ceſſe erat, colligenti, nihil ſupererat, & minus colligenti nihil deerat,

ſed cuiqve tantum ſuppetebat, qvantum erat divinitus præſcriptum: Ita etiamnum, cui plus obtingit divinæ benedictionis ex bonis hujus ſeculi, ne ſtudeat ſuperfluitati, ſed alterius ſuppleat inopiam. Et cui minus obtigit, ne dubitet aut deſperet de neceſſaria ſuſtentatione. Id enim olim exemplo Mannæ adumbratum fuit Iſraëlitis.

Deniqve à decoro argumentatur in hanc ſententiam. Decet viris autoritate & officio conſpicuis probare ſuam dilectionem. Ad Corinthios veniunt Titus, & alii officio & autoritate præſtantes viri, contributionem in pauperes accepturi. Ergo illis probanda dilectio. Concluſio hæc verſ. 24. perſpicuè ponitur. In aſſumptione probanda laborat Apoſtolus, commendans primò Titum, deinde alium ejus collegam, deniqve fratrem qvendam ſuum. Et ſic omnium illorum eminentiam pariter Corinthiis expendendam proponit verſ. 23.

16 De Tito ſic ait: *Gratia autem DEO, qvi dedit eandem ſollicitudinem pro vobis, in corde Titi.* (Dum DEUM
autorem facit hujus legationis, tanto fortius urget decorum, ne irri-
17 tum faciant opus divinum.) *Qvoniam exhortationem qvidem ſuſcepit* (noſtram ſupra verſ. 7.) *Sed cum ſollicitior eſſet* (σπουδαιότερος, diligentior,) *ſua voluntate* (Græce αὐθαίρετος, voluntarius) *exivit ad vos.*

Alterum fratrem ſubſcriptio teſtatur fuiſſe Lucam Evangelio-
18 graphum. *Miſimus autem cum ipſo fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias,* (ſcripto ad certitudi-
19 nem cujusvis DEI amantis, Luc. 1, 4.) *Non ſolum autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ,* (ut patet de Luca, qvi ſe cum Paulo eodem tempore peregrinatum narrat, qvando hæc Epiſtola data eſt, Act. 20, 5. 6.) *in gratiam hanc* (σὺν τῇ χάριτι ταύτῃ, cum gratia hac) *qvæ miniſtratur à nobis, ad Domini gloriam, & deſtinatam voluntatem veſtram,* (προθυμίαν ὑμῶν, promptitudinem veſtram, nimirum ut eam promoveat nobiscum.)

Fuit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Fuit enim Lucas ex Antiochia Syriæ, haud dubiè eâ de çausâ
adjunctus Paulo Eccleſiarum Syriacarum ſuffragiis, ut & prædica-
tionem Evangelii, & contributionem eleëmoſynarum, pro ſibi
datâ gratiâ, adjuvaret. Idq; Paulus fieri voluit, ſicut indicat:
Devitantes hoc, ne qvis nos vituperet in hac plenitu- 20
dine, (Græcè ἁδρότητι, exuberantia, perfectione, qvæ miniſtratur
à nobis, hoc eſt, ne qvis noſtro nos conſilio ac lucro velificari qvis
criminetur, ideò aliqvem ab Eccleſiis deſignatum comitem habe-
mus, qvi collectis præſit nobiſcum.) *Providemus* (enim redun- 21
dat, Græcè προνοούμενοι providentes) *bona, non ſolùm coram*
DEO, (ut illibatâ ſimus conſcientiâ,) *ſed etiam coram ho-*
minibus, (ne ſuſpicandi aut obtrectandi anſam cuiqvam præ-
beamus.)

Tertium Titi Comitem Gloſſa vult eſſe Apollo, ſed eum ul-
timô locô non poſuiſſet, nec circumſcriptione deſignâſſet, qvip-
pe Corinthiis notiſſimum. Fuit igitur aut Trophimus Epheſius,
aut Ariſtarchus Theſſalonicenſis, qvi Paulo fidi comites fuére, aut
alius qvidam Judæus vel proſelytus. Ait enim: *Miſimus autem* 22
cum illis & fratrem noſtrum, qvem probavimus in
multis (ἐν πολλοῖς πολλάκις, in multis multifariàm) *ſæpè ſol-*
licitum eſſe, (σπουδαῖον, bonum, diligentem,) *nunc autem*
multò diligentiorem, confidentiâ multâ in vos.

Sive pro Tito, (ſubintellige, oſtenditis dilectionem,) *ſo-* 23
cius eſt meus & adjutor, (εἰς ὑμᾶς, in vos, deeſt Latinæ ver-
ſioni) *ſive fratres noſtri* (ſpectantur,) *Apoſtoli Eccleſia-*
rum, (Lucas nimirum & Collega ejus,) *gloria Chriſti*, qvam
ſcilicet Lucas Evangeliô ſuô celebravit.

Oſtenſionem ergò, qvæ eſt charitatis veſtræ, & no- 24
ſtræ gloriæ, (gloriationis, καυχήσεως) *pro vobis, in illos*
oſtendite (καὶ, etiam) *in facie Eccleſiarum*, (in perſonâ Ec-

cleſiarum, à qvibus ſunt miſſi, nempe ut videant veſtra bona opera, & glorificent Patrem in cœlis, Matth. 5, 16.

CAPUT NONUM.

AMplificatur hôc capite, qvod præcedente ſvaſit Apoſtolus, & inprimis larga & munifica contributio ſvadetur.

Partes qvatuor ſunt, Exordium, Propoſitio, Confirmatio & Concluſio.

1. Exordium benevolentiæ & docilitati aptum, præteritione figuratur. Tanqvam enim de re nota, & ſatis per ſe accepta, paucis ſe acturum ſignificat, qvandoqvidem ipſi Corinthii ſponte faciant, qvod velit.

1 *Nam de miniſterio* (eleëmoſynarum,) *qvod ſit in ſan-*
2 *ctos, ex abundanti eſt mihi ſcribere vobis. Scio enim*
promptum animum veſtrum, pro qvo de vobis glorior
apud Macedones, (dicens:) *qvoniam & Achaia parata*
eſt ab anno præterito: & veſtra (ὁ ἐξ ὑμῶν, ex vobis orta,)
æmulatio provocavit plurimos.

2. Propoſitio narrationi cuidam includitur, qvâ ſignificat ſe largam & promptam à Corinthiis Collectam exſpectare, qvandoqvidem hôc fine ablegârit Titum, Lucam & Tertium fratrem, ut
3 parent benedictionem eorum. *Miſi autem fratres, ut ne,*
qvod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, ut,
4 *qvemadmodum dixi, parati ſitis. Ne cùm venerint*
Macedones mecum, & invenerint vos imparatos, eru-
beſcamus nos, ut non dicam vos (ταπείνωσις ἢ λιτότης) *in*
hac ſubſtantia gloriationis. (Rectiùs verteris, in hac fiducia. Eſt enim ὑποστῆναι & ὑφίστασθαι non tantùm exſtare & ſubſiſtere; verùm qvoqve ſtatuere, & ſic menti tanqvam exſtantia & ſubſiſtentia repræſentare ſignificat. Conferatur cap. 11, 17. Hebr.
5 13, 14. & 11, 1.) *Neceſſarium ergò exiſtimavi rogare fra-*
tres,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

tres, ut præveniant ad vos, & præparent re promiſſam
benedictionem veſtram, hanc paratam eſſe, ſic qvaſi be-
nedictionem, & non tanqvam avaritiam. Hæc diſerta Pro-
poſitio eſt: Parata ſit contributio veſtra, larga tanqvam benedi-
ctio, non parca & avara.

3. Confirmatio fit argumentô duplici: Unum à commodo re-
dundante ad largientes, alterum à gloria DEI petitum.

Prius ſic habet: Qvod largam DEI benedictionem affert, illud
largiter faciendum. Larga eleëmoſyna largam affert benedictio-
nem. Ergò largiter donanda. Minor firmatur & illuſtratur ſimili-
tudine ſationis. *Hoc autem dico, qvi parcè ſeminat, par-* 6
cè & metet: & qvi ſeminat in benedictionibus (in gratiis
erga DEUM, tùm ſuis, tùm aliorum,) *de benedictionibus &*
metet, (ſic metet, ut ipſe & alii largiter benedicant DEO.)

Deinde firmatur à voluntate, ſpontaneum & hilarem cultum
reqvirentis.

Unusqvisq; prout deſtinavit in corde ſuô: non ex 7
triſtitiâ, aut ex neceſſitate. Hilarem enim datorem
diligit DEUS, (qvod patet è ſacrificiis, Deut.26,14. & decimis,
Eccleſiaſtici cap.35,11. Rom.12,8.)

Concluſionis locô ponit ſpem ſuam de divinâ Corinthiorum
inclinatione ad implendum deſiderium ſuum, & dictô Pſalm.112,9.
eam roborat. *Potens eſt autem DEUS omnem gratiam* 8
abundare facere in vobis, ut in omnibus ſemper omnem
ſufficientiam (αὐτάρκειαν) *habentes,* (bonis præſentibus ac-
qvieſcentes,) *abundetis in omne opus bonum,* h. e. DEUS po-
teſt efficere, ut opulenter ſuccurratis ſanctis, per gratiæ ſuæ ple-
nitudinem. *Sicut ſcriptum eſt, diſperſit, dedit pauperi-* 9
bus, juſtitia ejus manet in æternum. Habet enim miſeri-
cordia hæc promiſſiones hujus & venturi ſeculi.

Poſterius à conſeqventi DEI gloriâ ſumptum, hôc modô for-
mare

mare licebit: Qvicqvid redundat ad DEI gloriam, id abundanter faciundum. At hilariter ſubvenire pauperibus ſanctis, redundat ad DEI gloriam. Ergò abundanter ſubveniendum.

Propoſitionem efficit acceptabiliorem Apoſtolus, commemorando DEI bonitatem, qvi ſemen, cibum, & omnia ſuppeditat hominibus, ideoq; honori ejus tantò ardentius incumbendum.

10 *Qvi autem miniſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum praſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ.* (Juſtitia eſt DEO omnia largienti reddere, qvod exigit pauperibus ſuô nomine donandum.)

Qvi igitur ſeminanti dat naturale, is etiam panem corporeum ſubminiſtrat, & myſticum ſemen liberalitatis, ut inde meti

11 poſſit optima meſſis benedictionum ejus.) *Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem, qvæ operatur per nos gratiarum actionem DEO,* ut ſcilicet nos & alii gratias agamus de vobis DEO, hæc in vobis pro gratiâ ſuâ operanti, ut detis ſimplici mente, dexterâ ignorante, qvid faciat ſiniſtra, Matth. 6, 3.

12 Minor affirmatur his verbis: *Qvoniam miniſterium hujus officii,* (τῆς λειτουργίας ταύτης, ſacri officii, & velut ſacrificii,) *non tantùm ſupplet ea, qvæ deſunt ſanctis, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Dominô,* (τῷ Θεῷ, DEO.)

Roboratur à causâ hujus liberalitatis, qvæ ex hoc effectu cognoſcitur ab omnibus, nempe Confeſſio Evangelii CHRISTI.

13 *Per probationem miniſterii hujus glorificantes* (ſunt) *DEUM, in obedientia confeſſionis veſtræ in Evangeliô Chriſti, & ſimplicitate communicationis in illos, & in omnes,* (qvos nunqvam viſos, propter ejusdem confeſſiones

14 Evangelii, diligitis, & de facultatibus veſtris juvatis.) *Et in ipſo-*

rum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

rum obſecratione pro vobis, (ſubintellige, glorificatur DEUS, & abundat hoc ſervitium) *deſiderantium vos* (ad communionem cœleſtis gaudii,) *propter eminentem gratiam DEI in vobis.*

Epilogus doxologiâ finit hunc tractatum: *Gratias ago DEO* (χάρις δὲ τῷ Θεῷ, gratia autem DEO) *pro inenarrabili donô ſuô.* 15

CONFUTATIO.

QVarta Epiſtolæ pars refellit crimina, ab hypocritis Doctoribus adſperſa Apoſtolo, eaq́; in ipſos adverſarios retorqvet.

Membra ejus tria ſunt, ſecundùm numerum criminum, falsò objectorum DEI viro.

Primum erat: Paulus præſens humilis eſt ac timidus, abſens verò confidens & ſuperbus, adeóq; ſecundùm carnem ambulat.

Alterum: Paulus ſermone idiota eſt, nec audet ſtipendium accipere ab auditoribus, cap. 11, 1. &c.

Tertium: Paulus dolô emunxit argentô Corinthios, cap. 12, 16.

CAPUT DECIMUM.

CApite decimô primum ἔγκλημα diluit, cujus partes duæ ſunt, Confutatio & Retorſio criminis.

Crimen ipſum cùm ſimplici negatione refellere habuiſſet, artificiô utitur, provocans occultè ad experientiam, qvam tamen in Corinthiis probare non cupiat. Qvare in ipſo ſermonis exordiô percellit adverſarios, optando & rogando, ut caveant ſibi, ne contrarium cogantur experiri, qvàm falsò de Paulo ſentiunt.

Tractationem reſolvo in partes tres, ſcilicet Propoſitionem Adverſariorum, Confutationem ejus & Concluſionem.

Propoſitionis adverſæ negativam non diſertè ponit, ſed petitione inſinuat, ne tàm verbis hoc, qvàm factis ſe uti comperiant.

Ipſe autem ego Paulus obſecro vos, per manſvetudinem & modeſtiam (ἐπιείκειαν) *Chriſti, qvi in facie qvi-* 1

dem humilis ſum inter vos, abſens autem confido in
2 *vobis*, (εἰς ὑμᾶς, erga vos, ut ajunt obtrectatores mei.) *Rogo*
autem, ne præſens audeam per eam confidentiam, qvâ
exiſtimor audere in qvosdam, (qvos vel Satanæ tradidi ab-
ſens, vel me in virga viſitaturum comminatus ſum,) *qvi arbi-*
trantur nos tanqvam ſecundùm carnem ambulemus,
(nimirum plus nobis arrogando, qvàm ſumus.)

Confutat crimen 1. à proprietate & virtute ſui officii. Deinde à comparatione ſui & Adverſariorum.

Primum ſic habet: Qvi potentisſima habet arma Dei, non carnalia, ſed ſpiritualia, is non eſt judicandus ſimulare virtutem & confidentiam, ſed habere, qvanqvam carne humilis appareat. Paulus & alii Apoſtoli potentisſima habent arma Dei. Ergò Paulus non ſimulat confidentiam, aut fiduciam vindicandi per Spiritum Sanctum Corinthiorum inobedientiam: Asſumptum pronunciat
3 & firmat. Pronunciat his verbis: *In carne enim ambulantes*,
(veſtiti corpore carneô & humili,) *non ſecundùm carnem*
4 *militamus. Nam arma noſtræ militiæ non ſunt carna-*
lia, ſed potentia DEO. Firmat ab effectis: *Ad deſtructio-*
nem munitionum, (qvibus munivit Satanas palatia & posſeſ-
ſiones ſuas, Luc. 11, 21.) *conſilia deſtruentes*, (λογισμοὺς, ratio-
cinationes Satanæ & mundi hujus, qvibus obluctantur Chriſto.)
5 *Et omnem altitudinem, extollentem ſe adverſus ſcien-*
tiam DEI, (perſvaſionem ſapientiæ, juſtitiæ, prudentiæ, faſtum
vitæ,) *& in captivitatem redigentes omnem intellectum*
in obſeqvium Chriſti, (ne intellectus humanus, qvantumvis ſublimia ſapiens, opponat ſe Chriſti verbo, ſed humiliter ei tanqvàm captivus obſeqvatur. Multò autem facilius eſt corpus cujusqvam expugnare, & captivum reddere, qvàm intellectum, ac proinde

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

inde potentior vis noſtra, qvàm carnalis militiæ.) *Et in promptu* 6
habentes ulciſci omnem inobedientiam, (precibus, excom-
municatione, cenſuris ſpiritualibus,) *qvum impleta fuerit*
veſtra obedientia, (qvi non contumaciter Evangelio obluctamini. In proclivi eſt nobis contumaces & obſtinatos hoſtes Satanæ tradere.)

Alterum ait ita: Qvi nullo Adverſariorum inferior eſt, ſed major multis modis, is non habendus ſimulare qvicqvam, ut illis major videatur, & ſic juxta carnem ambulare. Paulus nullo adverſariorum minor, ſed omnibus illis major. Ergò nihil propter illos ſimulare putandus.

Minor bimembris eſt: Parem ſe eſſe obtrectatoribus, nec
ipſos negare poſſe innuit. *Qvæ ſecundùm faciem ſunt, vi-* 7
dete, ſcil. qvæ cuilibet plana ſunt, omnium oculis expoſita. *Si
qvis confidit ſibi ſe Chriſti eſſe*, (miniſtrum) *hoc cogitet
iterum* (vicisſim) *apud ſe, qvia ſicut ipſe Chriſti eſt, ita
& nos Chriſti ſumus.*

Majorem ſe eſſe illis præteritione inſinuat, & diminutione,
vitandæ ſuperbiæ causâ. *Nam ſi & ampliùs aliqvid gloria-* 8
*tus fuero de poteſtate noſtrâ, qvam dedit nobis Domi-
nus*, (abundantiorem qvàm aliis, non Apoſtolis,) *in ædificatio-
nem, non in deſtructionem veſtram*, (ex antecedenti vo-
luntate ſuâ, qvâ omnium ſalutem vult, Johan. 3, 17. & 12, 47.)
non erubeſcam. Ut autem non exiſtimer tanqvam ter- 9
rere vos per Epiſtolas, ſubintellige, nolo gloriari ampliùs.
Qvoniam qvidem epiſtolæ, inqviunt, graves ſunt & 10
*fortes, præſentia autem corporis infirma, & ſermo con-
temptibilis.*

Concluſio opponit aſſertionem contrariam. *Hoc cogitet,* 11

qvi ejusmodi eſt, qvia qvales ſumus verbo per epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto.

II. Retorſio ſuperbiæ conſtat comparatione Apoſtoli & æmulorum ejus, & finitur Epiphonemate ſententioſô geminô. Comparationem ita disponit, ut per ἀποδίωξιν indignos declaret æmulos, qvibus ſe conferre velit, utpote ſeipſos commendantibus, ſeq; non ex divinô canone, ſed ſuopte ingenio æſtimantibus, qvalia ipſe procul habeat.

Naſcitur hinc argumentatio ejusmodi: Non is ſimulat confidentiam, aut ambulat ſecundùm carnem, qvi ſe divinô canone metitur, ſed is, qvi ſemetipſum commendat, & ſuo ſe ingenio æſtimat. Paulus divino ſe canone metitur, æmuli ipſius ſemetipſos laudant, inq; ſe ipſis ſe metiuntur. Ergò non Paulus, ſed ipſi ſecundùm carnem ambulant.

12 Aſſumptum ita eloqvitur: *Non enim audemus inſerere aut comparare* (συγκρῖναι, conſerere) *nos qvibusdam, qvi ſeipſos commendant, ſed ipſi in vobis nosmetipſos metientes, & comparantes nosmetipſos nobis.* (Sphalma vulgatæ verſionis grande. Fons ita fluit: ἀλλὰ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετροῦντες, καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς, οὐ συνιοῦσιν. h. e. ipſi in ſeipſis ſemetipſos metientes, & comparantes ſibimet ſeipſos, non intelligunt. Nam certè qvi nullô adhibitô Canone, ſuopte judicio ſe æſtimat, ſeq; ipſum ſibi, non aliis comparat, ſtultus eſt, nihilq; intelligit. Tales erant obtrectatores Pauli.) Jam de ſe ait:

13 *Nos autem non in immenſum gloriabimur.* (Græcè εἰς τὰ ἄμετρα, hoc eſt, in modô menſuráq; carentibus, ſicut illi, qvi absq; canone qvidvis ſibimetipſis arrogant:) *Sed ſecundùm menſuram regulæ, qvâ menſus* (ἐμέρισεν, partitus) *eſt nobis Deus menſuram pertingendi* (ἄχρι καὶ, etiam usqve) *ad vos.*

14 *Non enim qvaſi non pertingentes ad vos, ſuperextendimus nos:* (qvòd eſſet ἀμέτρως, καὶ εἰς τὰ ἄμετρα καυχᾶσθαι.) *usqve ad vos enim etiam pervenimus in Evangelio*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Chriſti. Non in immenſum gloriantes in alienis labo- 15
ribus, (qvaſi tribuentes nobis, qvod non eſt admenſus nobis DEUS,
qvi unicuiqve diſtribuit qvantum vult, & proinde ſecundum ſuum
Canonem qvemqve vult judicare de ſeipſo, non ſecundum ἄμετρον
proprii judicii amuſſim, qvâ nihil incertius.) *Spem autem haben-*
tes creſcentis fidei veſtræ, (αὐξανομένης τῆς πίστεως ὑμῶν, re-
ctiùs h. l. interpreteris, creſcente fide veſtrâ) *magnificari ſecun-*
dum regulam noſtram, (qvâ DEUS nobis admetitur, qvâqve
nos metimur nosmetipſos) *in abundantiam. Etiam in illa,* 16
qvæ ultrà vos ſunt Evangelizare (puta Italis, & aliis Occi-
dentalibus, prout contigit poſtea,) *non in alia* (ἀλλοτρίῳ, aliena)
regula, in iis qvæ præparata ſunt, gloriari. Sic æmuli ipſius
gloriabantur in Corinthiorum profectu, qvi tamen ab alio, ipſo ni-
mirum Paulo, Evangelium acceperant.

Concludit ſententiis: *Qvi autem gloriatur, in Domi-* 17
no glorietur, (nihil ſibi, omnia divino Canoni tribuens, non ſei-
pſum ſeipſo, ſed cœleſti regula metiens. Jerem. 9, 23. 1. Cor. 1, 31.)
Non enim qvi ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed 18
qvem Dominus commendat, (admetiendo ei donorum ſuo-
rum abundantiam.)

CAPUT UNDECIMUM.

ALterum ἔγκλημα hoc capite eluit, qvo Paulum aliqvi, tanqvam ſuæ infirmitatis ac ruditatis ſibi conſcium, à ſtipendii acceptione abſtinere cavillabantur. Hanc aſperginem graviter expurgat, ſuamq; dignitatem maſcule adſtruit, devitatâ tamen omni arrogantiæ ſpecie.

Tractatio extenditur ad capitis ſeqventis verſum decimum ſextum, & conſtat qvinqve membris, Exordio, Propoſitione, Confutatione, Amplificatione, Concluſione.

Exordium attentioni comparatum & benevolentiæ eſt, Initio

ſtatim ταπείνωσιν habet ſingularem cum correctione: & deinde o-
ſtendit neceſſitatem & fructum ſcriptionis ſeqventis.
1 *Utinam ſuſtineretis modicum qvid inſipientiæ meæ!*
(ὄφελον ἀνείχεσθέ μου μικρόν τι τῇ ἀφροσύνῃ, utinam ſufferatis me
pauliſper in inſipientia, ſcil. qvâ laborare videbor æmulis, qvod pro-
prias laudes denarrare cogor.) *Sed & ſupportate* (ἀνέχεσθε, re-
2 ctius, ſuſtinetis) *me. Æmulor enim vos* DEI *æmulatione*
(ζηλῶ ὑμᾶς, Ambio vos DEI Zelotypia.) *Deſpondi enim vos
cum viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* (tanqvam
paranymphus & amicus ſponſi, qvi meritò percellitur zelo, ſi qvis
3 corrumpere ſponſam ſatagat.) *Timeo autem, ne ſicut ſerpens
Hevam ſeduxit aſtutiâ ſuâ,* (Gen. 3, 1. 2. 3.) *ita corrumpan-
tur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate qvæ eſt in
Chriſto* (εἰς τὸν Χριστόν, erga CHRISTUM, malis ſcil. Doctoribus
verbo DEI fermentum ſuum miſcentibus.)

Propoſitio eſt objectioni oppoſita: Sim idiota ſermone, ſicut
æmuli cavillantur, ac ſtipendium nullum acceperim, attamen ſcien-
tiâ & donis DEI illis polleo, ut nemo qvicqvam in officio meo ha-
beat reprehendere. Hanc aliis qvidem verbis ediſſerit Apoſtolus, ſed
4 qvorum ſententia huc redit. *Nam* (inqvit) *ſi is qvi venit, a-
lium Jeſum prædicat* (verum) *qvem non prædicavimus,
aut alium ſpiritum* (ſanctum) *accipitis, qvem non accepi-
ſtis, aut aliud Evangeliū* (verum & ſalutare prædicat,) *qvod
non recepiſtis, rectè patere mini.* (Rectè illos præferentes
mihi, à qvo verum JESUM, & perfectum ſpiritum non haberetis.)
5 *Exiſtimo enim, me nihil minus feciſſe* (ὑστερηκέναι, defeciſſe,
inferiorem fuiſſe) *à magnis Apoſtolis.* (Duodecim illis, qvi e-
minentiores ſunt Apoſtoli, qvàm alii poſt eos deſignati, & emiſſi in
mundum.) *Nam etſi imperitus* (ἰδιώτης, idiota, rudis) *ſermo-
ne,* (ut cavillantur detrectatores) *ſed non ſcientia.* (Tàm novi
Chri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Chriſtum, qvàm qvisqvam τῶν ὑπὲρ λίαν Αποςόλων. Ideóqve illi alium vobis prædicare nec poſſunt,nec debent,multò minus Pſeudapoſtoli.)

Confutatio bimembris eſt. Primùm confutat ruditatem ſermonis. Deinde recuſationem ſtipendii,tanqvam peccati indicium. Ruditatem ſermonis ſi vel maximè concedat,nihil inde confici declarat criminis,dummodo ſcientia polleat Apoſtolica. Ubi provocat
ad experientiam Corinthiorum, cum inqvit: *In omnibus autem* 6
manifeſtati ſumus vobis,(ἐν παντὶ,omninò,q.d. Tàm in verbo, qvàm cognitione qvi & qvales ſimus, in omni re apud vos patuit. Veſtrum appello teſtimonium.)

Recuſationem ſtipendii pro crimine objectam ſibi, allatis cauſis pro laude imputandam docet. Nec enim ſeqvitur: Non accepiſti ſtipendium. Ergo malè tibi conſcius es. Refellit primùm à cauſa
triplici. Deinde inſtantiam novam prolepticè diluit. *Aut nun-* 7
qvid (An) *peccatum feci,meipſum humilians, ut vos exaltemini,qvoniam gratis Evangelium DEI evangelizavi vobis?* Hinc argumentum: Qvâre qvis ſemet humiliat, ut alios exaltet,eâ non peccat. Paulus gratis annunciando Evangelium ſe humiliavit, demonſtrans ſe obſtrictum eſſe huic ſervitio, propter gloriam JESU CHRISTI, etſi nihil inde mercedis caperet; & Corinthios exaltavit,oſtendendo, qvanti eorum animas faceret ipſe & Chriſtus. Ergo peccatum nullum commiſit.

Secundum argumentum: Qvi nemini moleſtiam exhibet, & egens mavult ab aliis accipere,qvàm moleſtiam faceſſere illi, cui ulla ratione ſe incommodare poſſe putat,is in eo nihil delinqvit. Paulus hoc pacto ſtipendium recuſavit. Ergo in eo nihil deliqvit.

Alias Eccleſias exſpoliavi (exſpoliare viſus ſum, qvia ege- 8
bant) *accipiens ſtipendium, ad miniſterium veſtrum. Et qvum eſſem apud vos, & egerem,nulli oneroſus fui.*
Nam qvod mihi deerat, ſuppleverunt fratres,qvi ve- 9
nerunt à Macedonia,& in omnibus ſine onere me vobis ſervavi, & ſervabo.

Ter-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Tertium: Qvod parit gloriam ſingularem, id peccatum non
eſt. Paulum recuſare Stipendium apud Achæos, parit illi gloriam
10 ſingularem. Ergo non eſt peccatum. *Eſt veritas Chriſti in
me,* (ut eſt) *qvoniam hæc gloriatio non infringetur*
(φραγήσεται, obſtructur, ἐις ἐμὲ, adverſum me) *in regionibus
Achaiæ.*

Inſtantia. Ergo non amas nos, à qvibus non dignaris accipere
qvicqvam? Negat conſeqventiam, interpoſitó jurejurando. Et cau-
11 ſam veram longè aliam eſſe demonſtrat. *Qvare? qvia non
12 diligo vos? DEUS ſcit,* (qvàm vos diligam.) *Qvod autem
facio, & faciam, ut amputem occaſionem eorum, qvi
volunt occaſionem, ut in qvo glorientur, inveniantur,
13 ſicut & nos. Nam ejusmodi Pſeudapoſtoli ſunt operarii
ſubdoli,* (lucrum ſuum, non qvæ Chriſti ſunt qværentes,) *transfi-
14 gurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et non mirum. Ipſe
15 enim Satanas transfigurat ſe in angelum lucis. Non eſt
ergo magnum, ſi miniſtri ejus transfigurentur velut mi-
niſtri juſtitiæ.* (Si ſatanas omnium peſſimus mentiri ſe poteſt an-
gelum lucis, multò facilius illi, qvi ſunt minus mali, transfigurabunt
ſe in miniſtros juſtitiæ, cum occultè habeant venenum fraudis & in-
juſtitiæ. Illis ergo ut larvam detraham, gratis in Achaia doceo.
Qvorum finis erit ſecundum opera ipſorum. Nam qvales
ſint, exitus eorum aperiet. Phil. 3, 19. 2. Timoth. 3, 9. 2. Petr. 2, 3. &c.)

Amplificat nunc qvæ dixit, digrediendo in ſui miniſterii commendationem, ut Pſeudapoſtolorum autoritatem elevet. Anteqvam eò perveniat rationem reddit novo proœmio, cur tàm mirabili apud Corinthios oratione utatur. Conſtat ergo præfatione, narratione, peroratione.

Præfatione purgat orationem à ſuſpicione ſtultitiæ, & ironicè perſtringit Corinthiorum vanitatem, ſuſpicientium turgidos Pſeudapoſtolos, Paulum verò humilem & modeſtum contemni ferentium.

Ite-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Iterum dico, ut ſuprà verſ.2.3. *ne qvis putet inſipien-* 16
tem me eſſe. Alioqvin(συγχώρησις eſt)*velut inſipientem*
accipite me, ut & ego modicum qvid glorier. Qvid lo- 17
qvor, non loqvor ſecundum Dominum, (ſcilicet, ut me ve-
lut inſipientem ſuſcipiatis,) *ſed qvaſi in inſipientia, in hâc*
ſubſtantiâ (ὑποστάσει, fiduciâ) *gloriationis. Qvoniam*, 18
multi gloriantur ſecundùm carnem, & ego gloriabor,
(qvanqvam non ſecundùm carnem.) *Libenter enim ſuffertis* 19
inſipientes, qvum ſitis ipſi ſapientes, (veſtro judicio. So-
lent enim ſapientes facilè ferre ſtultos.)
Suſtinetis enim, ſi qvis vos in ſervitutem redigit, 20
ſi qvis devorat, ſi qvis accipit, (δωροφάγος,) *ſi qvis ex-*
tollitur, ſi qvis in faciem vos cadit. (Talia vos à me pati,
mentiuntur Pſeudapoſtoli, ob præcedentis Epiſtolæ gravitatem.
Si hæc ſuſtinere poteſtis, valdè ſapientes vos eſſe neceſſe eſt, ſcili-
cet.) *Secundùm ignobilitatem* (ignominiam, ἀτιμίαν noſtrã) 21
loqvor, qvaſi nos infirmi fuerimus, (carnis imbecillitati-
bus indulſerimus, ſicut garriunt inimici, nos ſecundùm carnem
ambulare.) *In qvo autem qvis audet, in inſipientia dico,*
(non qvod ita faciundum cenſeam,) *audeo & ego.*

Narratione ipſâ primùm æqviparat ſe æmulis. Deinde antefert triplici nomine, nimirum laboribus & ærumnis, revelationum excellentiâ, & ſignorum virtute.

Parem ſe illis declarat oratione eleganter figurata interroga-
tionibus, anaphoris, gradationibus. *Hebræi ſunt? & ego.* 22
Semen Abrahæ ſunt? & ego. Miniſtri Chriſti ſunt? ut 23
minùs ſapiens dico, plus ego.

Majorem ſe Pſeudapoſtolis demonſtrat 1. Ærumnis & labo-
ribus, tùm generatim, tùm ſingulatim recenſitis. *In laboribus* 24

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

plurimis, (περισσοτέρως, abundantius,) *in plagis ſupra mo-*
dum, in carceribus, in mortibus freqventer. A Judæis
qvinqvies qvadragenas unâ minùs accepi. (Fortè Antio-
25 chiæ in Piſidia, Act.13,51. & alibi. Confer Deut.25,3.) *Ter virgis*
cæſus ſum, (ut Philippis in Macedoniâ, Act.16,22.) *ſemel lapi-*
datus ſum, (Lyſtris in Lycaoniâ, Act.14,19.) *Ter naufragium*
feci, (& iterum qvartò Romam profecturus, Act.27.) *nocte &*
die in profundo maris fui. (νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποί-
ηκα, noctem ac diem, viginti qvatuor horas, in profundo egi,
26 qvando & ubi non exponitur Actis Apoſtolicis.) *In itineribus*
ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis
ex genere (Judaicô, ut Act.17,5.13. & 18,12. & 20,3.) *periculis ex*
gentibus, (Act.17,19. & 19,29.30.) *periculis in civitate, peri-*
culis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis
27 *fratribus. In labore & ærumnâ, in vigiliis multis, in*
28 *fame & ſiti, in jejuniis, in frigore & nuditate. Præter*
illa qvæ extrinſecus ſunt, inſtantia (ἐπισύστασις, incurſio)
mea qvotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum.
29 *Qvis infirmatur, & ego non infirmor?* (ex compasſione
dilectionis,) *qvis ſcandalizatur, & ego non uror* (æſtu
ſcandali?)
30 *Si gloriari oportet, qvæ infirmitatis meæ ſunt glo-*
riabor, (in qvibus dolores numero & ærumnas meas.)
31 Attexit exemplum ſingulare: *DEUS & Pater Domini*
noſtri JEſu Chriſti, qvi eſt benedictus in ſecula, ſcit,
32 *qvòd non mentior. Damaſci Præpoſitus gentis* (ethnar-
cha) *Aretæ Regis cuſtodiebat civitatem Damaſceno-*
rum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

rum, ut me comprehenderet. Et per feneſtram in ſpor- 33
ta demiſſus ſum per murum, & effugi manus ejus.
Hiſtoria exſtat Act. 9, 23. &c.

CAPUT DUODECIMUM.

CApite duodecimò perſeqvitur confutationem ſecundæ calumniæ, & tertiam diluere incipit. Itaqve partes ejus duæ ſunt: Una præcedentis capitis continuationem, altera tertiæ accuſationis purgationem continet.

Qvemadmodum enim hactenus ærumnis & laboribus ſuperiorem ſe æmulis ſuis demonſtravit, ita nunc porrò revelationum altitudine & ſignorum efficaciâ ſe antecellere indicat.

Utrumq; argumentum, ſicut primum, ſummâ modeſtiâ ex-
plicat. Nam in ſecundo iterum προθεραπείᾳ utitur. *Si gloriari* 1
oportet, non expedit qvidem. (Senſum expreſſit Interpres,
non voces. Verbo verbum ſi reddas, eſt: Gloriari ſanè non expedit
mihi, ſcilicet niſi neceſſitas vos ædificandi flagitet.) *Veniam au-
tem ad viſiones & revelationes Domini.*

Deinde revelationum ſuarum maximam exponit, tanqvam
tertio cuidam factam, modeſtiæ causâ. Subjungit deinde ingen-
tem, qvâ affligatur, tentationem, ut ſinceritatem narrationis re-
præſentet omnibus. *Scio hominem in Chriſto ante annos* 2
qvatuordecim, (cùm orarem Jeroſolymæ in templo, Act. 22, 17.
miſſus eò comite Barnabâ. Act. 11, 30.) *ſive in corpore, neſcio,
ſive extra corpus, neſcio. DEUS ſcit, raptum ejus-
modi usq; ad tertium cœlum,* (ſedem beatorum.) *Et ſcio* 3
hujusmodi hominem, (nam mihi ipſi contigit, qvod narro,)
ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio, Dominus ſcit,
ſcil. an eum cum corpore eò tranſtulerit, an animam extra corpus
interim conſtituerit. *Qvoniam raptus eſt in Paradiſum,* 4

& audivit arcana verba, qvæ non licet homini loqvi.
(Sicut nec Johanni Apoſtolo ſeptem tonitruum voces ſcribere li-
5 cuit, Apoc. 10, 4.) *Pro hujusmodi gloriabor, pro me autem*
(tanqvam pro me) *nihil gloriabor, niſi in infirmitatibus*
6 *meis. Nam etſi voluero gloriari, non ero inſipiens, ve-*
ritatem enim dicam. Parco autem, ne qvis in me exi-
ſtimet ſupra id, qvod videt me, aut aliqvid audit ex
me.

Jam majoris modeſtiæ ergò, ſuam tribulationem non abſcon-
7 dit. *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus*
eſt mihi ſtimulus carnis meæ, (qvo tanqvam terræ affigor,
ne caro ſeſe efferat,) *Angelus Sathanæ, ut me colaphizet,*
ne extollar. (Spirituum aliqvis malorum poteſtatem obtinuit
à DEO, per intervalla tanqvam colaphis me afficiendi, & vexandi
exteriora corporis mei, ut infirmum me, & peccato adhuc obſi-
tum recorder. Qvin & Pſeudapoſtoli Satanæ emiſſarii injuriarum
mihi colaphos impingunt, ne revelationum extollar altitudine.)
8 *Propter qvod ter Dominum rogavi,* (expertus afflictionem
iſtam extraordinariam,) *ut diſcederet,* (nunqvam reverſurus.)
9 *Et dixit mihi, ſufficit tibi gratia mea. Nam virtus*
mea in infirmitate perficitur. (In carnis infirmitate vegetior
apparet virtus divina.)

10 Concludit hoc, & præcedens argumentum. *Libenter igi-*
tur gloriabor (μᾶλλον, magis) *in infirmitatibus meis, ut*
inhabitet in me virtus Chriſti. Propter qvod placeo
mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitati-
bus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Qvum
enim infirmior, tunc potens ſum. (Nempe ſecundùm carnem
infirmus, ſecundùm ſpiritum potens appareo.)

Ter-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Tertium argumentum, à ſignorum ſplendore petitum, novo
exordio & narratione, itemq; peroratione conſtat. Exordiô rurſus ne-
ceſſitatem hujus orationis excuſat. *Factus ſum inſipiens glo-* 11
riando. Vos me coëgiſtis. Ego enim à vobis commen-
dari debui, (ne defenſione hac mei indigerem.) *Nihil enim*
minus fui iis, qvi ſunt ſupra modum Apoſtoli (qvales duo-
decim, & in iis Petrus, Jacobus, Johannes,) *tametſi nihil ſum*,
(nempè ſi qvis me ipſum, qvà hominem, conſideret.) Narratio plana
eſt: *Signa tamen Apoſtoli facta ſunt per vos* (in vobis) 12
in omni patientia, in ſignis, & prodigiis (ſtupendis) *&*
virtutibus (adverſus pervicaces, ut Act. 13. in Elyma Mago.) Con-
cluſio hæc eſt: *Qvid eſt enim, qvod minus habuiſtis præ* 13
cæteris Eccleſiis? Sic tranſit ad Perorationem hujus tractatûs
generalem, qvà objectionem de ſtipendio eludit, tanqvam ineptam
& frivolam, ironicè petens condonari ſibi hoc peccatum, ſi ſit pecca-
tum. *Niſi* (inqvit) *qvod ipſe non gravavi vos? Donate*
mihi hanc injuriam. Seqvitur ἐπανόρθωσις. *Ecce tertiò pa-* 14
ratus ſum venire ad vos, & non ero gravis vobis. Non
enim qværo, qvæ veſtra ſunt, ſed vos. (veſtras animas &
corpora ſalvare, nō ex opibus veſtris ditari cupio.) *Nec enim de-*
bent filii parentibꝰ theſaurizare, ſed parentes filiis. (Vos
filii mei eſtis per Evangelium geniti. Vos theſaurū mihi colligeretis,
ſi opibꝰ me veſtris aleretis. Malo ego meis precibus theſauros vobis
procurare apud DEUM, tanqvam pater filiis.) *Ego autem liben-* 15
tiſſimè impendam (mea) *& ſuperimpendar* (ἐκδαπανηθήσομαι, expendar) *ipſe pro animabus veſtris, licèt plus*
vos diligens minus diligar. (Non defugiam labores, imò nec
mortem ipſam pro vobis, etſi ardentiſſimo amori meo veſter minus
reſpondeat.) Expunxit calumniam ſecundam, ſeqvitur tertia, qvæ
propoſita extergitur ſtatim, & contraria Corinthiorum accuſatio re-
geritur.

16 Propoſitio eſt: *Sed eſto, ego vos non gravavi: ſed*
qvum eſſem aſtutus dolo vos cepi.

Confutatio fit appellatione conſcientiæ Corinthiorum, qvæ
17 graviſſimæ negationi æqvipollet. *Nunqvid per aliqvem eo-*
18 *rum, qvos miſi ad vos, circumveni vos? Rogavi Titum,*
& miſi cum illo fratrem, (ut indicatum ſuprà cap. 7, 7. 13.)
nunqvid Titus vos circumvenit? nonne eodem ſpiritu
ambulavimus? nonne eisdem veſtigiis?

Finiens confutationes calumniarum oſtendit, cur tàm ſcrupuloſè eas diluat, non qvod Corinthiis placere ſuâ causâ, ſed qvod ædificare eos cupiat.

19 *Olim* (πάλιν, iterum) *putatis, qvod excuſemus nos a-*
pud vos? (veriti humanum diem, 1. Cor. 4, 3.) *Coram DEO in*
Chriſto loqvimur. Omnia autem, chariſſimi, propter
ædificationem veſtram.

Opponit jam oportunè contrariam Corinthiorum accuſatio-
20 nem gravi modeſtiâ ſalitam. *Timeo enim, ne fortè, qvum ve-*
nero, non qvales volo, inveniam vos, & ego inveniar
vobis, qvalem non vultis. Ne forte contentiones, æmu-
lationes, animoſitates, (θυμοὶ, iræ) *ſenſiones, detractio-*
nes, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones ſint inter vos.
21 *Ne iterum cum venero, humiliet me DEUS apud vos,*
& lugeam multos ex his qvi ante peccaverunt, & non
egerunt pœnitentiam ſuper immundicia & fornicatio-
ne, & impudicitia, qvam geſſerunt.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

PRogreditur ad confutationis epilogiſmum, totamq; epiſtolam graviſſimis exhortationibus & conſolationibus claudit. Concluſio igitur, qvinta & extrema pars Epiſtolæ, eſt vel ſpecialis vel generalis.

Spe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Specialis præcipuè ſpectat antegreſſam criminum confutationem, in qvibus erat illud, Paulum eſſe coràm humilem & deſpectum, abſentem verò gravem & audacem, ſuprà cap. 10, 1. Igitur Colophonis vice monet Corinthios, ne illa perſvaſione decepti peccatis indulgeant. Se enim venturum, ac nî reſipiſcant, demonſtraturum, qvid poſſit in virtute CHRISTI.

Generalis Concluſio generalem exhortationem, conſolationem & benedictionem continet verſ. 11, 12, 13.

In priori parte hortatur primùm Corinthios, ut ſeipſos judicent maturè, ne à Domino per Apoſtolum judicentur. Deinde optat, judicio illo ſuo ut ſuperſedere poſſit. Itaqve objurgat qvidem, ſed cum evidenti dilectionis teſtificatione. Hortationi ipſi argumenta, tum præmittit, tum ſubjungit, petita à ſeveritate judicii ſui, & à poteſtate CHRISTI ſibi in hoc collata.

Tertio hoc (Tertium hoc) *venio ad vos. In ore duo-* 1
rum vel trium teſtium ſtabit omne verbum, (ut præ-
ſcriptum Deut. 19, 15. Matth. 18, 26. Qvem tres duove teſtes maleficii
convicerint, excludetur è cætu Eccleſiæ, Satanæq́; tradetur poteſtati.)
Prædixi & prædico ut præſens (τὸ δεύτερον, iterum ſc. præ- 2
dixi & feci,) *& nunc abſens ſcribo iis, qvi antè peccave-*
runt, & cæteris omnibus, (ſi qvi peccare non verebuntur,)
qvoniam ſi venero iterum, non parcam. An (ἐπεὶ, qvan- 3
doqvidem) *experimentum qværitis ejus, qvi in me loqvi-*
tur, Chriſti, qvi in vos non infirmatur, ſed potens eſt in
vobis. (Qvemadmodum veſter ad Evangelium aditus & illumi-
natio teſtatum reddidit.) *Nam etſi crucifixus eſt ex infir-* 4
mitate (aſſumptâ carnis noſtræ,) *ſed vivit ex virtute DEI,*
(qvam habet à Patre ſuo.) *Nam & nos infirmi ſumus in illo*
(commorientes illi qvoad carnem, ut aboleatur corpus peccati, ſuprà
cap. 4, 10. 16.) *Sed vivemus cum eo ex virtute DEI in vo-*
bis (demonſtrandâ. Sicut enim CHRISTUS infirmitates noſtras
ſuſcipiendo infirmus factus eſt: ſic Apoſtoli, ut parcant infirmitati

fra-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

fratrum,non exercent poteſtatem ſuam in peccantes : At ſicut CHRI-
STUS revixit pro gloria DEI,ſic & illi pro ejusdem gloria tanqvam
vivificati eandem virtutem exerunt, qvando res & locus eam po-
ſtulant.)
5 Hortatio ipſa ſic habet : *Voſmetipſos tentate ſi eſtis in fi-*
de. Ipſi vos probate,(utrum ſitis boni & Chriſtiani,nec ne?)Il-
luſtrat interrog toriâ ἐπιμονῇ. *An nõ cognoſcitis voſmetipſos*,
qvod Jeſus Chriſtus in vobis eſt? (utiqve ſcire poteſt homo
& debet, ſe à CHRISTO inhabitari) *niſi forte reprobi eſtis*,
(qvi CHRISTUM inhabitantem reperire neqveunt. Piis enim fa-
cilè eſt,in ſe deprehendere è fructibus ſeu effectibus JESU CHRISTI
6 præſentiam.) *Spero autem qvod cognoſcetis* (ex adventu no-
ſtro,) *qvia non ſumus reprobi*. h.e. ſi veſtrum aliqvi reprobi
ſunt,invenient nos haud eſſe reprobos,ſed vim divinam ſentient,
niſi antea ſemetipſos explorent & emendent.
Jam mitigat orationem affectu dilectionis interſperſo.
7 *Oramus autem DEUM, ut nihil mali faciatis*,
non ut nos probati appareamus;(ex virtute excommunica-
tionis & zeli pro CHRISTO,) *ſed ut vos qvod bonum eſt*,
faciatis; *nos autem ut reprobi ſimus*, habiti ſc. pro infirmis
præſentiâ,ac ſolâ abſentiâ, pro audacibus.
Nihil nos noſtra gloria titillat, dummodo vos rectè faciatis.In
veſtram enim ædificationem ſcripſimus hæc,qvæcunqve ſcripſimus,
9 ſuprà cap.12, 19. *Gaudemus enim, qvum nos infirmi ſu-*
mus,vos autem potentes eſtis (in bono.) *Hoc* (δὲ, autem)
& oramus, veſtram conſummationem.
10 Finem ſcriptionis hujus ſubtexit : *Ideò hæc abſens ſcribo*,
ut non præſens durius (ἀποτόμως præciſè, ſtrictè) *agam*, *ſe-*
cundum poteſtatem, qvam Dominus dedit mihi in ædi-
ficationem, & non in deſtructionem (ſcio enim cujus ſpiri-
tus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

tûs filius ſim, non illius, qvi perdit animas, ſed qvi vivificat. Filius qvippe hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare. Luc. 9, 55. 56. Itaqve poteſtas vindicandi obedientiam hominum, de qva ſuprà cap. 10. non data eſt propriè ad homines perdendos, ſed ædificandos potiùs, deſtructionem qvidem carnis, ſed ſalutem hominis ipſam ex deſtructione illa operans. 1. Cor. 5, 5.)

Generalior Epilogus congeriem primò allocutionum, deinde ſalutationes, poſtremò benedictionem continet.

Primum membrum: *De cætero, fratres, gaudete, perfecti eſtote* (in omni opere bono, luxata membra reſtituite, ne tanqvam claudicetis in iis, qvæ agere neceſſe eſt:) *exhortamini* (vos mutuò, παρακαλεῖσθε, conſolamini,) *idem ſapite*, (abdicatis hæreſibus & ſchiſmatis,) *pacem habete. Et DEUS pacis & dilectionis vobiscum erit.* 11

Alterum ita habet: *Salutate invicem in oſculo ſancto*, (amoris defecati indice,) *ſalutant vos omnes ſancti.* 12

Benedictio deniqve Catholica & Apoſtolica hæc eſt: *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti* (redemptoris) *& Charitas DEI* (Patris, diligentis adeò mundum, ut dederit ei ſuum Filium,) *& communicatio Spiritûs ſancti* (à qvo omnium donorum diſtributio) *ſit cum omnibus vobis. Amen.* 13

Ad Corinthios ſecunda miſſa fuit à Philippis Macedoniæ per Titum & Lucam,
qvorum mentio ſuprà cap. 8,
17. &c.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

JOHANNIS CLUVERI, SS. THEOL. D.
ejusdémq; olim Profeſſoris Sorani, & poſteà Superintendentis Dithmarſici,

ANALYSIS EPISTOLÆ S. PAULI AD GALATAS.

HAnc Româ miſit Paulus ad Eccleſias Galatiæ ſeu Gallo-Græciæ, qvæ eſt Aſiæ Provincia, à Septentrione Pontum & Paphlagoniam, à Meridie Piſidiam, ab Oriente Cappadociam, ab Occaſu Myſiam, Bithyniamq; habens. Terra olim Attalicis Bithynisq; Regibus ſubjecta, cùm Gallorum, vaſtatâ Græciâ, in Aſiam trajicientium, incurſionibus vexaretur, permiſſu Regum illis ceſſit. (Strabo lib. 12.) Poſtremos Reges Dejotarum Amyntamq; paſſa, Paulò hæc ſcribente, Romanis Ducibus parebat. Jovis Coloſſus, Deorumq; matris templum, illis locis celebria fuêre. Pauli Barnabæq; miniſterio fidem Chriſtianam accepit Natio; anno, ut apparet Act. 13,50. poſt Domini adſcenſum duodecimo, cùm ex Piſidiâ vicinâ verbum Domini per totum illum tractum ſpargeretur. Triennio pòſt Paulus & Sylvanus Galatiam regionem peragrârunt, inde in Macedoniam juſſi tranſire à Spiritu, ut narrat Lucas Act. 16. Tunc cæperat vulgaris qvæſtio, qvam Paulus tractat hâc Epiſtolâ, Utrum Legis Moſaicæ obſervatio neceſſaria eſſet ad ſalutem? Iterum acceſſit ad Galatas Paulus, decimo octavo, poſt Domini ſuſceptionem, anno, eosq; confirmavit in gratiâ, juxtà & Phryges, teſte Lucâ Act. 18,23. ſed cùm plena eſſet Judæis Aſia, recruduit de legis obſervantiâ qvæſtio, & Paulo in vinculis agenti negotium faceſſit. Qvi proinde Evangelium, antè à ſe prædicatum, in memoriam redigit Galatis, & à Pſeudapoſtolorum corruptelis vindicat hâc Epiſtolâ. Igitur

tur tota didactica eſt & elenctica, & pro more, fidei atqve operum doctrinam explicat.

Partes ſunt, Prooemium, Theſis, Ectheſis, Epilogus.

CAPUT PRIMUM.

CApite primô Exordium, Propoſitio & Expoſitionis argumentum primum continetur.

DE EXORDIO.

EXordium ſalutatione conſtat qvadrimembri. Nam primò autores Epiſtolæ, tùm qvibus ſcribatur, tertiò ſalutem qvam precentur, & deniqve eum, à qvo precentur, gravisſimis verbis deſcribit.

Autores Epiſtolæ ſunt, Paulus & omnes, qvi Romæ cum ipſo erant fratres. Seipſum deſcribit ab officio, ejusq; dignitatem asſerit ab immediatâ (ut vocant) vocatione divinâ, cùm ait: *Paulus* 1
Apoſtolus non ab hominibus (autoribus,) *neq; per hominem*, (tanqvam inſtrumentum & approbatorem,) *ſed per JEſum Chriſtum* (θεάνθρωπον) *& DEUM Patrem, qvi ſuſcitavit eum à mortuis. Et qvi mecum ſunt, omnes* 2
fratres. (Communicavit ergò Epiſtolam cum universâ, qvæ Romæ erat, Eccleſiâ.)

Ii, qvibus ſcribitur, ſunt *Eccleſiæ Galatiæ*, regionis ſatis amplæ & populoſæ, in gentes tres diviſæ, Trocmos, Tectoſagos & Toliſtobogos, ut habet Strabo lib. 12. Geograph.

Salus, qvam precantur ſcriptores, eſt *gratia & pax*. 3
Is, à qvo precantur, eſt *DEUS Pater, & Dominus noſter JEſus Chriſtus*. Deſcribitur JEſus Chriſtus à beneficiis præſtitis & fine eorundem, cùm ait: *Qvi dedit ſemetipſum pro* 4
peccatis noſtris, ut nos eriperet de præſenti ſeculò neqvam, (ne vel peccatis ejus, vel pœnis peccatorum communice-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

mus, ſed tanqvam ipſius peculium ſimus vivi ac mortui,) *ſecun-*
5 *dùm voluntatem DEI & Patris noſtri. Cui*(eſt, redundat)
gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DE PROPOSITIONE ſeu THESI.

PRopoſitionem Epiſtolæ ſat perſpicuis verbis exprimit Apoſtolus, majorisq; evidentiæ & ponderis causâ illuſtrat ἐπιμονῇ, hyperbole, repetitione, ſuæq; intentionis ac ſtudii exornatione.

6 Plana propoſitio eſt: *Miror, qvòd tàm citò transfe-*
ramini ab eo, qvi vos vocavit in gratiam (χάριτι, gratiâ)
7 *Chriſti, in aliud Evangelium. Qvod non eſt aliud, ni-*
ſi ſunt aliqvi, qvi vos conturbant, & volunt conver-
tere (μεταστρέψαι, pervertere) *Evangelium Chriſti.* Magnitu-
dinem periculi hyperbolicè extollit, indicans juxtà immotam
8 Evangelii ipſis prædicati certitudinem. *Sed licèt nos aut An-*
gelus de cœlo evangelizet vobis, præterqvam qvod
9 *evangelizavimus vobis, anathema ſit. Sicut di-*
ximus, & nunc iterum dico, ſi qvis vobis evangeli-
zaverit præter id, qvod accepiſtis, anathema ſit.
10 Roborat & exornat ampliùs ab Apoſtolatûs ſui indole. *Modò*
enim (inqvit) *hominibus ſvadeo, an DEO?* Rectiùs: jam
enim homines perſvadeo vobis, an DEUM; qvia in fonte eſt: ἄρτι
γὰρ ἀνθρώπους πείθω ἢ τὸν Θεόν; h.e. An hominibus vos hortor
ut credatis, an DEO? Num humanam vobis, an divinam perſva-
deo fidem? Utiqve divinam. *An qværo hominibus placere?*
Si enim adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non
eſſem. (Oporteret enim me Judæis adhuc placere, & cognatis
præſertim ac familiaribus meis ſecundùm carnem, atqve ſic Chri-
ſto fidem renunciare.)

DE CONFIRMATIONE SEU EXPOSITIONE THESEOS.

SIcut doctrinæ Chriſtianæ duæ ſunt partes: ſic qvoqve Evangelii
à ſe

à ſe prædicati veritatem & integritatem duobus membris perſeqvitur Apoſtolus.

Primùm agit de fidei in Chriſtum veritate; deinde de operum Chriſtianis faciendorum naturâ atq; indole. Poſterius membrum incipit cap. 5,13.

Prius bipartitum eſt. Conſtat enim argumentis generalibus & ſpecialibus.

Generalibus argumentis probat totius Evangelii veritatem, & ſinceritatem diviniſſimam & illibatiſſimam.

Specialibus confirmat certam aliqvam Theſin, nimirum, Legis obſervationem haud eſſe ad ſalutem neceſſariam.

Generalia argumenta, immutabilem Evangelii integritatem adſtruentia, ſunt duo:

Primum ducitur ab Autore ejus, ipſo JEſu Chriſto, qvi ut DEUS eſt, non homo nudus, ſic Evangelium divinum eſt & immutabile, non humanum aut humanis alterationibus obnoxium.

Alterum capitur à reliqvorum Apoſtolorum conſenſu, & fœdere, cum illis ut primariis hujus doctrinæ miniſtris ac teſtibus inito, ut narrat cap. 2, 1. &c.

Primum igitur argumentum asſerit per ἄρσιν falſi, & poſitionem veri. Poſteà firmat narratione ſuæ ad Apoſtolatum vocationis, ejusq; adminiſtrationis. *Notum enim vobis facio, fra-* 11
tres, Evangelium, qvod evangelizatum eſt à me, qvia
non eſt ſecundùm hominem. Neq; enim ego ab homine 12
accepi illud, neq; didici, ſed per revelationem JEſu
Chriſti.

Narratione explicat, qvæ revelationem hanc præceſsêre, tùm revelationem ipſam, tùm qvæ ſecuta ſunt eam.

Præceſsêre Pauli zelus importunus, & profectus in Judaiſmo.

Audiſtis enim converſationem meam aliqvando 13
in Judaiſmo, dum (ὅτι, qvoniam) *perſeqvebar Eccleſiam*
DEI, (καθ' ὑπερβολὴν, ſecundùm vehementiam,) *& expu-*
gnabam (ἐπόρθουν, vaſtabam) *illam. Et proficiebam in Ju-* 14

daiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum (non divini verbi, qvod adhuc ignorabam, ſed qvas à Patribus acceperam opinionum. Matth. 15, 2. 3. 6. Marci 7, 3. 5. 8. Col. 2, 8. 1. Pet. 1, 18. Zelotes tantus, ut minas ſpirarem & cædes adverſus diſcipulos Domini JESU. Act. 9, 1.)

Revelationem enarrat ab autore, ſubjecto, forma, fine, cum ait:
15 *Qvum autem placuit DEO, qvi me ſegregavit ex utero matris meæ,* (ſecundum propoſitum ſuum æternum) *& vocavit per gratiam ſuam.* (His verbis cauſam efficientem, ejusq; impulſivas deſcribit.) *Ut revelaret in me* (hæc forma eſt)
16 *filium ſuum* (hic ſubjectum ſeu objectum eſt revelationis. De filio enim DEI eſt Evangelium, ut Rom. 1, 3. 1. Cor. 3, 11.) *ut evangelizarem illum in gentibus.* (Hic finis revelationis.) Seqvuntur τὰ ἑπόμενα, adminiſtratio ſcilicet Apoſtolatûs, qvam ideò attexit, ut planum fiat omnibus, Evangelium ſe neqve ab homine, neqve per hominem accepiſſe, neqve ejus prædicationem humanâ autoritate cœpiſſe. *Continuò* (inqvit) *non acqvievi carni & ſangvini* (οὐ προσανεθέμην, non contuli cum carne & ſangvine, hoc eſt,
17 cum homine carnem & ſangvinem habente.) *Neq; veni* (ἀνῆλθον, adſcendi) *Jeroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos, ſed abii in Arabiam & iterum reverſus ſum Damaſcum,* (ſtatim prædicans in Synagogis paſſim, & confirmans JESUM eſſe CHRISTUM, ut penè occideretur Damaſci, anteqvam cum Apoſtolorum qvoqvam conferrem. Act. 9, 20. 22. 25.)
18 *Deinde poſt annos tres veni Jeroſolymam videre* (ἱστορῆσαι) *Petrum, & manſi apud eum diebus qvinde-*
19 *cim. Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum* (Juſtum, Minorem, Alphæi & Mariæ, ſororis τῆς θεοτόκου, fi-

lium

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

lium. Matth.10,3. & 13,55. & 27,56. Marc.3,18. & 6,3. & 15,40. & 16,1.)
Fratrem Domini (ad qvem me uti & ad Petrum perduxit Bar-
nabas. Act. 9, 27.) *Qvæ autem ſcribo vobis, ecce coram* 20
DEO, qvia non mentior.
Deinde veni in partes Syriæ & Ciliciæ (Judæis Hel- 21
leniſtis Jeroſolymæ necem mihi molientibus, Act. 9, 29. 30.) *Eram* 22
autem ignotus facie Eccleſiis Judææ, qvæ erant in
Chriſto. Tantum autem auditum habebant (auditum e- 23
rat illis,) *qvoniam qvi perſeqvebatur nos aliqvando,*
nunc evangelizat fidem, qvam aliqvando expugna-
bat. (vaſtabat, ἐπόρθει.) *Et in me* (converſo & illuminato DEI 24
gratiâ,) *clarificabant* (glorificabant) *DEUM.*

CAPUT SECUNDUM.

CApite ſecundo alterum generale fundamentum pro veritate Evangelii, à Paulo prædicati, itemqve ſpecialis confirmatio primarii qvæſiti, de neceſſitate operum legis ad ſalutem, proponitur. *Itaq; duæ ejus partes ſunt.*

Generale argumentum qvod attinet, conſenſum reliqvorum Apoſtolorum citat Paulus, ne putent Galatæ, ullam eſſe inter illos ſuper articulis fidei diſſenſionem.

Syllogiſmus emerget talis: Qvod Evangelium cum primariis Apoſtolis communicatum, nullam additionem aut detractionem paſſum eſt, ſed potius eorum ſingulari pactione, ut gentibus prædicaretur conſtitutum, ab eo Galatis neqvaqvam diſcedendum. Imò ſi qvis diverſum ab illo docet, anathema habendus eſt. Tale eſt Evangelium à Paulo annunciatum. Ergo Galatis ab illo neqvaqvam diſcedendum.

Aſſumptio trimembris eſt. Primùm narrat, Evangelium ſuum diſcipulorum ſuorum cum Apoſtolis eſſe communicatum. *Dein-* 1
de poſt annos qvatuordecim (à prima converſione meâ)
ite-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

iterum adſcendi Jeroſolymam cum Barnaba (Act. 15, 2.)
2 *aſſumto & Tito. Adſcendi autem ſecundum revelationem* (factam mihi divinitus,) *& contuli cum illis Evangelium, qvod prædico in gentibus, ſeorſim autem iis, qvi videbantur aliqvid eſſe* (Apoſtolis ante me) *ne fortè in vacuum currerem aut cucurriſſem,* (qvandoqvidem adverſarii Legis obſervationem urgentes, acqvieſcere nolebant, niſi reliqvorũ Apoſtolorum autoritate ſtabiliretur Evangelii mei veritas. Act. 15, 2.) Diſcipulum ſuum communicationi huic interfuiſſe, & idem Evãgelium profeſſũ eſſe, demõſtrat exemplo practico.
3 *Sed neq; Titus, qvi mecum erat, qvum eſſet gentilis* (Græcus, ἕλλην,) *compulſus*
4 *eſt circumcidi,* (ut adverſarii inſtabant.) *Sed propter ſubintroductos falſos fratres, qvi ſubintroierant explorare libertatem noſtram, qvam habemus in Chriſto Jeſu, ut nos in ſervitutem reducerent,* (non compulſus eſt circumcidi, qvod aliàs propter ſcandalum infirmorum tollendum facere potuiſſet, qvemadmodum in Timotheo factum, Act. 16, 3.)
5 *Qvibus* (falſis fratribus) *neq; ad horam ceſſimus ſubjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos.*

6 *Secundò* in Evangelio ſuo nihil mutatum memorat. *Ab iis autem, qvi videbantur eſſe aliqvid, qvales aliqvando fuerint,* (qvàm rudes idiotæ ante illuminationem, qvàm ve infirmi,) *nihil meâ intereſt, DEUS perſonam hominis* (externam qvalitatem vitæ, operis aut conditionis,) *non accipit. Mihi enim qvi videbantur eſſe aliqvid, nihil contulerunt.* (ſuperaddiderunt, προσανέθεντο.)

Tertiò Evangelium ſuum eſſe confirmatum, ſingulariq; pactione ejus propagationem roboratam indicat.
7 *Sed econtra, qvum vi-*

vidiſſent, qvod creditum eſt mihi Evangelium præpu-
tii (ad gentes,) *ſicut & Petro circumciſionis* (præcipuè.)
Qvi enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circum- 8
ciſionis, (Act.2,41. & 4,4.) *operatus eſt & mihi inter gen-*
tes, (Act.13,2. & 49.&c.) *Et qvum cognoviſſent gratiam,* 9
qvæ data eſt mihi, Jacobus & Cephas & Johannes,
qvi videbantur columnæ eſſe, (ut præcipui αὐτόπται καὶ ἐπό-
πται ſermonum & operum Domini, Matth.17,1. & 26,37. 2.Petr.1,16.
Joh.15,27. Luc.1,2.) *dextras dederunt mihi & Barnabæ ſo-*
cietatis, ut nos in gentes, ipſi autem in circumciſionem
(proficiſcerentur, operamq; ſuam collocarent potiſſimùm. Nam
alioqvin & illi indifferenter gentibus Judæisq; prædicàrunt, pro-
ut juſſi erant à Domino, Marc.16,15. Luc.24,47. Actor.1,8. Matth.
28,19. Et Paulus non ſolis gentibus, ſed etiam Judæis prædicavit,
Rom.11,14. potiſſimùm tamen gentibus, unde gentium ſe Apoſto-
lum nominat ibidem.) *Tantùm ut pauperum memores eſ-* 10
ſemus, (propter diram & diuturnam famem, qvâ tùm Palæſtina
conflictabatur, imperante Claudió, teſte Lucâ Act. cap.11, 28. &
Joſepho lib.20.cap.3.) *qvod etiam ſollicitus fui hoc ipſum*
facere, (prout patet 1.Cor.16. 2.Cor.8.9. Rom.15,26.)

Nunc procedit ad *ſecundam partem* hujus capitis, & ſpecialiter argumenta producit, qvibus demonſtrat, Legis opera haud eſſe neceſſaria ad ſalutem, id qvod falſi fratres, præſertim è ſecta Phariſæorum, contendebant.

Argumenta illa ſunt numero duodecim, qvemadmodum in decurſu Epiſtolæ apparebit.

Primum hoc capite abſolvitur, qvod ab exemplo peculiaris cujusdam & orationis & facti deſumptum eſt, & ſic colligitur: Qvam ſententiam Petrus, rationibus validisſimis evictus, publicè approbavit, ea tenenda. Sententiam de non neceſſariâ legis obſervantiâ Petrus rationibus validisſimis evictus, publicè admiſit. Ergò ea tenenda.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Major tanqvam plana nullius probationis indiget.

Aſſumptum narratione demonſtrat Paulus, referens primò
ſuum & Petri factum. Deinde ſuam orationem, publicè in Antio-
11 chenâ Eccleſiâ habitam. *Qvum autem veniſſet Petrus
Antiochiam, in faciem* (κατὰ πρόσωπον, juxta faciem, in fa-
cie, propalàm, in conſpectu, non in faciem, qvod erat contume-
lioſius. Vide eandem phraſin, ut Hieronymi & Auguſtini ſuper eâ
litem faciliùs dijudices, qvæ agitatur Epiſt. Aug 8. & ſeqq. vide, in-
qvam, Luc. 2,31. Actor. 3,13. & 25,16. 2. Corinth. 10,1.7. & ſtatue nihil
hîc eſſe à Paulo ſimulatum. Lege Auguſt. Epiſt. 19.) *ei reſtiti,*
(reverſus Jeroſolymâ in Syriam, Act. 18,22.) *qvia reprehenſibi-
12 lis erat. Prius enim qvàm venirent qvidam à Jacobo*
(Jeroſolymæ morante, ut Eccleſiam Judaicam regeret,) *cum gen-
13 tibus edebat. Qvum autem veniſſent, ſubtrahebat &
ſegregabat ſe, timens eos, qvi ex circumciſione erant,*
(ne deficerent, aut ipſum velut legis transgreſſorem calumniaren-
tur.) *Et ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi,*
(deſerendo gentium convictum & converſationem, cùm ſit unus
Paſtor & unum ovile, Johan. 10,16.) *ita ut Barnabas duceretur*
(συναπήχθη, ſimul abduceretur) *ab eis in illam ſimulationē,*
(olim meus Collega ad converſionem gentium, Actor. 13,2.)
14 *Sed cùm vidiſſem, qvòd non rectè ambularent ad ve-
ritatem Evangelii,* (aliud foris ſimulantes, qvàm intus in
corde ſuô ſentirent, & alios alibi docerent,) *dixi Cephæ coram
omnibus.*

Oratio hæc Pauli, qvæ ſeqvitur, *trimembris eſt. Primùm* exem-
plo ipſius Petri. *Secundò* ſuô, Barnabæ & Petri conjunctim: *Tertiò*
ſuâ confesſione ſingulari, rationibus roboratâ, demonſtrat, ho-
minem non juſtificari ex operibus Legis.

Primùm inqvit Petro: *Si tu, cùm Judæus ſis, gentili-*

ter

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ter vivis, (qvemadmodum feciſti, anteqvam Jeroſolymitani
Judæi advenirent,) *& non Judaicè, qvomodo gentes cogis
judaizare?* (nimirum ſubtrahendo te ab illis tanqvam legem
violantibus. Aliud enim eſt, non prohibere Judæis, ut judaizent,
aliud gentes cogere ut judaizent. Illudq; adeò non fecit Paulus,
ut etiam Judæis Judæus fieret. Hoc Apoſtolico decreto adverſa-
tur, qvod eſt Act.15, 10.11.)

Deinde ſuum, Petri, aliorumq; Doctorum Judaicorum dogma
ac factum proponit. *Nos naturâ Judæi & non ex genti-* 15
bus peccatores, (legis violatores craſſi & enormes.) *Scientes* 16
qvòd non juſtificatur homo ex operibus Legis, (qvibus-
cunqve) *niſi per fidem Chriſti JEſu, & nos in Chriſtum
JEſum credidimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, &
non ex operibus Legis. Propter* (ideò) *qvòd ex ope-
ribus Legis non juſtificabitur omnis caro*, (fatente Petrô
ipsô Jeroſolymæ, Actor.15.10. Si igitur Legem, qvantum potera-
mus, obſervantes, ſtatuimus in iis operibus neqve nos, neq; qvem-
piam ſalvari poſſe, ac proinde in Chriſtum credidimus, per qvam
fidem tantùm juſtificatio contingit; qvid nunc alios cogimus ad
legis obſervationem, ſub opinione juſtitiæ, ex ejus operibus com-
parandæ?) *Qvod ſi qværentes juſtificari in Chriſto, in-* 17
venti & ipſi ſumus peccatores, (ſi nondum juſti ſumus, qvi
in Chriſto juſtificari qvæſivimus, & inſuper peccavimus, docen-
tes & ſtatuentes, in ſolo Chriſto eſſe ſalutem,) *numqvid* (ἄρα,
igitur) *Chriſtus peccati miniſter eſt*, (ipſe enim fecit nos ſuo
miniſterio peccare, qvô nihil abſurdius, ſi in eo peccavimus, qvòd
in ipſo juſtitiam qvæſivimus. Si autem rectè id fecimus, qvod
omnem juſtitiam in ipſo ſitam docuimus, qvid jam facto aliud
ſimulamus?) *Abſit. Si enim qvæ deſtruxi, iterum hæc* 18
ædifico, prævaricatorem me conſtituo. (Ita, ſi Legem ea-
tenus deſtructam, qvòd in ea nullus juſtificetur, iterum inſtau-

ro, neceſsitatem ejus urgens velut ad juſtitiam & ſalutem ſervanda ſit, pecco.)

Tertiò ſubdit gravem de ſeipsô confeſsionem, arguens iterum à legis effectu, à Chriſti beneficiô, & à conſeqvente abſurdo, nullam eſſe Legis, omnem verò CHRISTI ad juſtificationem efficaciam.

19 *Ego enim* (inqvit) *per legem legi mortuus ſum*,
(h. e. Lex me damnans & occidens effecit, ut ipſi morerer, nullam
ab ea vitam & ſalutem ſperans. Qvid enim ab eâ vitæ & juſtitiæ,
qvæ me tantùm damnat & occidit?) *Mortuus igitur illi ſum,*
ut DEO vivam. (Non enim ideò occidit Lex, ut tantùm occidat,
ſed ut vitam alibi qværendam demonſtret, Roman. 7,13.)
Chriſto confixus ſum cruci. (Qvando Chriſtus pro me cruci
affixus eſt, ego in illo crucifixus ſum, atqve ſic nihil ultrà Legi de-
20 beo, mortuus qvippe, in qvem nihil habet ampliùs Lex.) *Vivo*
autem jam non ego, (qvà caro, qvà ego,) *vivit verò in me*
Chriſtus, (à mortuis reſuſcitatus ad juſtificationem meam, cui
totum debetur, qvicqvid vitæ eſt in me.) *Qvod autem nunc*
vivo in carne, in fide vivo Filii DEI, (non in operibus
aut virtute meâ,) *qvi dilexit me, & tradidit ſeipſum pro*
me, (ne à Lege condemnari poſſem.) *Non abjicio gratiam*
DEI. Si enim per Legem juſtitia, ergò Chriſtus gratis
mortuus eſt. (Qvid opus fuit Chriſtum mori, ſi homo in Legis
operibus juſtificari poteſt? Contemnunt ergò & irritam faciunt
ſibi ipſis DEI gratiam, qvi in Lege juſtificari, & ex ſuis operibus
ſalvari qværunt.)

CAPUT TERTIUM.

PErtexit rationes, ſufficientiam fidei Chriſti ad ſalutem adſtruentes, & objectiones in contrarium ferri ſolitas præoccupat & refutat. *Partes ergò capitis* duæ ſunt: *Confirmatio veræ, & Confutatio falſæ ſententiæ.*

Se-

Secunda igitur *ratio* ſumitur ab effectu Evangelii apud Galatas,
& ſic informabitur: Si fides Evangelii dona ſancti Spiritus & mira-
cula operari potuit apud Galatas, non erit legis operibus opus ad ju-
ſticiam, & ſalutem. Verum prius. Ergo & poſterius.

Tractatur graviter argumentum hoc. Proœmio enim increpat
Galatas, & per interrogationem dialogiſticam exprobrat eis incon-
ſtantiam ſuam, hoc modô: 1
*O inſenſati Galatæ, qvis vos faſcinavit non obe-
dire veritati? qvorum ante oculos JESUS CHRI-
STUS præſcriptus eſt,* (viva & evidenti effigie doctrinæ atqve
vitæ) *inter vos* (in vobis) *crucifixus.* h.e. Ita planum vobis fa-
ctum eſt crucis JESU CHRISTI myſterium, tanqvam inter vos eſſet
crucifixus, vosq; ipſos de crucis ſuæ virtute & merito edocuiſſet.

Porrò Argumenti aſſumptionem propriâ ipſorum experientia
comprobat. *Hoc ſolum à vobis volo diſcere,* (per ταπείνωσιν) 2
ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei?
q.d. Qvid operum feceratis, ut acciperetis Spiritum Sanctum?
Nonne per ſolum fidei auditum compotes eſtis facti Spiritûs Sancti,
ſicut & antea gentes, docente Petro Act. 10, 44.

Majorem confirmat ab abſurdo. Nam ſi opus eſſet poſt ac-
ceptum Spiritûs donum operibus propriis, ſeqveretur, complemen-
tum ſalutis eſſe à carne, initium verò à Spiritu, qvod ſtultum opinari.
Si enim nec incipere qvidem caro potuit, multò minus conſummare.
Sic ſtulti eſtis, inqvit, *qvum Spiritu cæperitis, nunc* 3
carne conſummabitis? Tanta paſſi eſtis ſine causâ, 4
(à Judæis procul dubio importunis legalium ceremoniarum Zelotis,
qvi iſtis in locis graſſabantur, ut apparet Act. 14.) *Si tamen ſine
cauſa,* (fruſtrà, ſine utilitate. ἐπανόρθωσις eſt, ob ſpem reſtitutio-
nis, cui hæc Epiſtola deſtinatur. Paſſi enim eſſent gratis Galatæ, ſi
reſumerent ſententiam, ob qvam rejectam, antea afflicti fuerant ab
antagoniſtis.)

Concludit, repetendo aſſumtum & addendo virtutes per fidem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

5 editas. *Qvi ergò tribuit vobis Spiritum, & operatur*
virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei?
q. d. Igitur DEUS ipſe teſtatur, qvanti fidem faciat, cui tantum tri-
buit gratiæ, ipſiſmet oculis veſtris conſpicuæ.

Tertia ratio petitur ab exemplo Abrahæ, h. m. ſicut Abraham
juſtificatus eſt, ſic omnes ejus filios juſtificari oportet. At juſtificatus
eſt ex fide ſine operibus. E. ſic omnes ejus filios juſtificari oportet.
Eodem argumento uſus eſt ſuprà Rom. 4, 1. 2. &c.

6 Aſſumptum confirmat ipſiſſimis verbis Moſis Gen. 15. *Sicut*
Abraham credidit DEO, & reputatum eſt illi ad juſti-
7 *tiam.* Inde concludit enthymematicè: *Cognoſcitis ergò qvod*
qvi ex fide ſunt, hi ſunt filii Abrahæ.

Qvarta ſumitur à veteris ſcripturæ definitione, hoc pacto:
DEUS promiſit gentibus benedictionem in Abrahamo. Ergo qvi
credunt illi, benedicuntur. Conſeqventia inde patet, qvod ſicut
Abraham promisſionis iſtius particeps factus eſt per fidem, eodem
modo etiam gentes ejusdem conſortes fieri oportet. In hunc ſen-
8 ſum verba Apoſtoli collimant planiſſimè. *Providens autem*
Scriptura, qvia ex fide juſtificat gentes DEUS, præ-
nunciavit Abrahæ, (προευηγγελίσατο, evangelio promiſit an-
tea:) *Qvia benedicentur in te omnes gentes* (qvatenus
9 proditurum eſt de te ſemen, benedicturum omnibus.) *Igitur qvi*
ex fide ſunt, benedicuntur cum fideli Abraham, (capa-
ces benedictionis per eandem fidem, per qvam ipſe eorum pater
eam conſecutus eſt.)

Qvintam rationem ſuppeditat legis effectus proprius in homine
peccatore, qvi eſt maledicere, non benedicere. Argumentum Apo-
ſtoli tale eſt: Qvicunqve non manet in omnibus, qvæ ſcripta ſunt
in libro legis, ex eâ maledictus eſt. Nemo hominum manet in omni-
bus, qvæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea. Ergò omnis homo ex
lege maledictus eſt. Et per conſeqvens, ex operibus legis nemo ju-
ſtificabitur, ſed ex fide Evangelii tantùm. Propoſitio eſt Moſis
Deut.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Deut.27,26. Aſſumptio tanqvam plana omittitur. Concluſio cum
Propoſitione effertur his verbis. *Qvicunq; enim ex operibus* 10
legis ſunt,(non ex fide,hoc eſt,qvicunqve relictâ fide,ex lege ju-
ſtificari cupiunt, operibus ſuis fidentes) *ſub maledicto ſunt.*
Scriptum eſt enim: Maledictus eſt omnis,qvi non per-
manſerit in omnibus,qvæ ſcripta ſunt in libro legis, ut
faciat ea.

Sextò argumentatur à forma juſtificationis in ſcripturis præſcriptâ,
& confirmat eam ab oppoſitis hoc pacto: Si ex fide vivit juſtus,nō ex
operibus. At ex fide vivit juſtus. Ergò non ex operibus. Conſeqventia
firmatur è natura oppoſitorū,qvia fides & opera opponuntur. Lex e-
nim non agit de fide propriè,ſed opera reqvirit. Aſſumptū patet teſti-
monio Habacuc Prophetę. Verba clarēt: *Qvoniam autem in le-*
ge nemo juſtificatur apud DEUM, manifeſtum eſt, 11
qvia juſtus ex fide vivet. Lex autem non eſt ex fide, 12
(non ait,victurum eum qvi credat,) *ſed qvi fecerit ea homo,*
vivet in illis. Levit.18,5. Ezech.20.11.Deut,30,12.Rom.10,5.

Septimam rationem largitur Apoſtolo effectus obedientiæ Chri-
ſti proprius,qvam ſic informo: Qvod CHRISTUS obedientiâ mor-
tis ſuæ comparavit,id fide percipiendum. Liberationem à maledi-
ctione,& benedictionem illi ſuccedentem, CHRISTUS obedientiâ
mortis ſuæ comparavit. Ergò fide percipienda eſt. Major conſtat.
Nam qvod CHRISTUS meruit,id nihil opus eſt nos mereri, ſed fide
accipere opus eſt. Aſſumptum aſſerit & confirmat ex ipſe libro legis,
Deut. 21,23. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, fa-*
ctus pro nobis maledictum. Qvia ſcriptum eſt: male- 13
dictus omnis qvi pendet in ligno.(ipſo ergo hoc factus,qvod
nos eramus, maledictionis reatum ſolvit.) *Ut in gentibus*
(gentes) *benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Jeſu, ut* 14
pol-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. (Neqve enim poterat benedictio provenire, niſi maledictione ſublata; Neqve Spiritus adoptionis promiſſus accipi, niſi per fidem. Promiſſiones enim fide percipiuntur, non operibus.)

Octavam probationem captat à ſimili politico, qvod proponit &
15 applicat. πρότασις ita habet: *Fratres, ſecundum hominem*
dico, i. e. humanitus loqvor, *tamen hominis confirmatum*
teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat. Ἀπόδοσις
16 ſic: *Abrahæ autem dictæ ſunt promiſſiones & ſemini*
ejus. Non dicit, & ſeminibus, qvaſi in multis, ſed qvaſi
in uno, & ſemini tuo (vel ſemine tuo benedicentur omnes gen-
17 tes) *qvi eſt Chriſtus.* Explicat vim argumenti: *Hoc autem*
dico, Teſtamentum confirmatum (προκεκυρωμένην antea)
à DEO (εἰς Χριστὸν) *in Chriſtum, qvæ poſt qvadringen-*
tos & triginta annos facta eſt lex, non irritum facit,
ad evacuandam promiſſionem. Hoc vult Apoſtolus: Pactio inita cum Abrahamo, de benedicendis in ipſius ſemine omnib9 gentibus, & qvæ illi beneficio cohærebāt, de danda ſemini ipſius terrá Canaan, & multiplicando eo ad inſtar ſtellarum, & arenæ maris, præceſſit promulgationem legis totis 430. annis. Ergò illa benedictio non pendet ex lege aut operibus ejus, ac proinde iis non obtinetur, ſed ſolá fide.

Itaqve pergit: *Si enim ex lege eſt hæreditas, jam non*
18 *ex promiſſione. Abrahæ autem per promiſſionem dona-*
vit DEUS. (Ergo non legis operibus eam tribuit, niſi qvis velit dicere, DEUM ſuæ pactioni ſeu teſtamento ſemel confirmato & jurato, deinceps aliqvid ſuperaddidiſſe, aut detraxiſſe, qvod blaſphemum.)

Anteqvam progrediatur ad reliqvas probationes, oportunè inſerit ſolutionem qvarundam objectionum, ex hoc argumento qvaſi naſcentium. Atqve hæc *altera hujus capitis portio eſt.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Prior objectio hæc eſt: Si ex lege non eſt hæreditas, *ad qvid ergò*
data eſt? Videtur enim fruſtrà eſſe data, qvod non cadit in DEI ſa-
pientiam.

Reſpondet eſſe cauſam cur data ſit. *Propter transgreſ-* 19
ſiones (indicandas, manifeſtandas, & ſic cohibendas) *poſita eſt,*
(προσετέθη, appoſita eſt teſtamento anteà confirmato) *donec ve-*
niret ſemen, cui promiſerat (ᾧ ἐπήγγελται, in qvô promiſſum
eſt) *ordinata per Angelos* (qvi erant cum DEO in monte Si-
nai, canentes tubâ, Exodi 20, 18. & converſantes cum Moſe in nu-
bibus ſuper monte Sinai, qvadraginta dies & noctes, Exod. 24, 18. re-
præſentantes ei typos rerum in Tabernaculo faciendarum, Exod. 25.
9. & 40. per qvos haud dubiè accepit etiam tabulas lapideas, digito
DEI ſcriptas. Exod. 31, 18. Pſ. 68. 18.) *in manu mediatoris* (Moſis.
Hebr. 8, 6.) *Mediator autem unius non eſt. DEUS au-* 20
tem unus eſt. Ergo DEI mediator non erat Moſes, ſed populi
apud DEUM. DEUS enim, unus qvippe, alio qvodam à ſua parte
mediatore non utitur. At homines, utpote plures, mediatore & indi-
gent & uti poſſunt. Unde apparet, qvod DEUM attinet, immutabi-
lem illum eſſe tanqvam unicum, nec qvicqvam ſuæ pactioni voluiſ-
ſe aut potuiſſe detrahere. At populum ob transgreſſiones mediato-
re indiguiſſe qvod nec audire legem poſſet ſine præſentiſſimæ mor-
tis periculo. Ideò anxiè mediatorem poſtulabant, & tunc qvidem
iſtius teſtamenti impetrabant Moſen, ſed promittebatur alius me-
lioris teſtamenti mediator, ſuo tempore venturus, qvi eſt homo
CHRISTUS JESUS, Deut. 18, 15. 16. 1. Timoth. 2, 5. Qvi ſi tantùm
DEUS eſſet, mediator eſſe non poſſet, cùm ſit DEUS unus. At
qvia etiam homo eſt, mediator eſſe poteſt, & eſt ex parte hominum,
reconcilians eos DEO. Hebr. 9, 15. & 12, 24.

Poſterior objectio talis eſt: Si lex ad revelandas prævaricationes
appoſita eſt promiſſionibus, & mediatore eguit, per qvem perferre-
tur ad homines, DEI conſpectum & præſentiam non ferentes, vide-
tur eſſe contra promiſſiones DEI, qvibus gratis benedictio & hære-
ditas vitæ donatur. Negat Paulus conſeqventiam dicens: *Abſit,* 21

Et ſic porro explicat, qvid lex non posſit & qvid poſſit, ac qvo fine
data ſit.

Deniq; legem non adverſari promiſſionibus, ſed ad eas ducere, &
qvaſi cogere, ſimilitudinibus declarat. Primum ſic arguit. In eo qvod
neqvit lex, minimè adverſatur Evangelio; At non data eſt, ut vivifi-
care posſit. E. non adverſatur Evangelio juſtitiam & vitam pro-
mittenti. *Si enim data eſſet lex, qvæ vivificare poſſet,*
verè ex lege eſſet juſtitia, (atqve ſic non ex promiſſione.) Dein-
de aliam eſſe intentionem legis, non tàm adverſantem, qvàm ſub-
ſervientem Evangelio, indicat. Neqve enim data lex eſt, qvæ vivifi-
22 care poſsit; *ſed concluſit ſcriptura* (Legis) *omnia ſub pec-*
cato: (arguit & damnat omnia hominis peccata,) *ut promisſio*
ex fide JESU CHRISTI daretur credentibus (ſeu in
ipſum venturum, durante adhuc legis pædagogiá, ſeu exhibitum.)
Nunc declarat rem ſimilitudinibus civilibus & domeſticis. Duæ
hoc capite. Tertia ſeqventi continetur. *Prima* eſt depromta à lo-
23 cis tenebroſis, qvales ſunt carceres aut umbracula. *Prius autem*
qvam veniret fides (revelaretur clarius) *ſub lege cuſtodie-*
bamur, (tanqvam umbraculo) *concluſi* (vi minarum & maledi-
ctionum) *in eam fidem*, (præconcipiendam) *qvæ erat reve-*
landa, i. e. planiſsimè aperienda in CHRISTO. *Altera* ſumpta eſt
à Pædagogi officio, qvod non adverſatur perfectiori libertati, ſed ad
24 eam qvaſi manu ducit. *Itaq; lex Pædagogus noſter fuit*,
(inſtituit, caſtigavit, coërcuit, ſpe præmiorum & metu plagarum qva-
ſi puerilium egit, ut Pædagogus ſolet) *in Chriſtum* (expectandum)
25 *ut ex fide juſtificaremur*, (non ex legis operibus.) *At ubi*
venit fides (revelata in CHRISTO exhibito & agnito) *non am-*
plius ſumus ſub Pædagogo. (Qvicunqve enim revelatam in
CHRISTO fidem habet, intelligit minis legis ſe non teneri, & præ-
mia expectat majora, qvàm eſt omnis felicitas hujus ſeculi. Contrà
qvi fide adhuc caret, ſub lege manet, terrendus & percellendus minis
ejus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ejus, donec CHRISTI fides in ipſo reveletur.) *Omnes enim filii* 26
DEI eſtis, (idqve ex revelata fide ſcitis) *per fidem qvæ eſt*
in CHRISTO JESU. Qvicunq; enim in CHRISTO 27
(CHRISTUM) *baptizati eſtis*, *CHRISTUM induiſtis*,
(veſtiti juſtitia & innocentia ejus, tanqvam veſtrâ, ac per ipſum
adoptati ad regni cœleſtis hæreditatem. Exſpirat hîc omnis differentia
gentium & Judæorum, ſexuum, conditionum, qvæ vigebat ſub
Veteri Teſtamento.) *Non eſt Judæus, neq; Græcus, non eſt* 28
ſervus, neq; liber, non eſt maſculus neq; fœmina. Omnes
enim vos unum (εἷς unus) *eſtis in CHRISTO JESU.*
i. e. tanqvam unus homo eſtis in CHRISTO, qvi veſtrûm omnium
vice fuit, & eſt coram DEO. In ipſo omnes tanqvam unus homo,
mortui, ſepulti, reſuſcitati, & collocati eſtis in cœleſtibus, ſive Judæi,
ſive Græci, ſive mares, ſive fœminæ, ſive ſervi, ſive liberi. *Si autem* 29
vos Chriſti, ergò Abrahæ ſemen eſtis, (cujus ſemen verum
tantùm reputatur in Chriſto, Rom 9. 7. 8.) *& ſecundùm promiſ-*
ſionem hæredes.

CAPUT QVARTUM.

PErgit *ſimilitudine* adumbrare officium Legis, novisq; argumentis oſtendere, qvòd absqve operibus Legis juſtitia & ſalus obtineatur.

Partes ergò capitis iterum *duæ ſunt*. *Prima* demonſtratur, qvomodo Lex non adverſetur promiſſionibus DEI, ſed ancilletur. *Altera*, qvòd opera Legis non ſint urgenda tanqvam neceſſaria ad ſalutem.

Primùm adſert *tertiam ſimilitudinem* præcedenti tamen affinem. Nam ſicut ephebus pædagogo, ſic etiam curatoribus indiget. Vetus autem populus, itemq; alii DEUM & Chriſtum nondum ſcientes, ut docet, infantes, parvuli, ephebi ſunt. Ergò legalibus traditionibus tanqvam pædagogiâ & curatione tutoriâ reguntur.

Bipartita eſt ſimilitudo, προτάσει καὶ ἀποδόσει conſtans.

1 Proponitur hoc modo: *Dico autem, qvantô tempore*
hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, qvum ſit Do-
2 *minus omnium. Sed ſub tutoribus & actoribus* (diſpen-
ſatoribus) *eſt, usq; ad præfinitum tempus à patre*, ſcil. qvô
majorennis jam & adultus ipſam hæreditatis adminiſtrationem &
uſurpationem adeat.

Applicatur dupliciter, *primò* qvoad ſtatum pueritiæ: *deinde* qvo-
ad ætatem maturam. Nam primùm ait: *Ita & nos, qvum eſ-*
3 *ſemus parvuli*, (hæredes qvidem eramus regni DEI per fidem
& expectationem Mesſiæ, ſed nondum revelatô ipsô Mesſiâ,)
ſub elementis mundi eramus ſervientes, (adſtricti ad tem-
plum, altare, ſacerdotium externum, aliasq; elementorum aut crea-
turarum corporalium obſervationes.)

Deinde maturitatem ætatis & judicii cum hæreditatis uſurpa-
tione ſic accommodat: *At ubi venit plenitudo temporis*
4 (à DEO definiti) *miſit DEUS Filium ſuum, factum ex*
muliere, (ex Mariæ Virginis mulieris ſemine,) *factū ſub Lege*,
5 (tanqvam ſervum & maledictum,) *Ut eos, qvi ſub Lege erant,*
redimeret, ut adoptionem filiorum conſeqveremur,
i. e. ipſam hæreditatis prædeſtinatæ fruitionem adipiſceremur, non
ſervilem in modum legalibus minis & maledictionibus attineremur
ampliùs.

Adoptionis hujus *fruitionem ex affectu & affectûs illius autore arguit.*
6 *Qvoniam autem eſtis filii, miſit DEUS Spiritum Filii*
ſui in corda veſtra, clamantem (in ipſis cordibus per ora ve-
ſtra) *Abba Pater.* (Syriacè apud Judæos, Pater apud Græcos La-
7 tinosq;.) *Itaq; jam non eſt ampliùs ſervus* (hæres,) *ſed*
filius. Qvod ſi filius, & hæres DEI, (non ſolâ deſtinatione,
ſed & agnitione ac fruitione) *per Chriſtum.* Hactenus ſimilitudi-
nes, qvibus objectionis ſecundæ refutatio illuſtrata eſt.

Rever-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Revertitur deinceps ad probationes, qvibus neceſſitas operum legalium deſtruitur, fidei ad ſalutem ſufficientia adſtruitur.

Nona igitur *ratio* petita eſt à conſeqventi pernicioſô, in hanc ſententiam. Qvæ opinio facit, ut Galatæ parum diſtent à priſtinis erroribus, ea abjicienda. At opinio de legalium operum neceſſitate, ad ſalutem, facit, ut parum diſtent à priſtinis erroribus. Ergò ea abjicienda. In aſſumptione oſtendenda occupatur Apoſtolus, qvæ ſola omnium judicio venit demonſtranda. Confert ergò errores priſtinos, qvos exuêre, cum iis, qvibus nunc ſe implicant denuò. *Sed tunc qvidem*, (anteqvam Chriſtus veniret vosq; eum 8
cognoſceretis,) *ignorantes DEUM, iis, qvi naturâ non*
ſunt Dii, (ſed ſtultâ hominum opinione) *ſerviebatis. Nunc* 9
autem qvum cognoveritis DEUM, imò agniti ſitis à DEO, (qvi hactenus vos tanqvam peregrinos & ignotos prætererat, Act. 14, 16. & 17, 30.) *qvomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, qvibus denuò ſervire vultis?* (in qvibus nihil virtutis aut ſalutis eſt.) Exemplum profert:
Dies obſervatis & menſes, & tempora, & annos, 10
(tanqvam in iis juſtitia qvædam aut ſalus ſita ſit, prout Judæi ſomniant.) *Timeo vos, ne fortè ſine causâ laboraverim in* 11
vobis, (nimirum ne Ethnicam ſuperſtitionem cum Judaicâ commutetis.)

Decima probatio ab ipſius Apoſtoli imitatione capitur, qvæ ut tantò ſit jucundior efficaciorq;, memorat qvanti olim ab illis factus ſit, nullamq; eſſe cauſam, cur nunc aliter de ſe ſtatuant. Syllogiſmus emerget talis: Qvem Galatæ tanqvam Angelum Dei receperunt, qviq; eos ardenter diligit, ejus fidem & ſententiam imitari debent. Paulus eos ita diligit, & tanqvam Dei Angelus ab illis ſuſceptus eſt. Ergò ejus fides & ſententia imitanda.

Concluſio Syllogiſmi, qvæ eſt contextûs propoſitio, ita habet:
Eſtote ſicut ego, qvia & ego ſicut vos, Chriſtianus ſcilicet 12
ſalutis in JEſu Chriſto avidus, juxta ac vos eſtis. *Fratres, obſe-*

cro vos, nihil me læſiſtis, ſcil. unde vos odiſſe cupiam, aut decipere velim.

Minor aſſeritur, primò qvoad ſuſceptionem & exiſtimatio-
13 nem Apoſtoli h. m. *Scitis autem, qvia per infirmitatem*
carnis evangelizavi vobis jam pridẽ, (τὸ πρότερον, prius.)
14 *Et tentationem meam in carne meâ* (vobis notam, fortè
colaphizationem Satanæ, 2. Corinth. 12, 7. aut perſecutiones qvo-
tidianas) *non ſprevistis, nec reſpuiſtis, ſed ſicut Ange-*
15 *lum DEI excepiſtis me ſicut Chriſtum JEſum. Ubi*
eſt ergò (τίς οὖν ἦν, qvænam erat ergò) *beatitudo veſtra?*
q. d. qvàm beati eratis tunc. *Teſtimonium enim perhibeo*
vobis, qvia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis &
dediſſetis mihi. (Nihil qvantumvis acerbiſſimum pro me re-
nuiſſetis pati.)

Porrò prolepticè *objectionem præoccupat*, qvòd amorem ſuum
in odium nunc juſtè commutârint Galatæ, ac proinde rectiùs alios
16 imitentur, qvàm Paulum. Reſpondet Apoſtolus: *Ergò inimi-*
cus veſter factus ſum, verum dicens vobis? q. d. Nihil
iniqvius, qvàm veritatis causâ odiſſe, qvem anteà intimè dilexe-
ris. Imò tantò magis diligendus talis, qvantò ſinceriorem ſe ami-
17 cum gerit. Itaqve ait: *Æmulantur vos non benè*, (perverſi
amoris zelo aguntur Pſeudapoſtoli,) *ſed excludere vos volunt*
(amore mei & Chriſti, aut nos amore veſtrô,) *ut illos æmulemi-*
18 *ni. Bonum autem æmulamini* (prava verſio τὸ ζηλοῦσθαι, æmu-
lari) *in bono ſemper, & non tantùm qvum præſens ſum*
apud vos. h. e. ſi anteà rectè me æmulati eſtis præſentem, ergò
nunc etiam abſentem. Nunqvam enim non fervidos decet eſſe ze-
lotas bonorum.

Deinde aſſerit minorem, qvod attinet amorem in Corinthios

ſuum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſuum, utens ſimili naturali, dum ait: *Filioli mei, qvos ite-* 19
rum parturio, (ſemel genitos in Chriſto per Evangelium, 1. Co-
rinth. 4,15. nunc denuò qvaſi parturire cogor,) *donec formetur*
Chriſtus in vobis, puta qvoad ſapientiam & juſtitiam veritatis.
Chriſtus enim ſpiritualiter gignitur & formatur in nobis, qvando
nos regignimur in ipſo. Vetus enim Adam moritur, ſecundùm
cujus ſimilitudinem nati ſumus carnaliter: Novus homo vivere
incipit in nobis, & ſic qvodammodo formatur, qvando ſapientia
& juſtitia ejus per regenerationem & renovationem in nobis ac-
cenditur. Sic Eccleſia parturit Chriſtum in gentibus, Apoc. 12, 3. 4. 5.
Vellem autem adeſſe apud vos modò, & mutare vocem 20
meam, (qvemadmodum ſolent parturientes flebili & ad miſeri-
cordiam compoſitâ oratione uti,) *qvoniam confundor*
(ἀποροῦμαι, angor animi) *in vobis*, (qvemadmodum ſolet in fœtu
nondum planè editô mater.)

Seqvitur *undecimum argumentum* pro fidei ad ſalutem ſufficientiâ, ductum ex hiſtoriâ filiorum Abrahæ & allegoricè expoſitum. Argumentum ſtruo tale: Præfiguratum eſt olim in Iſmaële & Iſaaco filiis Abrahæ, filios ſecundùm carnem genitos per Legem eſſe ſervos, filios autem juxta Spiritum genitos per Evangelium, liberos & hæredes. Vos ſecundùm Spiritum eſtis per Evangelium geniti. Ergò vobis non in Lege, ſed Evangelio, non in Veteri, ſed Novô Teſtamento libertas & hæreditas filiorum DEI ſita, & per conſeqvens non operibus Legis; ſed fide in Chriſtum comparanda eſt.

Propoſitionem ita tractat Apoſtolus, ut primò narret breviter hiſtoriam filiorum Abrahæ. Secundò applicet eam & exponat allegoricè tribus partibus.

Primâ deſcribitur conditio filiorum utriusq; teſtamenri. Secundâ ingenium. Tertiâ hæreditas. Poſtremò ſubjicitur Concluſio.

Aſſumptio extat verſ. 26. 28. 31. unde Concluſionem inferre promptum eſt.

Incipit velut per ἀνακοίνωσιν interrogatoriam: *Dicite mihi,* 21
qvi

qvi ſub Lege vultis eſſe, Legem non legiſtis? (ἀκούετε,
auditis, h.e. qvi ad Legem vosmetipſos adſtringitis ſervandam, li-
bros Moſis legite, qvi Lex ſolent appellari. Ex iis patebit, qvàm
ineptè Legi vos ſubjiciatis, per eam ſalvari qværentes.
22 *Scriptum eſt enim* (Gen.16. & 21.) *qvod Abraham*
duos filios habuit, unum de ancillâ, & unum de liberâ.
23 *Sed qvi de ancilla, ſecundùm carnem* (conſilium & viam
carnis) *natus eſt, qvi autem de liberâ, ſecundùm repro-*
miſſionem.(Contra conſilium & rationem carnis.) Applicatio ſe-
24 qvitur: *Qvæ ſunt per allegoriã dicta. Hæc enim ſunt duo*
Teſtamenta. Unum qvidem (vetus) *à monte Sina*, (ex qvo
Lex provenit,) *in ſervitutẽ generans, qvæ*(qvod) *eſt Agar.*
h.e. Sicut Agar in ſervitutem genuit Iſmaëlem, ſic Vetus Teſtamen-
tum de monte Sinai acceptum in ſervitutem generat inhærentes
ei. Ratio allegoriæ petitur ex nomine ac ſitu montis Sinai, & con-
firmatur teſtimonio Eſaiæ Prophetæ cap.54,1. verſionem vulga-
25 tam hîc deſero ut vitioſam. *Agar enim Sina mons eſt in*
Arabiâ, i.e. Agaris nomen tribuitur monti Sina, & convenien-
ter qvidem, qvia Arabia ab Agarenis habitatur. *Coordinata*
eſt autem (συστοιχεῖ in eodem ordine & ſerie eſt,) *ei, qvæ nunc*
eſt Jeroſolymæ. Servit autem cum filiis ſuis. Qvemad-
modum ſcil. Arabes ſervi ſunt, qvia à ſerva orti, ſic Jeroſolymitæ
hodierni ſimiliter ſervi ſunt ſpiritualiter, qvia ex ſua Agar, Teſta-
26 mento in Agarenorum terrâ publicato, geniti. *Illa autem, qvæ*
ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, qvæ eſt mater omniũ
noſtrorum. (Prophetæ enim & ſancti cœleſtis Jeroſolymæ cives,
per verbum & Spiritum Chriſti nos procreârunt, eatenus liberæ il-
27 li & piæ Saræ ſimilimi.) *Scriptum eſt enim, Lætare ſterilis,*
qvæ non paris: erumpe & clama, qvæ non parturis.
Qvo-

Qvoniam multi filii deſertæ magis, qvàm ejus, qvæ
habet virum. (Cœleſtis Jeroſolyma diu ſterilis, inſtar Saræ, fœ-
cundisſima filiorum fore prædicitur, qvemadmodum nunc appa-
ret, Evangelio in gentibus prædicato, eam ſubitò abundare filiis,
qvæ deſerta antehac & vidua apparebat, mundanâ interim Jero-
ſolymâ, inſtar Agaris, per Legem filios procreante, ſervituti obno-
xios.) *Nos autem fratres, ſecundùm Iſaac, promisſio-* 28
nis filii ſumus, nimirum juxta illam propheticam promisſio-
nem prognati. Sic conditionem Judæorum Legi inhærentium, &
reliqvorum Evangelio credentium depinxit. Nunc ingenium am-
borum adumbrat. *Sed qvomodo tunc is, qvi ſecundùm* 29
carnem natus fuerat, perſeqvebatur eum, qvi ſecun-
dùm Spiritum, ſcilicet Iſaacum, irridendo & contumeliis affi-
ciendo, Gen. 21, 9. *Ita & nunc.* Judæi qvippe carnales filii Abra-
hæ perſeqvuntur ſpirituales ejus filios, Apoſtolos & omnes cre-
dentes.

Tertiò carnales hæreditatis expertes, ſpirituales ſolos compo-
tes ejus fore, Scripturis comprobat. *Sed qvid dicit Scriptu-* 30
ra? (Gen. 21, 10.) *Ejice ancillam & filium ejus. Non enim*
hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaq; fratres, 31
non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ. Conſeqventer hæredes,
non exhæredes regni DEI, idq; per fidem Evangelii ſeu Novi Teſta-
menti, non per opera Veteris.

CAPUT QVINTUM.

PErtexit orationem de cavendo doctrinæ Phariſaicæ fermento, & transit ad alteram ſui Evangelii partem, qvæ agit de operibus in Lege qvidem præceptis, at ſecundùm Spiritum faciendis.

Igitur *duodecimum* adverſus operum neceſſitatem *argumentum* ducitur à pernicioſis conſeqventibus, in hanc ſententiam; Turpe eſt liberatum denuò ſervituti ſe mancipare. Pernicioſisſi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

mum à Chriſto partam ſalutem ſibimetipſi præcidere. At qvi ope-
ribus juſtificari cupit, ſervituti ſe novæ mancipat, & gratiá Chriſti
excidit. Ergò rem turpem & pernicioſam admittit.

1 Major ſic exprimitur: *Igitur qvâ libertate Chriſtus*
nos liberavit, ſtate, & nolite iterum jugo ſervitutis
contineri, q.d. turpe eſt, liberatum redire ad ſervitutis jugum.

2 Minor ita: *Ecce ego Paulus dico vobis, qvoniam ſi*
circumdamini, (tanqvam ex Legis neceſſitate opus hoc im-
3 plentes,) *Chriſtus vobis nihil proderit. Teſtificor autem*
rurſus omni homini circumcidenti ſe, (qvi circumciditur
opinione neceſſitatis,) *qvoniam debitor eſt univerſæ Le-*
gis ſervandæ, (& ſic intolerabili jugo collum ſuum ſpontè ſub-
dit, à qvo per Chriſtum liberatus eſt. Nam qvi per opera ſalvari cu-
pit, & Legem implendam à ſe ſtatuit, is ſi unum opus hác intentio-
ne faciat, id neqvaqvam ſufficit, ſed oportet, ut univerſam Legem
4 impleat:) *Evacuati eſtis à Chriſto, qvi in Lege juſtifica-*
mini, à gratia excidiſtis. (Nam ſi ex operibus, non ex gratia:
ſi ex gratia, non ex operibus, Gal. 2, 21. Rom. 11, 6.)

Concludit hunc Tractatum ἀνακεφαλαιώσει, indignatione &
conqveſtione.

Ἀνακεφαλαιώσει diffusè dicta in pauca verba colligit:
5 *Nos enim* (inqvit) *Spiritu* (adoptionis) *ex fide* (juſtificati)
ſpem juſtitiæ (perfectæ, habitualis) *expectamus*, conſum-
mandam, ſcilicet, in revelatione JEſu Chriſti. Nam qvi Spiritum
habet, juſtificatus qvidem eſt fide, juſtitiâ imputatâ: Sed idem ex
eâ fide exſpectat complendam in ſe ipſo juſtitiam abſolutiſſimam,
qvando totus homo plenè reformabitur ad imaginem DEI, in glo-
6 rioſo illo die JEſu Chriſti. *Nam in Chriſto JEſu neq; cir-*
cumciſio aliqvid valet, neq; præputium, ſed fides, qvæ
per charitatem operatur. (Non qværitur, utrum Chriſtianus
circumciſus ſit, an præputiatus, ſed utrum fidem habeat per cha-
rita-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ritatem operantem, qvæ ſola fides vera eſt. Nam ſi qvis fidem abſqve ſpe abundantioris juſtitiæ, & abſqve charitatis operatione habeat, non veram vivamq; fidem, ſed mortuam illam habet, qvâ etiam Diaboli credunt, & contremiſcunt. Qvanqvam enim operans charitatem, non qvà operans, ſed qvà credens juſtificatur, docente Paulô, Rom. 4,5. nullus tamen verè credens, non etiam operatur juſtitiam & charitatem.

Conqvæſtione Galatarum affectum excitat. *Currebatis benè,* 7
qvis vos impedivit veritati non obedire? Perſvaſio 8
non eſt ex eo, qvi vocat vos. (Ergò à Satana.) *Modicum* 9
fermentum totam maſſam corrumpit. (Simile uſitatum
Chriſto, Matth 16,6. Marci 8,15. Luc. 12,1. & Paulo, 1. Cor. 5,6. Mo-
dicum enim deceptionis Satanicæ totam doctrinam pervertit.)

Indignatione conficit, ut odium, & culpa omnis in ſeducto-
res transferatur, de Galatis autem ipſis haud deſperari ſignificetur.
Ego (inqvit) *confido in vobis* (εἰς ὑμᾶς, qvoad vos) *in Domi-* 10
no, qvòd nihil aliud ſapietis, (nempe qvàm à nobis olim præ-
dicatum, & nunc præſcriptum eſt:) *Qvi autem conturbat*
vos, portabit judicium, qvicunq; ille. A ſe qvidem procul
abeſſe culpam, è perſecutionibus evincit. *Ego autem, fra-* 11
tres, ſi circumciſionem adhuc prædico, qvid perſecutio-
nem patiar? Ergò evacuatum eſt ſcandalum crucis.
(Non eſt ampliùs Judæis ſcandalum Chriſtus crucifixus, 1. Cor. 1,23.)
Utinam & abſcindantur (evacuentur,) *qvi conturbant* 12
vos. Hucusqve prima pars ἐκθέσεως Epiſtolicæ, qvòd fide juſti-
ficemur, absqve operibus Legis.

ALTERA PARS EXPOSITIONIS EPISTOLARIS DE OPERATIONIBUS FIDEI ERGA PROXIMUM.

Trimembris eſt hic Tractatus, Propoſitione, Explicatione & Concluſione conſtans.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Propoſitio ſic comparata eſt, ut doctrinam operum pulchrè annectat præcedenti diſſertationi de officio fidei erga DEUM, qvoad hominis juſtificationem. *Vos enim* (ait) *in libertate* (ſpirituali) *vocati eſtis fratres; Tantum ne libertatem in occaſionem detis carni,* (pravæ naturæ.) *ſed per charitatem ſervite invicem.*

13

Explicatio hujus Propoſitionis & Confirmatio eſt vel *generalis*, vel *ſpecialis*.

Nam *Primùm* declarat *generaliter*, Legem in Spiritu liberè fieri à renatis, ab illius ſervili jugo exemtis.

Deinde ſpeciatim à certis qvibusdam vitiis avocat, & ad certa qvædam opera inſtigat, ſub finem hujus capitis.

Ad *generalem declarationem* qvod attinet, veritatem datæ Propoſitionis adſtruit à divino teſtimonio, ab inutili, facili, decoro. Tùm enumerat, qvàm latè ipſa pateat.

Etenim *primò*, qvod in charitate exerceri conveniat credentes ex præſtantia ejus arguit, Legis teſtimonio comprobata.
14 *Omnis enim Lex in uno ſermone impletur, diliges proximum tuum ſicut teipſum.* (Qvicqvid enim Lex tradit ad proximum, aut fratrem pertinens, id unicò illô ſermone continetur, qvemadmodum Rom.13. oſtenſum eſt. Qvapropter huic præcepto totis viribus incumbendum eſt.

Secundò, ſi carni qvis frenos laxet, perniciem inde naſci ſubin-
15 nuit: *Qvod ſi vos invicem mordetis & comeditis,* (charitatis obliti,) *videte, ne ab invicem conſumamini.* (Omne enim regnum in ſe diviſum deſolatur, Luc. 11, 17. Eſa. 9, 20.21. Zach. 11, 9.)

Tertiò haud impoſſibile eſſe commonſtrat, charitate ſervire proximo, & carnem comprimere, qvod Spiritûs Sancti virtute do-
16 nati ſunt fideles. *Dico autem, Spiritu ambulate, & deſi-*
17 *deria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit adverſus Spiritum,* (in fidelibus & renatis,) *Spiritus autem ad-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,:266)

adverſus carnem. Hæc verò ſibi invicem adverſantur,
ut non qvæ vultis, illa faciatis. (Nam ſi absqve Spiritu eſſe-
tis, faceretis qvicqvid liberet carni, cui impoſſibile eſt Legem fa-
cere. Contrà ſi absqve carne eſſetis, nulla eſſent in vobis deſide-
ria involuntaria, ſed omnia Spiritus imperata promptiſſimè face-
retis. Jam verò, qvia Spiritus adverſus carnem concupiſcit, am-
bulate Spiritu, & non implebitis carnis deſideria.)

Qvartò, cùm decorum ſit libertate ſuâ uti & frui, id honoris
obtineri ſcribit, ſi qvis Spiritui obediat. *Qvod ſi Spiritu du-* 18
cemini, non eſtis ſub Lege. (Qvanqvam qvæ Legis ſunt, faci-
tis, tamen Lex qvoad coactionem, minas & maledictionem ſuam
vos non obſtringit. Si verò Spiritus ductum excutiatis, reciditis
ad vetuſtatem literæ, & denuò maledictioni ſitis obnoxii.)

Jam ut conſtet, qvæ ſint carnis, qvæ Spiritus opera ἀπαριθ-
μήσει recenſentur, atqve ſic tùm Propoſitio generalis, tùm argu-
menta ejus explanantur. *Manifeſta autem ſunt opera car-* 19
nis, qvæ ſunt adulterium, fornicatio, immundicia,
(ut maſculorum concubitus, maſturbatio, aliaq; infanda peccata,)
luxuria, (obſcenitas & effrenitas laſciva, qvæ contra ſextum
præceptum militat.) *Idolorum ſervitus,* (contra primum,) 20
veneficia, (contra ſecundum,) *inimicitiæ, contentiones*
(verborum,) *æmulationes* (ſuperbæ,) *iræ, rixæ,* (irritationes
ad iras & odia,) *diſſenſiones,* (diſcordiæ,) *hæreſes,* (ſtudio vin-
cendi, decipiendi aut offendendi confictæ, qvæ qvà proximum
lædunt, contra qvintum & octavum, qvà DEUM, contra totam
priorem tabulam pugnant,) *invidiæ, homicidia,* (contra qvin- 21
tum præceptum,) *ebrietates, comeſſationes,* (qvæ qvà corpus
enecant, qvinto; qvà libidinem irritant, ſexto; qvà bona ſeculi
diſſipant, ſeptimo præcepto adverſantur,) *& his ſimilia,*
(ut injuſtitia, avaritia, maledicentia,) *qvæ prædico vobis, ſicut*

& prædixi, qvoniam ſiqvi talia agunt, (qvà talia agunt
nec reſipiſcunt,) *regnum DEI non conſeqventur*. (Fiunt
enim ſub Legis maledictione, qvia excuſsò Chriſti Spiritu non
22 ſunt Chriſti ampliùs.) *Fructus autem* (qvia DEO & proximo,
ipſiq; etiam facienti prodeſt,) *Spiritus eſt charitas, gau-
dium, pax, patientia*, (longanimitas, μακροθυμία,) *benigni-
23 tas* (erga proximum,) *bonitas, fides*, (integritas ſeu ſinceritas,)
manſvetudo, continentia. (Vulgata addit, longanimitas, mo-
deſtia, caſtitas. Sed eæ voces haud dubiè è gloſſa qvadam margi-
nali irrepſerunt in textum, qvoniam nihil ſunt aliud, qvàm μακρο-
θυμία, πραότης, ἐγκράτεια.) *Adverſus hujusmodi non eſt
Lex*, (ſed extollit & laudat eos, qvi abundant iſtis fructibus. Ideò
24 non ſunt ſub Lege.) *Qvi autem ſunt Chriſti, carnem cru-
cifixerunt cum vitiis*, (paſſionibus vitioſis, ut ſunt invidiæ, æ-
mulationes, iræ,) *& concupiſcentiis, ideóq; eam non pati-
untur regnare*. In qvibus autem peccatum regnat, non ſunt
Chriſti, ſed mortui, Rom. 8, 13.

Finit partem hanc *generalem* repetitione Propoſitionis: *Si
25 vivimus Spiritu*, (tanqvam liberi,) *Spiritu & ambulemus*,
(non ſervientes carni ad perficiendas cupiditates ejus.)

Specialia præcepta ſunt *duo*. *Primum* dehortatur ab ambitione & invidiâ, & adhortatur ad fraternam ac modeſtam errantium inſtructionem. *Secundò* ad liberalitatem erga miniſterium.

CAPUT SEXTUM.

HOc capite ſpecialia illa præcepta cum Epilogo tàm hujus partis, qvàm totius Epiſtolæ continentur.

Primum ergò præceptum ἀποτρεπτικὸν καὶ προτρεπτικὸν eſt.

26 Dehortatur ab ambitione ejusq; fructibus: *Non efficia-*

mur

mur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invi-
cem invidentes, (qvemadmodum ſolent ambitioſi.) Contrà
verò ait primô verſiculô capitis ſexti. (Nam dehortatio illi con-
juncta, imperitè antecedenti capiti inſerta eſt, ut ſæpè judicium
deſideres in illo primo diviſore capitum.)

Primô igitur verſiculô ait: *Fratres, etſi præoccupatus* 1
fuerit homo in aliqvo delicto, vos qvi ſpirituales eſtis,
hujusmodi (carnis imbecillitate abreptum) *inſtruite,* (καταρ-
τίζετε, reſtituite membra ejus luxata in integrum) *in Spiritu*
manſvetudinis, (absqve ſuperbiâ & ambitione.)

Firmat 1. à communi fragilitate. *Conſiderans,* inqvit,
teipſum, ne & tu tenteris. (Cuivis enim accidere poteſt, cui-
qvam qvod accidit.) 2. A Chriſti Lege & exemplô. *Alter alte-* 2
rius onera portate, (alter alterius pedes lavate,) *& ſic ad-*
implebitis Legem Chriſti, (qvi noſtra onera bajulavit, Eſa.
53,4. noſtros pedes lavit, & exemplum reliqvit, im tandi veſtigia
ipſius, Joh.13,14.15.34. Rom.15,1.) 3. ab ambitionis ac faſtûs vani-
tate. *Nam ſi qvis exiſtimat ſe aliqvid eſſe, qvum nihil* 3
ſit, ipſe ſe ſeducit. (Maximè ſibimetipſi incommodat, ab aliis
non impetrabit, ut pluris fiat qvàm eſt.) 4. à modeſtiæ rectitudi-
ne & neceſſitate. *Opus autem ſuum probet unusqvisq;.* 4
Et ſic in ſemetipſo tantùm gloriam habebit, (gloriatio-
nem ſcilicet bonæ conſcientiæ, 2. Cor. 1,12.) *& non in alterô,*
(aut adverſus alterum. Sufficit enim judicium DEI & conſcien-
tiæ noſtræ, qvæ conſcia eſt DEO, opus noſtrum rectè ſe habere, & in
gloriam ipſius, proximiq; ſalutem dirigi.) *Unusqvisq; enim* 5
ſuum onus portabit, (ac proinde modeſtia omnibus neceſſa-
ria, nihilq; ineptius, qvàm bajulum bajulo onus exprobrare, aut vi-
res ſuas intempeſtivè jactare, anteqvam onere levatus ſit.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

6 *Alterum præceptum* ſimpliciter proponitur: *Communicet*
autem is, qvi catechizatur verbo, ei, qvi ſe catechizat
in omnibus bonis.

Epilogus hujus partis amplificatiunculam cum gravi irriſo-
7 rum deteſtatione complectitur. *Nolite*, inqvit, *errare*, (tan-
qvam libertate abutendum ſit ad omnem carnis licentiam,)
DEUS enim non irridetur, (ſed irriſores irridebit interitu
ſuô, Proverb. 1, 26.) Amplificatiuncula argumenta congerit pon-
deroſisſima, qvibus homo ad bona opera provocari, à malis avo-
cari poteſt, eáq; ſimilitudine allegoricâ, qvam ab agricultura ſum-
8 ſit, repræſentat. *Qvæ enim ſeminaverit homo, hæc &*
metet. Qvoniam qvi ſeminat in carne ſuâ, de carne &
metet corruptionem. Qvi autem ſeminat in Spiritu,
(εἰς τὸ πνεῦμα, in Spiritum,) *de Spiritu metet vitam æter-*
nam. Sicut autem ſator non ex merito, ſed divinâ benignitate
mesſem metit optimam, ſic etiam qvi benè operatur, atqve in Spi-
ritu ad Spiritûs dictamen proſeminat verba factaq; ſua, non ex me-
rito, cùm nec ipſum ſemen de ſuo ſeminet, ſed de ipſius Spiritûs
gratiâ & virtute vitam æternam metet. Simile hoc freqvens eſt
Scripturis, ut Job. 4, 8. Pſal. 126, 6. Proverb. 11, 21. & 22, 8. Eccl. 11, 4. 6.
Eſa. 32, 20. & 55, 10. Jerem. 4, 4. & 12, 13. Hoſ. 8, 7. & 10, 12.)
9 *Bonum autem facientes non deficiamus. Tempore enim*
ſuô metemus non deficientes. Qvamobrem vult dicere, qvi
benè cœpit, benè pergat, nec à bono opere deſiſtat. Mesſis enim il-
10 la diei extremi in ſecula ſeculorum continuabitur. *Ergò dum*
tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè
autem ad (erga) *domeſticos fidei*, (inprimis docentes & labo-
rantes in verbô & doctrinâ, ſuprà verſ. 6.)

Nunc ſubtexit *Perorationem* totius Epiſtolæ, qvâ *primùm* indi-
gnationem concitat in adverſarios, erga ſe verò amorem & ſtu-
dium. *Poſteà* ἀποτόμως decidit univerſa, benedictionem impre-
cans

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

cans ſecum ſentientibus, ac reliqvis omnem ulterioris communi-
cationis ſpem præcîdens. *Deniqve* DEO commendat Galatas.
Videte (inqvit) *qvalibus literis ſcripſi vobis*, (grandisſi- 11
mis ſcilicet, ad teſtandam verborum majeſtatem) *meâ manu*,
(non Tertii, qvi Epiſtolam ad Romanos ſcripſit, Rom.16,22. aut
Notarii alterius.) *Qvicunq; volunt placere*, (εὐπροσωπῆσαι, 12
perſonam vultus gratam efficere aliis) *in carne*, (non in Spiritu,)
*hi cogunt vos circumcidi, ut crucis Chriſti perſecutio-
nem non patiantur*, (Judæis ſatisfaciendo, qvi ut Chriſtum
crucifixêre, ſic crucis ejus vim & meritum adverſus Legem extol-
lentes, crucifigere pergunt.) *Neq; enim qvi circumcidun-* 13
tur, Legem cuſtodiunt, (nec posſunt, cùm ſit onus importabi-
le, Act.15,10.) *ſed volunt vos circumcidi, ut in carne ve-
ſtrâ glorientur*, (ut Judæis glorientur, ſe multos proſelytos fe-
ciſſe, & Galatis Judaiſmum perſvaſiſſe.) Contrarium ſibi ſcopum
longéq; melius ſtudium eſſe ſignificat: *Mihi autem abſit glo-* 14
riari, niſi in cruce Domini noſtri JESU CHRISTI,
(in qva ſanctificatio mea, redemptio, juſtitia & ſapientia, 1. Cor.
1,30.) *per qvem mihi mundus crucifixus eſt*, (ut nihil mihi
valeat, aut adverſus me valeat,) *& ego mundo*, (ut nihil ei vive-
re, aut gratificari, aut ſervire cupiam.) *In Chriſto enim JEſu* 15
neq; circumciſio aliqvid valet, neq; præputium, (qvæ
mundana ſunt & externa,) *ſed nova creatura*, (Spiritu ipſius
creata, in qva ſit fides per charitatem operans, Gal. 5,6.)

Seqvitur deciſio: *Et qvicunq; hanc regulam ſeqvuti* 16
fuerint, (hoc canone à me præſcripto vobis, mihi à Chriſto, in-
cesſerint,) *Pax ſuper illos & miſericordia, & ſuper Iſraë-
lem DEI*, (non mundi aut carnis. Sic Pſalm. 125,5. & 128,7.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

17 *De cætero nemo mihi moleſtus ſit.* (Sicut anathema dixi, aliud Evangelium annuncianti, ſic pacem precor & miſericordiam hoc canone ambulanti. Nemo mihi ultrà faceſſat negotium.) *Ego enim ſtigmata Domini JEſu in corpore meo porto,* i. e. hanc doctrinam confirmavi vitæ periculis, & ſtigmata mihi à Chriſto impreſſa, ſtigmatis illius ſimilia habeo oſtendere, è qvibus cuilibet innoteſcat, cujus ſim ſervus, qvamq; illi placere ſtudeam.

18 *Deniqve* illis benedicit more ſolemni: *Gratia Domini noſtri JESU CHRISTI ſit cum ſpiritu veſtrô, Fratres. Amen.*

Ad Galatas miſſa fuit è Româ.

JOHANNIS CLUVERI, SS. THEOL. D. ejusdémq; olim Profeſſoris Sorani, & poſteà Superintendentis Dithmarſici,

ANALYSIS EPISTOLÆ S. PAULI AD EPHESIOS.

EPheſum celeberrimam Ioniæ urbem, Icario pelago adjacentem, anno converſionis ſuæ decimo ſeptimo adiit Paulus, adductis ſecum Aqvilâ & Priſcillâ Judæis. Ingreſſus Synagogam continuò Judæorum aliqvos Chriſto lucrifecit, qvibus præpoſito Timotheo, ut eſt 1. Tim. 1, 3. & Act. 18, 19. Jeroſolymam ipſe profectus, paſchalis cauſâ celebritatis. Interim Apollos vir potens in Scripturis, Johannis Baptiſtæ diſcipulus, venit Epheſum, & in Synagoga accuratè de Chriſto diſſerit. Qvo Corinthum digreſſo, redit Paulus, & duodecim viris per manuum ſuarum impoſitionem, Spiritûs Sancti adventum cum donis lingvarum & prophetiæ, impetrat. Inde ad tres menſes docet in Synagogâ; ſed cùm aliqvi blaſphemarent viam Domini coram populo, ſegregavit diſcipulos, ac peculiarem Eccleſiæ fidelium congregationem inſtituit. Sic Epheſi moratus biennium, totam Aſiam verbô DEI illuſtravit, accedentibus inſuper ſtupendis miraculis, adeò ut ſudaria ac ſemicinctia Pauli morbos ab ægrotis profligarent, ac ſacerdotalis familiæ aliqvi in nomine JEſu à Paulo prædicati, dæmonia niterentur expellere. Ex iis erant Scevæ filii, à Spiritu maligno, qvem ejicere tentaverant, plagis ac vulneribus multati. Igitur multi credentium timentes magnum DEI confeſſi ſunt peccata, ut pœnam effugerent, ac libri curioſarum artium publicè conflagrarunt. Sic validè auctum eſt verbum DEI, ac vires acqviſivit tantas, ut Dianæ Epheſiæ cultus collabaſceret. Unde damni ſui metuens Demetrius argentarius, col-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

lectis ſodalibus, ſeditionem movit, Paulo necem illaturus. Sed ille Aſiarcharum qvorundam conſilio declinavit Theatrum, ac compreſſo per Scribam publicum tumultu, in Macedoniam abiit. Tandem fatorum ſuorum præſcius, cùm Jeroſolymam iret, advocatos Seniores Epheſiorum curatiſſimâ oratione ac precibus, ut diligentem ſui ac totius gregis curam gererent, allocutus eſt. Ac deniqve ex Romanô carcere hanc ad eos Epiſtolam miſit, anno Apoſtolatûs ſui, ut apparet, trigeſimo, ut denuò ſuam in Evangelio intelligentiam ipſis exponeret, certosq; ac ſolidos annunciatæ veritatis efficeret. Nam utramqve, tùm fidei, tùm operum doctrinam, egregiè illis deſcribit, ac adverſus dæmoniorum deceptiones ac tentationes fideliter eos inſtruit armatq;.

Partes Epiſtolæ generales ſunt: *Exordium, Doctrina ipſa, & Epilogus.*

Doctrina gemina eſt. *Una* de gratia DEI, in JEſu Chriſto nobis præſtitâ, fide accipienda, à verſu tertio capitis primi ad caput qvartum. *Altera* de converſatione & moribus gratiâ iſtâ dignis, cap. 4. 5. 6.

CAPUT PRIMUM.

HOc capite *Exordium* ſolâ conſtans ſalutatione Apoſtolicâ continetur, ac mox *Doctrina* ipſa fidei ſubjicitur, cujus partes duæ ſunt.

Etenim doctrina fidei hâc Epiſtolâ primùm brevius, ſub gratiarum actionis formulâ proponitur. Poſteà fuſius copioſiusq; à verſu decimo qvinto hujus capitis, usqve ad initium qvarti explicatur. Itaqve capitis partes tres erunt: Exordium, Doctrina Evangelii ſuccinctiùs concepta, & eadem doctrina copioſiùs expoſita.

DE EXORDIO.

EXordium pro more benè precatur Epheſiis, ſignificans qvis, qvibus, qvid, à qvonam optet.

1 *Paulus Apoſtolus JEſu Chriſti per voluntatem DEI.* Hic eſt, qvi benè precatur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Qvibus: *Sanctis, qvi ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto JEſu.*

Qvid eſt, qvod precatur? *Gratia vobis & pax.* 2

Unde? *à DEO Patre noſtrô, & Domino JESU CHRISTO.*

DE DOCTRINA FIDEI BREVIUSCULA.

FOrmulam doctrinæ breviorem proponit ſub formulâ *εὐχαριστίας* devotisſimæ, camq; Epheſiis applicat, orationem à theſi generali ad hypotheſin transferendo. Sic duæ partes fiunt, *gratiarum actio, ejusq; applicatio.*

Orationis eucharisticæ membra ſunt duo: *Propoſitio & Expoſitio.*

Applicatio fit duobus verſiculis, decimo tertio ac decimo qvarto, atqve ea beneficia Epheſiis contigisſe indicat, pro qvibus grates DEO agit Apoſtolus.

Propoſitione generatim gratias agit DEO, pro omni benedi-
ctione ſpirituali in Chriſto JEſu, his verbis: *Benedictus Deus* 3
& Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, qvi benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus (bonis) *in Chriſto.*

Expoſitione enumerat ordine benedictionum ſeriem, primo loco *electionem,* ſecundò *redemptionem,* tertio *Evangelii manifeſtationem,* qvarto *futuram glorificationem.*

Primùm *Electio* deſcribitur omni genere cauſarum, *efficiente, materiali, formali, finali.*

Efficiens eſt DEUS ſecundùm beneplacitum voluntatis ſuæ conſideratus in Chriſto. *Materialem* ſeu ſubjecta electionis vocat nos, qvos anteà vocârat ſanctos & fideles in Chriſto JEſu, qvos eligi norat, ut ſint ſancti & immaculati in conſpectu DEI in dilectione ſuâ. *Forma* electionis eſt: prædeſtinatio facta ante conſtitutionem mundi, in Chriſto & per JEſum Chriſtum, ad adoptionem filiorum DEI. *Finis* eſt, in hominibus qvidem irreprehenſibilitas,

ſeu perfectio coram DEO: QVOAD DEUM verò, gloria & laus gratiæ
ejus, per qvam gratos eos reddit in dilecto Filio ſuo.
4 Sic patet textus: Benedixit enim nos, *ſicut elegit in ipſo*
(JEſu Chriſto, intuens meritum ejus, fide à nobis apprehenſum)
ante conſtitutionem mundi, (ut ſunt ipſi cognita ab æterno
opera ſua, Act.15,18.) *ut eſſemus ſancti & immaculati co-
ram ipſo in dilectione* (ſuâ præcedente & noſtrâ ſubſeqvente.)
5 *Prædeſtinans nos in adoptionem filiorum per JEſum
Chriſtum* (præcognitum, velut agnum occiſum ab origine mun-
di, Apoc.13,8. & 17,8. 1.Petr.1,20.) *in ipſum* (ut in ipſo eſſemus &
maneremus) *ſecundùm propoſitum* (ἐυδοκίαν, beneplacitum)
voluntatis ſuæ, (qvo non delectatur morte cujusqvam impii,
6 Ezech.33,11. niſi gratiam ſpernentis.) *In laudem gloriæ gratiæ
ſuæ, in qva gratificavit* (acceptos aut gratos effecit) *nos in
dilecto* (Filio ſuo, in qvo diligit, qvemcunq; diligit.)
Deinde *redemptionem* deſcribit itidem *à cauſa efficiente, formali
7 & effectibus. In qvo* (nimirum dilecto Filio DEI) *habemus re-
demptionem per ſangvinem ejus, remisſionem pecca-
8 torum, ſecundùm divitias gratiæ ejus. Effectus eſt: Qvæ
ſuperabundavit in nobis in omni ſapientiâ & pru-
dentiâ.*
Tertiò *Evangelii manifeſtationem ab autore* ſimiliter, itemq;
9 *à materiâ* ſeu *ſubjecto, objecto*, & *fine* commendat. *Autor* eſt *DEUS
notum faciens nobis ſacramentum voluntatis ſuæ, ſe-
cundùm beneplacitum ſuum*, (non nudum aut abſolutum,
10 ſed) *qvod propoſuit in Chriſto, in diſpenſatione pleni-
tudinis temporum. Objectum* Evangelii circa qvod verſatur,
eſt myſterium voluntatis DEI de beneplacito in CHRISTO,
in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

in diſpenſationem plenitudinis temporum,ut inſtauret
(ἀνακεφαλαιώσασθαι, in caput redigat) *omnia in Chriſto, qvæ*
in cœlis ſunt, & qvæ in terra. (Anteà enim cœlum à terra
divulſum, & inimicitiæ inter cœleſtia & terreſtria erant exortæ,
qvæ per Chriſtum ſublatæ, Angeliq; & homines ſub unum caput
denuò redacti ſunt.)

Materia ſeu ſubjectum, cui Evangelium manifeſtatur, ſunt
homines à DEO prævisi. *In qvo etiam nos* (inqvit) *ſorte vo-* 11
cati ſumus (ἐκληρώθημεν; ſorte deſignati ſumus) *prædeſtina-*
ti ſecundùm propoſitum ejus, qvi omnia operatur ſe-
cundùm conſilium voluntatis ſuæ, (non adhibens qvem-
qvam conſiliarium, Rom. 11,34.) *Finis* manifeſtationis pertinet ad
glorificationem.

Qvartò enim deſcribit *glorificationem*, indicans *qvinam, qvô fi-*
ne glorificentur. Ait enim: *Ut ſimus in laudem gloriæ ejus,* 12
(hic finis) *qvi antè ſperavimus in Chriſto.* (Hi glorificandi.
Qvi enim non ſperavit, non conſeqvetur ſperatum.)

Hucusq; oratio euchariſtica, ſeqvitur *accommodatio ad Ephe-*
ſios: Ea aſſerit, Epheſios (1.) eſſe in Chriſto. *In qvo & vos* 13
(puta prævisi & prædeſtinati.) (2.) audiviſſe Evangelium.
Audiſtis verbum veritatis, Evangelium ſalutis veſtræ.
(3.) Redemptionis participes eſſe, prout arguit ex fide & obſigna-
tione Spiritûs Sancti. *In qvo & credentes ſignati eſtis Spi-*
ritu promisſionis Sanctô, qvi eſt pignus (arrhabo) *hære-* 14
ditatis noſtræ. (4.) Conſervari ad futuram gloriam ex eodem
principio. *In redemptionem acqviſitionis,* (populi, Chriſti
ſangvine acqviſiti plenariam. Is enim eſt λαὸς εἰς περιποίησιν, 1. Pet.
2,9. qvem DEUS περιεποιήσατο per proprium ſangvinem, Act. 20,28.
Liberaturus eum ab omni malo in poſtremo adventu ſuo, Luc.
21,28.) *in laudem gloriæ ipſius.*

DE

DE DOCTRINA FIDEI PROLIXIUS EXPOSITA.

E*Xpoſitio copioſior* gratiæ JEſu Chriſti qvinqve membris abſolvitur: *Exordio* videlicet, *Propoſitione*, *Enarratione*, *Confirmatione* & *Concluſione*.

Exordio declarat ſuum erga Epheſios affectum, ejusq; cauſam apponit, fidem nempe & dilectionem ipſorum.

15 *Propterea & ego audiens fidem veſtram, qvæ eſt*
in Domino JESU, & dilectionem in omnes ſanctos,
16 (qvæ duo perficiunt Chriſtianum in hoc ſeculo,) *non ceſſo gra-*
tias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in omni-
bus orationibus meis.

Secundò *Propoſitione* indicat, qvid maximè in votis habeat eos ſcire atqve intelligere, nimirum ſpem vocationis, divitiasq; glorioſæ hæreditatis ſanctorum, & magnitudinem divinæ poten-
17 tiæ erga credentes in Chriſtum. Precari ſe dicit, *ut DEUS Do-*
mini noſtri JEſu Chriſti, Pater gloriæ det illis Spiri-
18 *tum ſapientiæ & revelationis, in agnitione ſui, illumi-*
natos oculos mentis eorum, ut ſciant, qvæ ſit ſpes vo-
cationis ejus, (ut intelligant per Spiritum Sanctum, & illumi-
natis animi oculis proſpiciant ſpem in cœlis repoſitam,) *& qvæ*
divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis. Et qvæ ſit
19 *ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qvi cre-*
dimus, ſecundùm operationem potentiæ virtutis ejus.

Tertiò *Enarratio* propoſitionis demonſtrat ea, qvæ propoſuit cognoſcenda, primùm in ipſo capite JEſu Chriſto, verſ.20.&c. Deinde in Epheſiis, cap.2,1. Poſteà qvoqve in Apoſtolo & omnibus Chriſtianis, verſ.5.

Qvomodo in Chriſto eluxerit ſpes vocationis, opulentia glo-
20 riæ, & magnitudo virtutis, his verbis dicit: *Qvam operatus*

eſt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

eſt in Chriſto, ſuſcitans eum ex mortuis, & conſtituens
ad dexteram ſuam in cœleſtibus (habitaculis & fruitioni-
bus.) En gloriam hæreditatis noſtræ! *Super omnem princi-* 21
patum, & poteſtatem & virtutem, & dominationem,
& omne nomen, qvod nominatur, non ſolùm in hoc ſe-
culo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubjecit ſub pedi- 22
bus ejus, (tanqvam filii hominis, ſecundùm qvam naturam
etiam poteſtatem in illo exercuit, qvâ eum ex mortuis excitavit,
uti patet,) *& ipſum dedit caput ſuper omnia,* (ἀνακεφα-
λαιώσας in ipſo omnia cœleſtia & terreſtria,) *ipſi Eccleſiæ, qvæ* 23
eſt corpus ejus (myſticum,) *plenitudo ejus,* (in qvo tanqvam
perficitur,) *qvi omnia in omnibus adimplet.* (Chriſtus qvi-
dem omnia in omnibus adimplet, cùm nihil qvisqvam habeat, ni-
hil ſit, nihil faciat, qvod non à Chriſto habeat, ſit & faciat. At
viciſſim Chriſti perfectio tunc reputatur, qvando Eccleſia perfici-
tur & impletur, cujus ipſe caput eſt. Qvando enim membris deeſt
aliqvid, Chriſto deeſſe reputatur. Qvando complentur fideles,
Chriſtus completus perfectusq; eſſe intelligitur.)

CAPUT SECUNDUM.

HOc capite pergit enarrare *Propoſitionem* de ſpe vocationis & potentiâ DEI exercita in credentibus, eamq; ipſorum Epheſiorum exemplo proprio confirmat.

Partes ergò *capitis* ſunt duæ: *Enarratio* gratiæ DEI præſtitæ in JEſu Chriſto, ejusq; *Confirmatio*, qvæ incipit verſ. 8.

Primùm ſicut anteà monſtravit potentiam virtutis DEI, & ſpem vocationis noſtræ in Chriſto, velut capite Eccleſiæ, ita nunc eandem pergit demonſtrare in Epheſiis, ac tandem in ſe omnibusq; vocatis & electis.

Ad Epheſios qvod attinet, ſatis duxit in præſens indicare, qvales olim fuerint. Nam pleniorem confirmationem ſubjungit verſ. 8. &c.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Sicut autem Chriſtus fuit mortuus ob peccata, ſic qvoqve Epheſios ſpiritualiter mortuos fuiſſe declarat.

1 *Et vos* (in Vulgatâ additur convivificavit, ſed abeſt à fonte,)
2 *qvum eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in qvibus aliqvando ambulâſtis, ſecundùm ſeculum* (ſecularem conſvetudinem) *mundi hujus, ſecundùm Principem poteſtatis aëris,* (Principem) *Spiritus* (iſtius mundani, oppoſiti Spiritui DEI, 1. Cor. 2, 12.) *qvi nunc operatur in filiis diffidentiæ,* (infidelitatis, inobedientiæ fidei, *ἀπειθείας*, in qvibus Satanas operatur, tanqvam poteſtati ſuæ ſubditis, Act. 26, 18.)

Ne qvis autem putet, ſolos Epheſios ab Apoſtolo tàm viliter haberi, qvaſi mortui in peccatis, ac Satanæ ſubditi fuerint ante converſionem, mox de ſe, omnibusq; aliis idem aſſeverat, ad oſtendendam abundantiam gratiæ & virtutis DEI in credentes. *Primùm* ergò deſcribit ſtatum hominis corrupti, qvalis eſt per naturam. *Deinde* reparati in hac vita, *tertiò* glorificandi in futura.

3 *In qvibus* (inqvit, puta filiis *ἀπειθείας*) *& nos omnes aliqvando converſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntates* (non DEI, aut Spiritûs ejus, ſed) *carnis & cogitationum* (mundanarum,) *& eramus naturâ* (ſecundùm qvam ex Adamo naſcimur) *filii iræ, ſicut & cæteri.* (Qvotqvot enim ex carne Adamicâ nati ſunt, ſecundùm viam carnis, caro ſunt, nec regnum DEI, qvà tales manent, ingredi unqvam poſſunt, iræ ejus, non gratiæ filii æſtimati.) Hæc *deſcriptio*
4 hominis corrupti, *En reparationem! DEUS autem, qvi dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem*
5 *ſuam, qvâ dilexit nos, &* (etiam) *qvum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto. Gratiâ eſtis ſal-*
6 *vati. Et conreſuſcitavit & conſedere fecit in cœleſtibus* (bonis, donis, fruitionibus) *in Chriſto JEſu.* Hoc eſt, qvando

DEUS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

DEUS Chriſtum pro nobis mortuum vivificavit, vivificavit nos pariter in ipſo, qvandoqvidem ille peccatum noſtrum bajulavit & expiavit. Qvando illum reſuſcitavit & ad cœlos ſuſtulit, reſuſcitavit nos cum ipſo, & ex terreno hoc & corrupto ſtatu in cœleſtem transpoſuit. Applicatio iſtius virtutis facta eſt, qvando credidimus Evangelio. Virtus verò ipſa data in Chriſti reſurrectione. Eſt igitur reparatio hominis corrupti, vivificatio in Chriſto JEſu, per abundantiam gratiæ DEI, qvâ è poteſtate Diaboli & morte peccati ad vitam divinam & cœleſtem elevatur anima ejus. Planum enim Epheſios, omnesq; adeò homines corporaliter vivere, etiam ante converſionem ad DEUM. *Status glorificationis* innuitur iſtis
verbis: *Ut oſtendat in ſeculis ſupervenientibus abun-* 7
dantes divitias gratiæ ſuæ, in bonitate (qvâ ſe fruendum nobis præbebit) *ſuper nos in Chriſto JEſu.* (Hæ erunt divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis, ſuprà cap.1,18.)

Seqvitur *Confirmatio* hujus Propoſitionis uberior, eaq; *qvadruplex. Prima* à definitione, verſ. 8.9.10. *Altera* à comparatione ſtatûs corrupti & reparati, verſ. 11. *Tertia* ab autore & mediis converſionis ac juſtificationis, tàm gentium, qvàm Judæorū, v.14.&c. *Qvarta* ab exemplo ipſius Pauli Apoſtoli, cap.3,1. & ſeqq.

Prima probatio hæc eſt: Si regeneratio ad ſalutem eſt opus ſolius DEI in JEſu Chriſto, non cooperante homine, ingens eſt opulentia gratiæ & ſupereminens magnitudo virtutis ejus in credentes, meritò ab omnibus agnoſcenda. At regeneratio ad ſalutem ſolius DEI opus eſt. Ergò hæc gratia ab omnibus agnoſcenda.

Verba Apoſtoli, qvibus hoc dicit, qvod asſumſimus, ita ſo-
nant: *Gratiâ enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non* 8
ex vobis, DEI donum eſt. Non ex operibus, ne qvis 9
glorietur, (Rom.3,27. & 4,2. 1.Cor.1,29.31.) *Ipſius enim ſu-* 10
mus factura (non noſtra,) *creati in CHRISTO JESU* (regenerati & renovati, & ſic iterum creati, tanqvam nova creatura, ut ſuprà dixit 2.Cor.5,17. Gal.6,15.) *in operibus bonis, qvæ præparavit DEUS* (per Spiritum ſuum in nobis,) *ut in illis ambulemus.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Altera à collatione ſtatûs corrupti & reparati ſumpta *bimem-
bris* eſt. Nam *primùm*, qvi anteà fuerint Epheſii, *deinde* qvi nunc
ſint, exponit. Fuiſſe enim eos ſignificat qvintupliciter perditos,
& longè remotos à DEO & regno ejus, nunc verò propè factos in
ſangvine Chriſti. At qvicunqve primùm ſine Chriſto, deinde alie-
ni à politiâ Iſraëlis, tertiò peregrini teſtamentorum, qvartò absq;
ſpe, qvintò absqve DEO ſunt in mundo, illi ut ſolius Chriſti ſan-
gvine ad DEUM adducti, agnoſcere debent præpollentes divitias
gratiæ & virtutis ejus. Tales fuiſſe Epheſios planisſimè affirmat,
11 ad ipſorum provocans memoriam. *Propter qvod memores
eſtote, qvod vos aliqvando Gentes in carne, qvi dice-
bamini præputium ab ea, qvæ dicitur circumciſio in
12 carne manu facta,* i. e. à Judæis carne circumciſis. *Qvòd
eratis illô in tempore ſine Chriſto,* (Mesſiam ignorantes,)
alienati à converſatione (politiæ) *Iſraëlis*, (in qvâ ſolâ
DEUS rectè colebatur,) *& hoſpites teſtamentorum promis-
ſionis*, (ſæpè repetitorum Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, Iſraëlitis
univerſis, Davidi, &c.) *ſpem non habentes* (remisſionis pecca-
torum aut vitæ æternæ,) *& ſine DEO in mundo.* (ἄθεοι, nul-
13 lum DEUM verum habentes, aut qvenqvam verè colentes.) *Nunc
autem in Chriſto JEſu vos qvi eratis aliqvando longè,*
(à bonis præmemoratis remoti, Eſa. 46, 12. & 57, 19. Actor. 2, 39.)
facti eſtis propè in ſangvine Chriſti.

Tertia probatio ab autore & mediis ſalutis accepta ſic habet:
Qvos ipſe Chriſtus ſuô ſangvine redemit, & per Evangelii annun-
ciationem cum Apoſtolis, Prophetis, omnibusq; ſanctis unum
corpus unumq; ædificium effecit, illis contemplanda eſt illumina-
tis oculis abundantia gratiæ & virtutis DEI, & ſpes vocationis ad
æternam gloriam. Epheſios aliasq; gentes ſuô ſangvine redemit
Chriſtus & cum Apoſtolis ac Prophetis unum corpus effecit. Ergò
contemplentur divitias gratioſæ operationis DEI.

Aſſer-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Aſſertio minoris Propoſitionis commemorat primò autorem reconciliationis, & qvomodo eam peregerit. Tùm patefactionem ejus, verſ. 17. Poſtremò effecta exinde conſecuta, verſ. 19.

De Autore ſcribit: *Ipſe enim eſt pax noſtra,* (Chriſtus 14
JEſus,) *qvi fecit utraq; unum,* (Judaiſmum & Ethniciſmum,)
& medium parietem materiæ ſolvit, (qvô erant duo ovilia
qvaſi ſeparata per Legem,) *inimicitiam in carne ſuâ, Le-* 15
gem mandatorum in decretis (ſeorſim Iſraëliticæ politiæ
poſitis) *evacuans,* (dum ipſe in carne ſuâ omnia iſta implevit, &
ſic pro umbris lucem ac veritatem dedit,) *ut duos condat in ſe-*
metipſo in unum novum hominem, (non veterem, in mun-
danis qvibusdam obſervationibus miniſtrantem, ſed novum in
ſpiritu ſervientem,) *faciens pacem,* (ne invicem odio ſe proſe-
qvantur Judæi & Gentes, aut qvoad ritus diſſentiant ampliùs.)
Et reconciliet ambos in uno corpore DEO, (cui per pec- 16
catum ambo erant exoſi & inimici, reconciliabiles in uno Meſſia,)
per crucem, interficiens inimicitiam in ſemetipſo,
(dum DEI Filius, carne aſſumpta, pro utrisqve Judæis & Gentibus
hoſtiam ſe & placamentum offert.)

Patefactionem reconciliationis ejusq; cauſam his verbis reci-
tat: *Et veniens* (Chriſtus) *evangelizavit pacem* (per 17
Apoſtolos) *vobis, qvi longè fuiſtis, & iis qvi propè,*
(Judæis, utpote civibus politiæ Iſraëlis, qvemadmodum promiſe-
rat Eſa. 57, 9.) *Qvoniam per ipſum habemus acceſſum* 18
ambo in uno ſpiritu ad Patrem. (Qvandoqvidem ergò
unum Mediatorem habemus, Judæi & Gentes, per qvem ſolum
utrisqve acceſſus patet ad unum Patrem, in uno eodemq; ſpiritu,
igitur una pax per unum idemq; Evangelium utrisq; annunciata
eſt.)

Jam ſubnectit conſectaria, ex antè dictis emergentia: *Ergò* 19

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

jam non eſtis hoſpites & advenæ, (ut anteà, qvemadmodum patet verſ.12.) *ſed eſtis cives* (συμπολῖται) *ſanctorum, & domeſtici DEI,* (in unam civitatem ac familiam DEI adſcri-
20 pti cum ſanctis reliqvis) *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum,* (qvorum hi venturum, illi exhibitum Chriſtum ſcripturis ſuis, divinitùs inſpiratis prædicârunt,) *ipsô ſummô angulari lapide* (ὄντος exiſtente) *JE-*
21 *ſu Chriſto. In qvo omnis ædificatio constructa,* (συναρμολογουμένη, coaptata, qvemadmodum ſolent in angulari lapide duo latera ædificii coagmentari, ita in Chriſto qvaſi duo ovilia Judæorum & Gentium coëunt in unum ædificium, qvod) *creſcit in templum ſanctum in Domino,* (ex vivis lapidibus, lapidi
22 vivo JEſu Chriſto conglutinatis, 1.Pet.2,5.6.7.) *In qvo & vos coædificamini in habitaculum DEI in Spiritu Sancto.*

CAPUT TERTIUM.

ADducit *qvartam probationem* Paulus à ſui Apoſtolatûs gratiâ, ad illuminationem gentium efficaci, & ſic concludit doctrinam priorem precando, qvemadmodum eandem inceperat, verſ.17. cap.1.

Partes ergò *duæ erunt: Comprobatio* gratioſæ vocationis & illuminationis gentium, ducta ab Apoſtolatu Pauli; & *Precatio,* ut hanc tantam gratiam probè percipiant & teneant Epheſii, qvæ incipit verſ.14. Argumentum tale erit: Revelationes eximiæ, earumq́; efficax comprobatio in gentium illuminatione & ſalute, tanqvam ſpecimen eminentis gratiæ & virtutis DEI illuminatis oculis conſiderandum eſt. Paulo inprimis, uti & reliqvis Apoſtolis atqve Prophetis eximiæ contigerunt revelationes, qvæ opere comprobatæ ſunt in gentium illuminatione. Ergò hoc ſpecimen divinæ virtutis & gratiæ probè conſiderandum.

Duo aſſumuntur, puta *revelationes,* & earum *comprobationes.*

Utrumqve Paulus memorat verbis planè graviſſimis. Qvan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

tum attinet *revelationes*, *primùm* ſe deſcribit, *ſecundò* revelationes ipſas alibi expoſitas, *tertiò* excellentiam earum extollit à comparatione priſcorum & recentium temporum, *qvartò* materiam revelationum attexit.

Deſcriptio Pauli hæc eſt: *Hujus rei gratiâ* (ut totum ædificium Chriſtianum creſcat in Domino) *ego Paulus vinctus Chriſti JEſu pro vobis gentibus.* (Hiſtoria fusè narratur Act.21,27. & deinceps usqve ad finem libri,) *ſi tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ DEI, qvæ data eſt mihi in vobis*, (εἰς ὑμᾶς, in vos, puta gentes illuminandas & convertendas.) 1

2

Revelationum annotatio rejicitur ad alium locum, ubi haberi ac legi posſint, puta in Epiſtola poſteriori ad Corinthios cap.12. & ad Galatas cap.1. & 2. qvas ante hanc datas, commendare voluit Epheſiis.

Qvoniam ſecundùm revelationem notum mihi factum eſt (fecit, ἐγνώρισε, ſcil. DEUS) *ſacramentum*, (myſterium univerſum regni ſui,) *ſicut ſuprà ſcripſi* (προέγραψα, antè ſcripſi) *in brevi* (pauculis.) *Prout* (ſecundùm qvod, πρὸς ὃ) *poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti.* 3

4

Eminentiam exinde arguit, qvod tàm claræ opere ſtatim comprobatæ revelationes non contigerint prioribus ſeculis. *Qvod* (myſterium) *aliis generationibus non eſt agnitum* (notificatum) *filiis hominum, ſicut nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus & Prophetis in Spiritu.* (Qvanqvam enim multæ eæq; evidentisſimæ exſtant revelationes in Moſe, Prophetis & Pſalmis, tamen non eſt dictum illis, ut irent ac portarent nomen ipſum Mesſiæ ſtatim ad gentes, & populos orbis terrarum, ſed prædictum ſaltem, fore ut Mesſias illis ſuô tempore illuceſceret, in qvem etiam ſpem collocare ſuam posſent ac deberent.) 5

Ita-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

6 Itaqve materia & finis harum revelationum eſt, *Gentes eſſe cohæredes & concorporales* (Chriſto & reliqvis ſanctis,) *& comparticipes promisſionis ejus in Chriſto per Evangelium.*

Comprobatio realis, ut vocant, continet adminiſtrum, adminiſtrationem ipſam & effectum duplicem, qvà Angelos, qvà homines.

Adminiſtrum ſe eſſe ſignificat, non ſine ταπεινώσει eximiâ.
7 *Cujus factus ſum miniſter, ſecundùm donum gratiæ DEI, qvæ data eſt mihi, ſecundùm operationem virtutis ejus,* (ſuprà cap. 1, 18. 19.) *Mihi omnium ſanctorum*
8 *minimo,* (ob perſecutionem Eccleſiæ indignisſimo, 1. Cor. 15, 9. 1. Timoth. 1, 13.) *data eſt gratia hæc in gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti,* (qvibus nos ditat omni benedictione cœleſti, in hoc & futuro ſeculo.)

Hæc eſt *adminiſtratio* conjuncta cum *efficacia*, qvam ſubnectit:
9 *Et illuminare omnes,* (per gratiam mihi datam & potentiam operationis ejus,) *qvæ ſit diſpenſatio* (κοινωνία, communio) *myſterii abſconditi à ſeculis in DEO, qvi omnia creavit per JEſum Chriſtum.* (Sphalma verſionis ἀναπαλόγητον, omittit enim JEſum Chriſtum h. l. Sententia eſt: Homines communionis Evangelicæ neſcios mihi illuminare datũ eſt, ut videant & intelligant, qvantarum rerum participatio illis obveniat per myſterium Evangelii, non recens inventum, ſed jam olim à ſeculis abſconditum in DEO, qvi ſicut initiò omnia creavit per Filium, ſic omnia inſtaurare conſtituit per eundem.)

10 *Conſeqventes effectus* ſunt, *Unus* qvoad Angelos: *Ut innoteſcat nunc principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus* (ita infrà vocat mundi hujus Principes, cap. 6, 12.) *per Eccleſiam, multiformis ſapientiæ DEI.* (Tantum enim myſterii hujus ſecre-

ſecretum eſt, ut modum hujus diſpenſationis, qvô creata in Chri-
ſto inſtaurantur, principatus & poteſtates Angelicæ cum admi-
ratione intueantur, nunc demum per Eccleſiæ adminiſtrationem
perſpicientes hanc multiformem ſapientiam DEI, 1. Petr. 1, 12.)
Secundùm præfinitionem ſeculorum, qvam fecit in 11
Chriſto JEſu Domino noſtro. (Non enim aliter hæc fiunt
modo, qvàm à principio conſtituta ſunt à DEO, qvi omnia ut pa-
ravit, ſic reparare decrevit in Filio, qvantumvis modus Angelos
ipſos lateret.) *Alter* qvoad homines: *In qvo habemus* (in 12
Chriſto ſcilicet) *fiduciam & acceſſum in confidentia per
fidem ejus.* (Nam ſi credimus Evangelio, gratiæ DEI fiducia no-
bis accedit, per qvam confidenter adeamus & invocemus DEUM.)
Ejus vim in hoc qvoqve exſplendeſcere indicat, ne fatiſcant in af-
flictionibus ſuis Epheſii, ſed honori ſibi ducant. *Propter qvod* 13
peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis,
(qvòd vinctus ſum ad calumnias Judæorum, indignantium ob
Evangelium gentibus prædicatum,) *qvæ eſt gloria veſtra,*
(cùm inde pateat, pro DEI glorià me feciſſe, qvicqvid feci apud
vos, non terrenô ſtudiô.)

Epilogus hujus partis, prout monui, *precatione & gratiarum
actione* abſolvitur. In *precatione* exprimitur primùm *devotio* pre-
cantis: *Tùm* is, à qvo petitur, *tertiò* beneficia, qvæ petuntur à Spi-
ritu & à Chriſto, generalia & ſpecialia.

Devotionem à geſtu innuit. *Hujus rei gratiâ* (ait) *flecto* 14
genua mea, (i. e. ſupplex cum devotione procumbo.) Is, à qvo pe-
titur, eſt DEUS, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. De Patre ait:
Ad Patrem Domini noſtri JEſu Chriſti, ex qvo omnis 15
paternitas in cœlis & terrâ nominatur. (Ex Chriſto enim,
qvod ejus Pater eſt, nos qvoq; & qvicunq; alii in cœlô terrâq;, eum
Patrem nominare poſſumus. In Chriſto enim Pater noſter factus
eſt, tùm eorum, qvi terrâ, tùm beatorum, qvi jam in cœlis agunt.
Absqve eo ſi foret, non Pater, ſed judex, imò hoſtis noſter foret.)

16 *Ut det vobis ſecundùm divitias gloriæ ſuæ*, (qvâ Pater & omnipotens Pater appellatur.) De Spiritu ait: *Virtute corroborari per Spiritum ſuum in interiorem hominem.*
17 De Chriſto: *Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris.*

Beneficia ergò à Patre, Filio & Spiritu impetranda ſunt hæc, *primùm* qvidem generalius dicta, *corroboratio* interioris hominis & *inhabitatio* cordium. *Specialius* explicata: *Fides, roboratio & fundatio* in dilectione DEI, *comprehenſio* latitudinis, *longitudinis, ſublimitatis* & *profunditatis* ejus, imò qvod omnem ſcientiam excedat. Deniqve communio larga omnis plenitudinis DEI.

Precor, inqvit, *vobis, corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem*, (novam creaturam per ſpiritum inchoatā perfici & roborari de die in diem, 2. Cor. 3, 18. & 4, 16.) *Chriſtum habitare per fidem* (verbi cuſtoditi, Johan. 14, 23.) *in cordibus veſtris, in charitate* (illius) *radicati & fun-*
18 *dati, ut poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis*, (Apoſtolis, Prophetis, Doctoribus, &c.) *qvæ ſit latitudo & longitudo, & profunditas & ſublimitas*, (puta dilectionis, in qvâ fundamini. Ea enim, qvà latitudinem complectitur totum mundum, Joh. 3, 16. qvà longitudinem, à jactis mundi fundamentis protenditur in ſecula ſeculorum; ſuprà cap. 1, 4. qvà profunditatem, ad infimam porrigitur miſeriam, qvâ ſumus conflictati, ſuprà cap. 2, 2. 3. 12. qvà ſublimitatem, extollitur ad maximam gloriam in Chriſto cæptam tanqvam capite, ut in nobis ejus membris conſummetur, ſuprà cap. 1, 19. 20. & 2, 7. ſic cognoſcuntur,
19 qvæ ſuprà cap. 1, 17. 18. 19. precatus eſt.) *Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti*, (qvanqvam omni ſcientiâ humanâ major eſt, tamen vos eam ſcietis, ſi Chriſtum inhabitantem habueritis. Verba Chryſoſtomi hæc interpretantis: εἰ καὶ ὑπέρκειται πάσης γνώσεως ἀνθρωπίνης ἡ ἀγάπη τοῦ χριστοῦ,

ὅμως

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ὁμως ὑμεῖς γνώσεσθαι, εἰ τὸν Χριστὸν σχοίητε ἐνοικοῦντα,) *ut implea-
mini in omnem plenitudinem* DEI, (omnia in omnibus
implentis, operantis, perficientis. Ut ſcilicet nihil ſit hominem
divinum in modum perficiens, qvod etiam vobis à Chriſto inha-
bitatis non contingat. Sic ſuprà cap. 1, 23.)

Precationi ſubjectit doxologiam, qvâ deſcribit laudandum, lau-
dat, & ubi, ſeu à qvibus, ac qvamdiu laudes durare debeant, ſuper-
addit. Laudandus is eſt, *qvi poteſt ſuper omnia facere* 20
*abundanter qvàm petimus, aut intelligimus, ſecun-
dùm virtutem qvæ operatur in nobis*, (ſicut jam nunc ope-
ratur ſupra intellectum noſtrum.) Laudat his verbis: *Ipſi gloria.* 21
Ubi & à qvibus: *In Eccleſia qvæ in Chriſto* JESU.
(In eâ enim ſolâ DEUS verè laudatur.) Qvamdiu & qvando?
In omnes generationes ſeculi ſeculorum. Amen.

CAPUT QVARTUM.

DOctrinam fidei in Chriſtum ſeqvitur *Exhortatio* ad dignam vo-
catione converſationem, ut luceat lux noſtra coram homi-
nibus, ut videant noſtra bona opera, & glorificent Patrem
noſtrum, qvi in cœlis eſt, qvemadmodum præcipit Domi-
nus Matth. 5, 16.

Exhortatio iſta *trimembris* eſt. *Prima* inprimis eos ſpectat, qvi
donis præcellunt alios, ut ea ad publicam Eccleſiæ ædificationem
conferant, ſeq; pacis & tolerantiæ mutuæ ſtudioſos præbeant.

Altera generalis eſt, & bona opera erga qvosvis exercenda,
malaq; vitanda præſcribit, incipiens verſu hujus capitis decimo
ſeptimo.

Tertia certos qvosdam vitæ ordines inſtruit, à cap. 5, 21. & de-
inceps. Hoc capite prima exhortatio abſolvitur, cum ſecundæ
parte dimidiâ.

Cæterùm *prima* conſtat *Propoſitione* & *Confirmatione*.

Propoſitio ſatis plana & manifeſta eſt: *Obſecro itaq; vos* 1

2 (παρακαλῶ, hortor) *ego vinctus in Domino, ut dignè am-*
buletis vocatione, qvâ vocati eſtis, cum omni humili-
tate & manſvetudine, cum patientia portantes invi-
3 *cem in charitate; ſolliciti ſervare unitatem Spiritûs in*
vinculo pacis.

Confirmationis argumenta tria ſunt. Primum à forma Eccleſiæ ſeu communione ſanctorum ducitur. *Alterum* à varietate donorum; *Tertium* à fine eorundem.

Primum ſic formatur: Qvorum eſt corpus & ſpiritus unus, vocatio & ſpes una, Dominus unus, fides una, Baptiſmus, Deus & Pater unus, illi ſe invicem non odiſſe, contemnere, aut æmulari, ſed diligere, ferre, curare & ædificare tenentur. At Eccleſiæ Chriſtianorum unum eſt corpus, Spiritus, & reliqva una. Ergò patet, qvid ſit officii eorum, præſertim donis alios antecellentium.
4 *Unum*, inqvit, *corpus* (myſticum) *& unus Spiritus*, (tan-
qvam anima vegetans omnia corporis illius myſtici membra,
1.Cor.12.) *ſicut & vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ*,
(ut unam hæreditatem ambiatis, & expectetis, omnibus & ſingu-
5 lis promiſſam.) *Unus Dominus*, (JESUS CHRISTUS,) *una*
6 *fides, unum Baptiſma, Unus DEUS & Pater omnium*,
qvi ſuper omnes, (ut Dominus,) *& per omnes*, (tanqvam
curator & inſpector) *& in omnibus*, (ut Deus, omnia operans
in omnibus, cum Filio & Spiritu ſuô, Epheſ.1,23. 1.Cor.12,6.11.)

Alterum ſic ſonabit: Qvibus ſingulis data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti, illi ſe invicem amare & ædificare debent. Chriſtianorum præſertim donis præcellentium, ſingulis data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. Ergò ſe invicem amare, ferre & pacificè ædificare debent.

Propoſitio ſuâpte luce radiat; *Aſſumptio* pronunciatur & confirmatur enarratione oraculi cujusdam Prophetici Pſalmi 68,19.
7 *Unicuiqve* (ait) *noſtrûm data eſt gratia ſecundùm*
menſuram donationis Chriſti, (ſicut Chriſtus donationem

ad-

admetiri ſuam cuiq; voluit.) *Propterea dicit* (Pſalmographus) 8
adſcendens in altum captivam duxit captivitatem,
(univerſum Satanæ regnum, qvô captivi detinebantur homines,
captivũ ſibi oſtendit & obnoxium,) *& dedit dona hominibus*,
(qvæ pro iis in humana ſua natura acceperat à Dlo, unde eſt in fon-
te Hebræo לָקַחְתָּ מַתָּנוֹת בָּאָדָם accepiſti dona in homine.)
Qvod autem adſcendit, qvid eſt, niſi qvia & deſcen- 9
dit primùm in inferiores partes terræ? (Nam niſi deſcen-
diſſet anteà, non potuisſet dici adſcendere, qvi ſemper eſt altisſi-
mus. Deſcendit ergò ſecundùm hominem, & ſecundùm eum ad-
ſcendit. Deſcendit autem ad inferiores partes terræ, ut profun-
diùs non posſet, ad ipſos nimirum inferos, ad ipſum carcerem ca-
ptivorum.) *Qvi deſcendit, ipſe eſt, qvi & adſcendit ſu-* 10
per omnes cœlos, (non ut illis includatur, ſed) *ut impleret*
omnia, (omnia in omnibus faceret & perficeret, ut ſuprà cap.
1,23. & ſic tanqvam caput & Dominus influeret in omnia opera
ſuorum membrorum: Hinc enim eſt, qvòd dona dicitur accepisſe
& dedisſe hominibus, qvibus etiam ipſe præeſt adminiſtrandis &
implendis perpetuò.) *Et ipſe dedit qvosdam qvidem Apo-* 11
ſtolos, (teſtes reſurrectionis in univerſa terra,) *qvosdam au-*
tem Prophetas, (futura prædicentes, qvanqvam ipſum reſuſci-
tatum non viderint,) *alios verò Evangeliſtas*, (pasſim an-
nunciantes Evangelium, misſu Apoſtolorum & Eccleſiæ, Actor.
21,8. 2.Timoth.4,5. qvanqvam non αὐτόπτας Chriſti reſuſcitati,)
alios autem Paſtores, (qvibus certi greges commisſi, Actor.
20,28. 1.Petr.5,1.2.) *& Doctores*, (docentes Evangelium autori-
tate publicâ, absqve poteſtate regendi Eccleſiam per clavium ad-
miniſtrationem. Omnis enim Paſtor Doctor, ſed non omnis Do-
ctor Eccleſiæ Paſtor. Similiter omnis Apoſtolus eſt Propheta,
Evangeliſta, Paſtor, Doctor; ſed non omnis Propheta, Evangeliſta
aut Paſtor, Apoſtolus. Chriſtus ergò cuiq; admenſus eſt ſuam gra-
tiam.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Tertium argumentum à fine donationis ſumptum ſic habet: Qvorum dona ad unius corporis & ædificii ſpiritualis conſummationem diſtributa ſunt, illi ſe invicem complecti, juvare, ferre, & concordes gerere tenentur. Omnium Chriſtianorum donis pollentium munera ad unius corporis & ædificii ſpiritualis conſummationem diſtributa ſunt. Ergò ſe invicem juvent & promoveant. Tractatur qvaſi formâ enthymematis. Proponitur asſumptum, qvod in enthymemate vicem gerit antecedentis. Tùm ſubditur conſeqvens, qvod eſt Concluſionis inſtar, v.15.

12 *Dedit* (inqvit) *Apoſtolos, Doctores, Paſtores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii,* (illuſtrat ſimilitudine) *in ædificationem corporis Chriſti.*
13 *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii DEI, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti,* (h. e. donec & omnes prædeſtinati uná in Chriſtum fide conjungamur, & perfecti eádem fide Chriſto occurramus de cœlis venienti, habentes univerſi tanqvam maturam, ætatem, ſeu integram ſtaturam, ut Chriſto Sponſo posſimus tradi in matrimonium, cujus corpus ſumus, plenitudo omnia in
14 omnibus adimplentis. Suprà cap. 1, 23.) *Ut jam non ſimus parvuli, fluctuantes & circumferantur* (qvi fluctuent & circumagantur) *omni vento doctrinæ in neqvitia hominũ* (aleatoriâ,) *in aſtutia ad circumventionem,* (μεθοδείαν, expeditam viam erroris.)

Triplici ſimilitudine exornat finem donorum ſpiritualium. Etenim homines parvuli tamdiu erudiuntur, ut evadant viri qvaſi perfecti, mentibus exercitatis præditi ad diſcretionem boni & mali, veri & falſi, Hebr. 5, 14. *Deinde* ut navis inſtar in portum delatæ, neqveant ampliùs circumferri omni vento doctrinæ, aut naufragium fidei extimeſcere. *Tertiò*, ut mutationem aleæ haud habeant vereri, aut ab aſtutis aleatoribus ſeduci, ſed viâ benè cæptâ pergant ad victoriam certisſimam.

Nunc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Nunc ſubdit conſeqvens: *Veritatem autem facientes* 15
(ſtudentes, ἀληθεύοντες) *in caritate creſcamus in illo per*
omnia, qvi eſt caput Chriſtus, (defluens ſecundùm ſpiritum
& virtutem in omnia corporis membra, ut ipſi conformentur,
ac ſapientiâ omniq; gratiâ apud DEUM matureſcant.) *Ex qvo* 16
totum corpus compactum & connexum (συναρμολογούμε-
νον καὶ συμβιβαζόμενον, coaptatum & robur coagmentatum)
per omnem juncturam ſubminiſtrationis (in uſu verbi
& Sacramentorum, qvibus ἀφῶν inſtar capiti connectitur)
ſecundùm operationem (virtutem) *in menſurâ uniuscu-*
jusq; membri augmentum corporis facit in ædificatio-
nem ſui in charitate.

Altera exhortatio complectitur theſin, ectheſin, Confirmationem, Concluſionem.

Theſis remotione mali & propoſitione boni informata ſic
ſonat: *Hoc igitur dico & teſtificor in Domino, ut jam* 17
non ambuletis, ſicut & cæteræ gentes (non Chriſtianæ)
ambulant in vanitate ſensûs ſui. Tenebris obſcuratum 18
habentes intellectum, alienati à vita DEI per igno-
rantiam, qvæ eſt in illis, propter cæcitatem (πώρωσιν, ob-
durationem) *cordis ipſorum. Qvi deſperantes* (ἀπηλγη- 19
κότες, dedolentes, ad conſcientiæ morſus occallentes, ut nihil
ſentiant ampliùs, κεκαυτηριασμένοι, 1. Tim. 4, 2.) *ſemetipſos tra-*
diderunt impudicitiæ, in operatione immundiciæ omnis,
in avaritiam, (Rom. 1, 26. 27. &c.) *vos autem ita non didi-* 20
ciſtis Chriſtum, ſi tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti 21
eſtis, ſicut eſt veritas in JESU, (niſi fortè me jam decen-
nium abſente à Pſeudapoſtolis qvibusdam eſtis decepti, Actor. 20,
29. 30. Ita didiciſtis Chriſtum,) *deponere vos ſecundùm pri-* 22
ſtinam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſtinam (ethnicam) *converſationem veterem hominem, qvi corrumpitur ſecundùm deſideria erroris*, (ut enim errat eligendo, ſic deſiderat mala, iisq́; corrumpitur, Pſal.14,1.2.3.)
23 *Renovamini* (renovari) *autem ſpiritu mentis veſtræ, &*
24 *induite* (induere, puta didiciſtis) *novum hominem, qvi ſecundùm DEUM creatus eſt in juſtitiâ & ſanctitate veritatis* (verâ. Reformari ad imaginem DEI, conſiſtentem in verâ juſtitiâ & ſanctitate, qvæ ut mente cognoſcitur vera, ſic voluntate deſideratur & agitur.

Ἔκθεσις vitia fugienda, virtutes ipſas amplectendas commemorat. *Primùm* eliminat à Chriſtianiſmo mendacium, commen-
25 dat veritatem. *Propter qvod deponentes mendacium, loqvimini veritatem unusqvisq; cum proximo ſuo.* Ratio: *qvoniam ſumus invicem membra.* Membrum autem à membro falli abſurdum.

26 *Secundò* relegat iram, ſvadet reconciliationem. *Iraſcimini* (ſi fert ita imbecillitatis ratio) *& nolite peccare*, (in ira peccatum committere. Ira enim hominis juſtitiam DEI non operatur, Jacob.1,20.) *Sol non occidat ſuper iram veſtram*, (ut poſſitis loqvi in cordibus veſtris, compungi & orare coram DEO. Amarulentia enim preces impedit DEO qvotidiè immolan-
27 das, 1.Petr.3,7.) *Nolite dare locum Diabolo*, (occupanti corda odiis æſtuantia, 1.Joh.2,11. & 3,12.15.)

28 *Tertiò* excludit furtum, commendat laborem. *Qvi furabatur, non ampliùs furetur. Magis autem laboret operando manibus ſuis, ut habeat, unde tribuat neceſſitatem patienti.*

29 *Qvartò* lingvam caſtigat. *Omnis ſermo malus* (putidus) *ex ore veſtrô non procedat, ſed ſi qvis bonus ad ædificatio-*

catio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

cationem fidei, (Græcè χρείας, neceſſitatis,) *ut det gratiam audientibus.* Rationes ſubindè adſpergit hiſce monitis, qvalis & hæc eſt à pernicioſo ducta: *Et nolite contriſtari Spiritum* 30
Sanctum Dei, qvô obſignati eſtis in diem redemptionis, (ſuprà cap. 1, 14. Qvi enim Spiritum Sanctum contriſtat & exacerbat, immundo locum dat, ſuprà verſ. 27.)

Qvintò tollit odia & effectus illarum, ponit dilectionis radices & ſurculos. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio,* 31
& clamor, (qvalis eſt indignantium) *& blaſphemia* (qvum maledicendo injuriâ qvis afficit alterum) *tollatur à vobis.*
Eſtote autē invicem benigni, miſericordes, (εὔσπλαγχνοι, 32
gutherzig/) *donantes invicem, ſicut & DEUS in Chriſto donavit vobis.*

CAPUT QVINTUM.

Capite qvintò abſolvit Apoſtolus exhortationem ſecundam, & tranſit ad tertiam, qvâ certis vitæ Chriſtianæ generibus ſuas regulas præſcribit.

Poſtqvam enim præcepta ipſa tradidit, ratiunculis obiter adſperſis firmata, nunc graviori copioſioriq; oratione eadem roborat, admiſcens etiam nova præcepta de vitandâ ſcortatione & avaritiâ, & lingvæ uſum uberiùs explicans.

Confirmatio iſta *qvatuor argumentis expeditur.*

Primum à DEI & Chriſti exemplo petitum eſt. Decet enim filios patrem, membra caput imitari. *Eſtote ergò* (inqvit) *imi-* 1
tatores DEI, ſicut filii charisſimi, & ambulate in di- 2
lectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam DEO, (in ligno crucis ſeſe immolando tanqvam ſacrificium expiatorium, cui impoſita erant peccata mundi,) *in odorem ſuavi-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

tatis, (ut ſuæ obedientiæ fragrantiâ fœtorem noſtræ pravitatis fugaret.)

Alterum à dolore ſtatûs, qvem asſecuti ſunt Chriſtiani per Mesſiæ ſacrificium. Qvi enim ſanctificati ſunt ſangvine Filii DEI, eos nullâ ratione decet ſcortationi, impuritati, aut avaritiæ nomen dare. At Chriſtiani ſanctificati ſunt ſangvine Filii DEI. Ergò,
3 inqvit Apoſtolus, *fornicatio & omnis immundicia & avaritia nec nominetur in vobis*, id eſt, nemo inter vos nominetur ſcortator, immundus aut avarus, ſicut decet ſanctos, puta
4 Chriſti ſacrificio mundatos. Addit: *aut turpitudo, aut ſtultiloqvium, aut ſcurrilitas, qvæ ad rem non pertinent*, (τὰ μὴ ἀνήκοντα, qvæ non decent, non conveniunt;) *ſed magis gratiarum actio*, (qvâ laudetur DEUS pro beneficiis vobis præſtitis.)
5 *Tertium argumentum* à pernicioſo ſatis planum eſt: *Hoc enim*, ait, *ſcitote, qvòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, qvi eſt idolorum cultor*, (Mammonam colens præ DEO, Matth. 6,24.) *non habet hæreditatem in regno*
6 *Chriſti & DEI. Nemo vos ſeducat inanibus verbis*, (qvaſi DEUS nihili faciat peccata ejusmodi, nec ſit flagitium, niſi opinione qvorundam, ſcortari & carne abuti, ut Nicolaitæ delirabant, Apoc. 2,6.) *Propter hæc enim venit ira DEI in filios diffidentiæ*. (DEUS propter hæc peccata infideles punit, ut Levit. 18.19. atteſtatur Moſi, qvantò magis fideles, voluntatis gna-
7 ros Domini ſui?) *Nolite ergò effici participes eorum.*

Qvartum à ſimili, qvò ſtatum Chriſtianiſmi confert Ethni-
8 ciſmo. *Eratis enim aliqvando tenebræ, nunc autem lux*
9 *in Domino: ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis* (τοῦ πνεύματος, Spiritûs, qvi cum Patre & Filio lux una,) *eſt in omni bonitate, & juſtitiâ & veritate.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Argumentum ergò perſpicuum eſt: Filios lucis decet in luce ambulare, tenebras fugere & reprehendere. Chriſtiani ſunt filii lucis, olim tenebris eruti. Ergò eos decet in luce ambulare, & tenebras fugere ac reprehendere. Majorem explicat, qvomodo filii
lucis poſſint ambulare in luce: *Probantes* ſcilicet, *qvid ſit* 10
beneplacitum DEO, & nolite communicare operibus 11
infrugiferis tenebrarum, (qvorum nullus eſt fructus cujus-
qvam pretii,) *magis autem & redarguite. Qvæ enim in* 12
occulto fiunt, ab ipſis (Ethnicis & æmulis eorum Pſeudogno-
ſticis tenebrarum filiis, de qvibus ſcripſit Epiphanius) *turpe eſt*
& dicere. Omnia autem qvæ arguuntur, à lumine ma- 13
nifeſtantur. Omne enim qvod manifeſtat, (φανερούμενον,
manifeſtatum) *lumen eſt*, (luminis certè particeps, teſte expe-
rientiâ Phyſicâ.) Firmat teſtimonio Prophetico, Eſai. 60,1. &c.)
Propter qvod dicit (juxta ſenſum hunc verbis ſat copioſis a- 14
pud Eſaiam:) *Surge, qvi dormis, & exurge à mortuis,*
& illuminabit te Chriſtus.

Qvarta ſecundæ exhortationis pars eſt Concluſio à præcedentibus argumentis dependens, & propoſitionem aliis verbis repetens, cum amplificatione, qvâ oſtendit cavenda veteris Adami fomenta, ebrietatem nimirum, & ſectanda novi hominis incitamenta, qvæ ſunt cantica ſpiritualia & nominis divini celebratio. Verba hæc ſunt:

Videte itaqve, qvomodo cautè ambuletis non qva- 15
ſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus, qvo- 16
niam dies mali ſunt. (Nerone peſſimô mortalium imperan-
te, mundo malis æſtuante, temporis hujus ratio habenda, & tan-
qvam pretioſum ἀνάλωμα accuratè collocandum. Tempus enim
malum eſt, qvô vexantur homines tentationibus malis, Amos 5,13.
Mich.2,3. Eccleſ.9,12.) *Propterea nolite fieri imprudentes* 17

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

(cum filiis hujus ſeculi,) *ſed intelligentes, qvæ ſit voluntas*
18 *DEI. Et nolite inebriari vino, in qvo eſt luxuria*,
(ἀσωτία, mentis diſſolutio, veteris Adami & cupiditatum ejus pa-
19 bulum.) *Sed implemini Spiritu* (novi hominis parente.) *Lo-
qventes vobismetipſis in Pſalmis & hymnis, & canti-
cis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes* (inſtrumentis)
in cordibus veſtris (non ſolâ lingvâ vel organis externis) *Do-*
20 *mino. Gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomi-
ne Domini noſtri JEſu Chriſti DEO & Patri.*

Tertia exhortatio ſtatus Chriſtianiſmi ſingulares concernens, eosq́; ad mutuam ſubjectionem & benevolentiam incitans, *tripartita eſt.*

Primâ parte conjuges, *alterâ* filios & parentes, *tertiâ* ſervos & dominos inſtituit.

Præmittitur velut procemium, univerſorum cohortatio ad
21 humilitatem mutuam. *Subjecti invicem* (eſtote) *in timore DEI.*

Inter conjuges primò monet uxores, ut viris ſe ſuis ſubjiciant tanqvam capitibus. Inde viros ſeu maritos, ut diligant conjuges.

Argumentum utriusqve hortationis capit à myſterio conjugii ſpiritualis inter Chriſtum & Eccleſiam, cui vult advertere animum conjuges Chriſtianos.

22 *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino,*
(cujus locum viri tenent. Sicut enim ipſi ſunt gloria Chriſti, ſic
23 uxor viri, 1. Cor. 11, 7.) *Qvoniam vir caput eſt mulieris,
ſicut Chriſtus caput Eccleſiæ, & ipſe Salvator corporis*
24 (ſui, qvod eſt Eccleſia.) *Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chri-
ſto, ita & mulieres viris in omnibus*, (voluntati Chriſti, univerſalis Sponſi & capitis, non adverſantibus.)

Viri

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus di- 25
lexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro eâ, ut illam 26
ſanctificaret, mundans eam lavacro aqvæ (Baptiſmatis)
in verbo. Ut exhiberet ipſam ſibi glorioſam Eccle- 27
ſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliqvid
bujusmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata, (qvoad ele-
ctos, ſangvine Chriſti mundatos, Spiritu ſanctificatos, & in no-
viſſimô die glorificandos, Cantic. 4,7.) *Ita & viri debent di-* 28
ligere uxores ſuas, ut corpora ſua. Ratio ſecunda: *Qvi*
uxorem ſuam diligit, ſeipſum diligit. Confirmatur: *Ne-* 29
mo enim unqvam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit
& fovet eam. Uxor caro viri. Ergò diligenda. Applicat
hîc qvoqve myſticum Chriſti & Eccleſiæ conjugium, cùm inqvit:
Sicut & Chriſtus Eccleſiam; qvia membra ſumus cor- 30
poris ejus, de carne ejus & oſſibus ejus, (qvia verè homo,
ſimilis nobis ſecundùm carnem & oſſa, perinde ſicut Adam Evæ
ſuæ, Gen. 2.23.)

Tertia ratio à Scripturæ teſtimonio, Geneſ. 2,24.) *Propter* 31
hoc relinqvet homo patrem & matrem ſuam, & adhæ-
rebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne unâ.

Concludit hanc conjugum admonitionem à commendatio-
ne argumenti, & applicationis repetitione. *Sacramentum* 32
hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſtô & in Eccle-
ſiâ, (de qvo agit totum Canticum Salomonis, Pſalmus 45. Ezech.
16.23. Hoſeæ cap. 1. 2. 3. Eſa. 54. Apocal. 9,21.) *Veruntamen &* 33
vos ſinguli, unusqvisq; uxorem ſuam ſicut ſeipſum
diligat. Uxor autem ut timeat vi-
rum ſuum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

CAPUT SEXTUM.

PErgit in erudiendis hominum claſsibus, & parentibus liberisq́;, dominis item ac ſervis, ſuas præſcribit vivendi regulas. Tandem ad Epilogum totius Epiſtolæ procedit.

Officium filiorum facit obedire parentibus in Domino. Fir-
1 mat à juſtô & utili. Textus planus eſt: *Filii obedite parenti-*
2 *bus veſtris in Domino, hoc enim juſtum eſt, honora pa-*
3 *trem tuum & matrem tuam. Qvod eſt mandatum primum in promisſione* (ſpeciali,) *ut benè ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram,* Deut. 5,16.

Parentum officium per ἄρσιν mali, & θέσιν boni explicat.
4 *Et vos Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros,* (ut iram & odium erga vos concipiant, deſperantes de ſeipſis veſtraq́; benevolentia, Col. 3,21.) *ſed educate* (enutrite) *illos in diſciplinâ & correptione Domini.*

Servorum officium ſimiliter deſcribit, ponendo qvod decet, renovando qvod non decet facere. Confirmatq́; à præſtantiâ facti
5 & præmiô. *Servi obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut*
6 *Chriſto. Non ad oculum ſervientes, qvaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem DEI* (obedientiam hanc poſtulantis) *ex animo.* Præſtantiam obedientiæ talis arguit ab excellentiâ illius, cui præſtatur, qvi eſt
7 ipſe Deus, non homines. *Cum bonâ* (inqvit) *voluntate ſervientes ſicut Domino & non hominibus.* Addit præmii
8 fructum: *Scientes, qvoniam unusqvisq;, qvodcunq; fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſive ſervus, ſive liber.*

Officium dominorum roborat à jure & juſtitiâ, qvam ſum-

mus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

mus & univerſalis Dominus æqvaliter omnibus adminiſtrat.
Et vos domini eadem facite illis, (gratificantes illis cum 9
benevolentiâ, reputantes vos Domino præſtare, qvæcunqve præ-
ſtatis ſervis ejus,) *remittentes minas*, (nec rigidè exſeqventes
jus veſtrum,) *ſcientes, qvoniam & illorum & veſter Do-
minus eſt in cœlis, & perſonarum acceptio non eſt apud
eum*, (Job.31,13.14.15. Mal.2,10.)

EPILOGUS EPISTOLÆ.

POſtqvam & in genere & in ſpecie cohortatus eſt Epheſios ad di-gnam ſanctâ vocatione vitam, poſtremùm eos armat adverſus ſpirituales dæmoniorum aſtutias; incitat ad preces pro ſe & aliis fundendas; memorat cur Tychicum ablegaverit, & gratiæ eos divinæ omnes & ſingulos commendat.

Sunt igitur *membra qvatuor*. *Primùm* exhortatur ad conſtantiam fidei adverſus Satanæ tentationes tuendam. *Tùm* ad preces, verſ.18. *Poſteà* qvid Tychicum miſerit, edocet verſ.21. *Tandem* benedictione eos Apoſtolicâ impertit, verſ. 23.24.

Exhortatio conſtat *Propoſitione, Ratione, Explicatione*.

Propoſitio eſt: *De cætero fratres confortamini in Do-
mino, & in potentia virtutis ejus*, (ſecundùm qvam vivifi-
cati & in cœleſtibus collocati eſtis in Chriſto, ſuprà c.1,19.& 2,5.6.)
Induite vos armaturam DEI, (non mundi,) *ut posſitis* 11
ſtare adverſus inſidias (τὰς μεθοδείας expeditas ſeducendi
vias) *diaboli*.

Ratio duplex à naturâ adverſariorum & ſpe victoriæ. Prior ita
habet: *Qvoniam non eſt nobis colluctatio adverſus* 12
*carnem & ſangvinem, ſed adverſus Principes & po-
teſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum*
(πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους αἰῶνος τούτου, adverſus mun-
di poteſtatem in tenebris hujus ſeculi tenentes. Nam ubi lux DEI
viget, ibi exſpirat poteſtas dæmonum. At in tenebris hujus ſeculi
prin-

principatum illi mundanum ſibi vendicant,) *contra ſpiritua-*
lia neqvitiæ in cœleſtibus (rebus ſcilicet & myſteriis. Spiri-
tualia enim tela adferunt, qvibus neqviter intervertant aut cor-
rumpant cœleſtia, non tanti facientes terrena, qvàm cœleſtia, ne
illis utantur & fruantur Chriſtiani.)

13 *Poſterior ratio* ſic : *Propterea accipite armaturam*
DEI, ut posſitis reſiſtere in die malô, (qvum malis tenta-
tionibus vexamini, ut ſuprà cap. 5, 16.) *& omnibus perfectis*
ſtare, (ne vos præcipitent aut dejiciant de fide aut ſpe veſtrâ prin-
cipes hujus ſeculi.)

Explicat partes panopliæ ſpiritualis, & arma tàm φυλακτικὰ,
qvàm ἀμυντήρια memorat. 1. Cingulum ſeu zonam facit verita-
tem. 2. Thoracem juſtitiam. 3. Ocreas promptitudinem Evan-
gelii. 4. Scutum fidem. 5. Galeam ſpem ſalutis. Ἀμυντήρια duo,
Gladium Spiritûs, id eſt, verbum DEI, & preces.

14 *State ergò ſuccincti lumbos veſtros in veritate*
(eloqviorum & revelationum divinarum, ne fluctuetis & circum-
feramini qvôvis ventô doctrinæ, ſuprà cap. 4, 14. Jac. 1, 6. 8. 1. Petr.
1, 13. Luc. 12, 35. ſed ſitis ſolidi & firmati in veritate, Joh. 8, 31 32. &
17, 17. ſuprà cap. 4, 21.) *& induti loricam juſtitiæ* (Chriſti, ad-
verſus accuſationes Satanæ, ut vincatur per ſangvinem Agni, A-
15 pocal. 12, 11.) *Et calceati pedes in præparationem* (ἑτοιμασίᾳ,
præparatione) *Evangelii pacis* (promti, parati, & qvaſi ocrea-
ti Evangelii annunciatione, qvô nobis pax cum DEO & Angelis
ejus promittitur, bellum cum Satana ἄσπονδον denunciatur, Gen.
16 3, 15. ſuprà cap. 2, 14. 15. 16. 17. 18.) *In omnibus* (ἐπὶ πᾶσιν, ſuper
omnia) *ſumentes ſcutum fidei,* (in Chriſtum pro vobis paſ-
ſum & reſuſcitatum,) *in qvo posſitis* (poteritis) *omnia tela*
neqvisſimi ignea extingvere, (qvibus ad diffidentiam aut
17 præſumptionem vos ſollicitat.) *Et galeam ſalutis* (ſpem,
1. Theſ. 5, 8.) *ſumite,* (qvâ caput ipſum munitur, & nunqvam
con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

confundit in DEum ſperantes, Pſal. 25, 2.) *& gladium Spiritûs, qvod eſt verbum DEI,* (qvô profligantur poteſtates tartareæ, tanqvam enſe ancipiti, ut è duello Chriſti & Satanæ eſt conſpicuum, Matth. 4. Luc. 4.) *per omnem orationem & obſe-* 18
crationem, (qvâ DEI virtus & auxilium obtinetur.)

Pergit deinde hortari ad preces ex tentationum occaſione, ſicut & Petrus 1. Epiſt. 5, 7. 8. ac ipſe Dominus, Matth. 26, 41. Luc. 22, 40. Deſcribit autem precandi ſtudium, qvale eſſe oporteat, ac deinde pro omnibus ſanctis, proq; ſeipſo orandum indicat.

Orantes, inqvit, *omni tempore* (qvotidiè, manè, veſperi, meridie, Pſal. 55, 18.) *in Spiritu* (gratiæ & precum, clamante, Abba Pater, Zach. 12, 10. Gal. 4, 6.) *& in hoc ipſum vigilantes,* (non ſecuri aut dormitantes, 1. Petr. 4, 7. Matth. 25, 13.) *in omni*
inſtantiâ, (ne defatigemini, Luc. 18, 1. Rom. 12, 12.) *& obſecra-* 19
tione pro omnibus ſanctis & pro me, ut detur mihi ſer-
mo in apertione oris mei, cum fiduciâ, notum fermè 20
myſterium Evangelii, qvâ legatione fungor in catena, (vinctus JEſu Chriſti, ſuprà cap. 4, 1.) *ut in ipſo audeam,* (παῤῥησιάζωμαι, fidenter agam,) *prout oportet me loqvi.*

Tertiò de ſuô ſtatu vivam ſe mittere Epiſtolam innuit:
Ut autem & vos ſciatis, qvæ circa me ſunt, qvid a- 21
gam, omnia vobis nota faciet Tychicus, charisſimus frater & fidelis miniſter in Domino, (jam olim comes meus, Tit. 3, 12. etiam cùm valedicerem vobis, Actor. 20, 4. qvem eâdem de causâ ad Coloſſenſes ablegavi cum Oneſimo, Col. 4, 7.
2. Timoth. 4, 12.) *Qvem miſi ad vos in hoc ipſum, ut* 22
cognoſcatis, qvæ circa nos ſunt, & conſoletur corda veſtra.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Poſtremò benedicit ſanctisſimè, & deſcribit eos, qvibus be-
23 nedicit. *Pax fratribus & dilectio* (DEI) *ſecundùm fi-*
24 *dem à DEO Patre & Domino JEſu Chriſto. Gratia
cum omnibus, qvi diligunt Dominum noſtrum JEſum
Chriſtum in incorruptione*, (ſinceritate Spiritûs, ſine dolô & hypocriſi, 1. Petr. 3,4. Contrà, anathema omnibus eum non diligentibus, 1. Corinth. 16, 22.)

Amen.

Ad Epheſios ſcripta fuit ex urbe Româ per Tychicum.

JOHANNIS CLUVERI, SS. THEOL. D.
ejusdémq; olim Profeſſoris Sorani, & poſteâ Superintendentis Dithmarſici,

ANALYSIS EPISTOLÆ S. PAULI AD PHILIPPENSES.

ECcleſiam Philippenſium plantavit ipſe Paulus, in virtute Domini JESU, qvemadmodum Lucas cap. 16. Actorum commemorat. In urbe liberâ contra leges Romanorum ignominiâ affectus publicâ, verberibusq; mulctatus ad accuſationes Judæorum, è carcere divinô planè miraculô evaſit. Nam circa medium noctis cum Silâ orans laudansq́; Dominum, concuſſu fundamentorum carceris, ac repentinâ vinculorum ſolutione conſternatum cúſtodem perduxit ad fidem Chriſti, eâdemq; nocte & ipſum & domeſticos omnes baptizavit. Orto manè cùm res percrebuiſſet, noluit clàm exire ex urbe, ſed allegato civitatis Romanæ, qvô gauderet, privilegio, in tantum perterruit magiſtratus, ut publicè rogaretur egredi. Profectus ergò Theſſalonicam, prout ipſe etiam narrat 1. Theſſal. 2, 2. ejus qvoqve cives Evangelio Chriſti imbuit. Peragratâ deinde Achaiâ, Aſiâq; reverſus in Macedoniam, ac confirmatis multô ſermone Eccleſiis, à Philippis navigavit Troadem, narrante Lucâ, Act. 20, 6. Poſteà Hieroſolymis captus, & Romam tandem miſſus, cum vivâ voce neqviret, ſcripto Philippenſes alloqvitur, eosq́; hâc Epiſtolâ eximiè conſolatur, & adverſus Pſeudapoſtolos Judaicos, legis inculcatores, munit, hortans, ut in Evangelio à ſe tradito perſeverent conſtanter, ſeq; invicem verò amore complectantur.

Partes ſunt qvinqve: *Exordium, Narratio, Propoſitio, Explicatio, Concluſio.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

CAPUT PRIMUM.

HOc caput *tria priora membra* complectitur, *Exordium, Narrationem & Propoſitionem.*

Exordium bimembre eſt, *Salutatione* conſtans & *Inſinuatione.*

Salutatio ſalutantem, ſalutatos & ſalutem ipſam memorat his
1 verbis: *Paulus & Timotheus ſervi JEſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto JEſu, qvi ſunt Philippis, cum*
2 *Epiſcopis* (Presbyteris) *& Diaconis. Gratia vobis & pax à DEO Patre & Domino noſtro JEſu Chriſto.*

Inſinuatione ſuum erga Philippenos affectum teſtatur, vicisſim ſibi hôc pactô amorem eorum concilians. Affectum verò teſtatur tùm gratias agendo, pro gratiâ illis jam donata, tùm optimè ſperando de eâdem perficienda feliciter.

3 *Gratias* (inqvit) *ago DEO meo in omni memoriâ*
4 *veſtri, ſemper in cunctis orationibus meis pro omnibus*
5 *vobis, cum gaudio deprecationem faciens, ſuper communicatione veſtrâ in Evangelio Chriſti, à primâ die usqve nunc.* Iis verbis declarat, qvantum lætetur beatitudine Philippenorum. Reliqvis, qvàm benè ſperet de iisdem.

6 *Confidens hoc ipſum, qvia qvi cæpit in vobis opus bonum* (fidei & dilectionis,) *perficiet usq; in diem Chriſti JESU,* (qvo finis fidei manifeſtabitur, ſalus corporis animæq; perfecta & æterna.)

Hujus fiduciæ rationem asſignat duplicem, videlicet communionem unius ejusdemq; gratiæ, & ſuas pro ſalute eorum preces. Nam qvia ejusdem ſecum gratiæ ſint participes, tàm de ipſorum, qvàm ſuâ ſalute benè ſperandum colligit. Et preces ſuas ſerias & ardentes ad confirmationem ipſorum pondere ſuô non carituras ſignificat.

7 *Prima ratio* his verbis exprimitur: *Sicut eſt mihi juſtum*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

hoc ſentire pro omnibus vobis, eò qvòd habeam vos in
corde, & in vinculis meis & in defenſione & confirma-
tione Evangelii ſocios gaudii (τῆς χάριτος, gratiæ) *omnes*
vos eſſe, h. e. cùm participes ſitis mecum gratiæ illius, ut non
tantùm credatis Evangelio, ſed etiam pro eodem defendendo &
confirmando patiamini, (infrà verſ. 29.) meritò de veſtrâ omnium
perſeverantiâ opimam ſpem concipio.

Altera iſtis: *Teſtis enim mihi eſt DEUS, qvomodo* 8
cupiam omnes vos (eſſe & manere) *in viſceribus JEſu*
Chriſti. Et hoc oro, ut charitas veſtra magis ac magis 9
abundet in ſcientiâ & in omni ſenſu, (ut dilectionem DEI
& proximi habeatis adhuc ardentiorem, ſecundùm ſcientiam DEI
& cum ſenſu omni ipſius veſtri cordis, in ſe tanqvam palpantis &
ſentientis amorem DEI,) *ut probetis potiora*, (τὰ διαφέροντα, 10
qvantum differant cœleſtia à terrenis, qvantumq; præſtent iis,)
ut ſitis ſinceri & ſine offenſa (absqve hypocriſi & labe) *in* 11
diem Chriſti, repleti fructibus juſtitiæ (fidei) *per JEſum*
Chriſtum in gloriam & laudem DEI.

Narratio bipartita eſt. Primùm enim præterita, qvæ hactenus
circa captivitatem ſuam evenerint, *deinde* futura, qvæ exſpectet,
tùm ſibi, tùm aliis, tùm ipſis Philippenſibus, memorat, verſ. 19. &c.
In præteritis ponit eventum vinculorum ſuorum, qvem profe-
ctum vocat Evangelii, duplici argumentô declaratum, manifeſta-
tione ſcilicet Chriſti, & aliorum fiducia in loqvendo verbo DEI.
Poſterius prolepticè amplificat, concedens aliqvos Chriſtum
haud ſincerè prædicare, attamen id qvoqve ipſum, qvòd Chriſtus
qvocunqve modo prædicetur, gaudio ſibi eſſe affirmans, ob ſalu-
tarem negocii ſucceſſum ex diſpoſitione DEI precibus impetran-
dum. Verba Apoſtoli hæc ſunt: *Scire autem vos volo fra-* 12
tres, qvia qvæ circa me ſunt, magis ad profectum ve-
nêrunt Evangelii, ita ut vincula mea manifeſta fierent 13

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

in Chriſto, in omni prætorio, & cæteris omnibus, (Roma-
nis puta, intelligentibus me pro Chriſto vinctum, mortem pro
14 gloriâ ejus non reformidare,) *ut plures è fratribus, in Do-*
mino confidentes vinculis meis, abundantius auderent
ſine timore verbum DEI loqvi. (Reputantes ſcilicet, qvo-
niam mihi flagitio verti non poſſet, aut pœnæ, Chriſtum prædica-
re, nec ſibi qvicqvam timendum. Etenim in primâ Apologiâ de-
ſerto ab omnibus Paulo, Dominus adſtitit, & confortavit eum, ut
per ipſum prædicatio plena fiducia ferretur, & audirent omnes
gentes. Ereptusq; eſt ex ore Leonis Neronis, 2. Timoth. 4, 17.)
Seqvitur πρόληψις objectionis: At multi per invidiam &
contentionem Chriſtum annunciant, calumniantes te, ac mini-
15 ſterium tuum? Reſpondet Apoſtolus: *Qvidam qvidem*
propter invidiam & contentionem: qvidam autem &
propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant:
16 *Qvidam ex contentione qvidem Chriſtum annunciant,*
non ſincerè: exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vin-
17 *culis meis; qvidam verò ex charitate, ſcientes qvo-*
18 *niam in defenſionem Evangelii poſitus ſum. Qvid e-*
nim? dum omni modô ſive per occaſionem, (non purô
corde aut ſtudiô glorificandi DEUM,) *ſive per veritatem Chri-*
ſtus annuncietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.
19 *Scio enim, qvia hoc mihi proveniet ad ſalutem,* (men-
dacium ſuperante veritate) *per veſtram orationem, & ſub-*
miniſtrationem Spiritûs JEſu Chriſti, (etiam per impura
organa operantis, & puram veritatem propagantis.)
Porrò in futuris collocat primùm, qvid ſibi ulteriùs eventu-
rum ſperet, jam qvadantenus indicatum, itemq; Philippenſibus
& aliis. Sibi qvidem omnia ſtatuit ſalutaria fore, ut ait:
20 *Secundùm expectationem & ſpem meam: qvia in nullo*
con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

confundar, ſed in omni fiducia, ſicut ſemper, & nunc
magnificabitur Chriſtus in corpore meô, ſive per vi-
tam, ſive per mortem. Mihi enim vivere Chriſtus, 21
(absqve Chriſti gratiâ & gloriâ nec vivere optem, in ipſo & ad
ipſum vivo,) *& mori lucrum,* (mortem enim cum vita com-
muto, tabernaculum terreum cum cœleſti, 2. Corinth. 5, 1. &c.)
Qvod ſi vivere in carne, hoc mihi fructus operis, & 22
qvid eligam, ignoro. Coarctor autem è duobus deſide- 23
rium habens, disſolvi & esſe cum Chriſto (in viſione,)
multò enim magis meliùs. Permanere autem in carne, 24
magis necesſarium propter vos, (ut majorem fructum ca-
piatis ex miniſterio meo. Igitur porrò ſignificat ſe longiorem ſibi
vitam ad ædificationem Philippenorum aliarumq; gentium polli-
ceri. Et hanc ſpem impletam narrat Epiphanius hær. 27. Paulumq;
tunc liberatum in Hiſpaniam ivisſe. Videturq; hanc opinionem,
poſtqvam Timotheus Romam venisſet, fortius induisſe. Nam an-
teà ſe jam immolari ſcripſerat, 2. Timoth. 4, 6. ſcilicet ſecundùm
hominem loqvens. Nunc verò: *Et hoc,* inqvit, *confidens ſcio,* 25
qvod manebo & permanebo omnibus vobis ad profe-
ctum veſtrum, & gaudium fidei. Ut gratulatio 26
(καύχημα, gloriatio) *veſtra abundet in Chriſto JEſu in*
me, per meum adventum iterum ad vos.

PROPOSITIO.

TAntùm dignè Evangelio ambulate, ut ſive veniens 27
videro vos, ſive abſens audiam de vobis, qvòd ſta-
tis in uno Spiritu unanimes, collaborantes (συναθλοῦντες,
unà certantes) *in fide Evangelii. Et in nullo terreamini* 28
ab adverſariis, qvæ illis qvidem cauſa eſt perditionis,
vobis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

vobis autem ſalutis, & hoc à DEO, (ſalvante laborantes
29 in fide, & perdente adverſarios fidei.) *Qvia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, qvale & vidiſtis in me* (Philippis, Act. 16.) *& nunc auditis de me,* (abſente Romæ & captivô.)

Propoſitio igitur *generalis* eſt: Ambulate dignè Evangelio, ſtate unô Spiritu; & contrà, ne perturbamini ab adverſariis. *Ratio communis* adjicitur, tùm ab hoſtium perditione, tùm à Chriſtianorum gratiâ & beatitudine petitâ. Seqvitur *Confirmatio*, qvâ pleniùs exponitur roboraturq; propoſitum.

CAPUT SECUNDUM.

CONfirmatio & *Expoſitio* Propoſitionis hôc capite & ſeqventibus duobus pertexitur: eaq; *trimembris*, pro ipſius Propoſitionis naturâ.

Nam *primum membrum* Confirmationis huc ſpectat, ut conſenſum in Spiritu & veritate Evangelii perſvadeat Philippenſibus. *Alterum*, ut ne perturbentur aut terreantur ab adverſariis. *Tertium*, ut in veritate fidei fructus ſingulares dilectionis, gaudii, modeſtiæ, precum, omnisq; pietatis ac honeſtatis proferant, cap. 4.

Primum membrum hôc capite explicatur, tribus conſtans particulis. Nam initiò repetit Propoſitionis generalis partem iſtam, qvæ eſt huic ſectioni propria. Nimirum, idem ſapite, eandem charitatem habentes, unanimes, unum ſentientes. Opponit contraria & illuſtrat: Nihil per ambitionem, neqve per inanem gloriam: ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes.

Tùm *argumenta* profert efficacisſima ad hoc perſvadendum, numero *qvinqve*.

Primum capitur à naturâ atq; indole cœtûs Chriſtiani, qvi conſiſtit in communione hortationis, conſolationis, Spiritûs, gaudii, aliorumq; bonorum ſpiritualium. Fiet Syllogiſmus hujusmodi: In qvibus eſt unum exhortationis verbum, unius charitatis conſolatio, ejusdem Spiritûs communio, miſerationes ac viſcera Chri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Chriſti eadem, illi unum ſentire, ſpirare, ac alter alterius commo-
dum ſpectare debent. In Chriſtianis eſt unum exhortationis ver-
bum, & cætera. Ergò Philippenſes Chriſtiani unum ſentire, ſpira-
re, ſuaq; invicem commoda ſpectare debent. Apoſtolus hypothe-
ticè format ratiocinationem, omiſsâ ſubſumtione, tanqvam no-
tiſſima, cùm ſcribit: *Si qvà ergò conſolatio* (παράκλησις, ex- 1
hortatio. Seqvitur enim παραμύθιον) *in Chriſto, ſi qvod ſo-
latium charitatis* (mutuæ,) *ſi qvà ſocietas Spiritûs, ſi
qvà viſcera ac miſerationes* (Chriſti) *in vobis,* (ut non du-
bito eſſe:) *Implete gaudium meum, ut idem ſapiatis,* 2
eandem charitatem habentes (mutuam) *unanimes, id
ipſum ſentientes. Nihil per contentionem, neq; per* 3
inanem gloriam (ſentientes,) *ſed in humilitate ſe invi-
cem ſuperiores arbitrantes, non qvæ ſua ſunt, ſinguli* 4
conſiderantes, (σκοπεῖτε, attendite,) *ſed* (etiam, καὶ) *qvæ
aliorum.*

Alterum ducitur ab exemplo Chriſti, ut aliàs ſæpiſſimè, tùm
ipſe Dominus Matth. 11, 20. Luc. 22. Joh. 13. tùm Apoſtoli argumen-
tari ſolent: Chriſtus Dominus omnium maximè ſe humiliavit
coram DEO pro fratribus ſuis. Ergò ſimiliter Chriſtiani ſapiant.

Chriſti igitur primùm exinanitionem, deinde exaltationem
deſcribit Paulus. Exinanitionem ita, ut indicet gloriam, qvam
non uſurpaverit; dein humilitatem qvam aſſumſerit. Exaltatio-
nem ita, ut eminentiam ejus omnium creaturarum confeſſione
teſtatam faciat. *Hoc enim ſentiet* (φρονείσθω, ſentiatur) *in vo-* 5
bis, qvod & in Chriſto JEſu (ſenſum eſt.) *Qvi cùm in* 6
formâ DEI eſſet, (ſplendorem & majeſtatem divinam habe-
ret, inq; ea ſubſiſteret caro ejus,) *non rapinam arbitratus eſt,*
(qvam oſtentui duceret) *eſſe ſe æqvalem DEO,* (eſſe æqvalia
τὰ ἴσα, ſeu æqvaliter DEO, eſſe & poſſe æqvalia DEO, poſſe ſe æ-
qvaliter gerere DEO. Non tanqvam raptâ divinitate ſe oſtentare,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

7 ac pro voluntate humanâ uti voluit.) *Sed ſemetipſum exi-*
nanivit, (tanqvam non haberet formam DEI, nec ſubſiſteret æ-
qvaliter ipſi.) *formam ſervi* (pro ſplendore divinô) *accipiens*,
in ſimilitudinem hominum (aliorum vulgarium) *factus*,
8 *& habitu inventus ut homo*, (humanam figuram, habitum,
geſtum, formam omnium oculis repræſentans,) *humiliavit ſe-*
ipſum, factus obediens (Patri ſuo) *usq; ad mortem*, (dicens
non mea, ſed voluntas tua fiat, Matth. 26, 39. 42.) *mortem au-*
tem crucis (diram & ignominioſam.)

9 *Propter qvod* (qvia homo exiſtens in formâ DEI erat, eaq;
ſe in gloriam DEI ad tempus abdicaverat) *& DEUS exaltavit*
(ὑπερύψωσε, ſuperexaltavit) *illum, & donavit illi nomen,*
qvod eſt ſuper omne nomen, (hominis filio nomen gloriæ,
qvô nullum eminentius, dedit, ut nempe DEUS, DEI Filius, Salvator
10 mundi appelletur, planâ & apertâ confesſione omnium,) *ut in*
nomine JEſu omne genu flectatur cœleſtium (Angelo-
rum & beatorum hominum in cœlis) *& terreſtrium*, (homi-
num in terrâ viventium) *& infernorum*, (καταχθονίων ſubter-
raneorum, ſpirituum in carcere & mortuorum qvantumvis tre-
11 mentium) *& omnis lingva confiteatur, qvia Dominus*
(eſt) *JEſus Chriſtus, in gloriam DEI Patris.* (Si non in
hoc ſeculo, utiqve in univerſali illô judiciô, Roman. 14, 10. 11.
Eſa. 45, 23.)

Tertiam rationem petit à cauſa efficiente ſalutis hoc modo:
DEUS ſolus eſt, qvi operatur in homine benè velle & perficere.
Ergò gratia ejus reverenter habenda, & ſalus in timore ac tremo-
re operanda eſt, ac proinde nihil per contentionem aut inanem
12 gloriam ſapiendum. *Itaq; charisſimi mei, ſicut ſemper*
obe-

obediſtis, non ut in præſentiâ meâ tantùm, (tanqvam hominem metuentes) *ſed multò magis nunc in abſentia mea, cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini,* (in humilitate & ſanctimoniâ Spiritûs, ambitionis & contentionis cauſas procul habentes.) *DEUS eſt enim, qvi operatur* 13
in vobis & velle & perficere pro bonâ voluntate, (ut ſuum in vobis beneplacitum compleat, non ut vos veſtrum carnale placitum peragatis, bonamq́; voluntatem in vobis excitatam extingvatis.)

Qvartum argumentum à decoro vocationis Chriſtianorum ſumtum eſt, hâc ſententiâ: Filios DEI, verbum vitæ continentes decet ſine reprehenſione, & ſimpliciter ambulare in medio nationis pravæ & perverſæ filiorum hujus ſeculi. Ergò omnia facere ſine murmurationibus & dubitationibus, in concordiâ, humilitate & dilectione ſincerâ.

Conſeqvens præponit Apoſtolus: *Omnia autem facite* 14
ſine murmurationibus, (qvæ ſunt ambitioſorum contentioſorumq́;) *& hæſitationibus,* (qvæ ſunt discordium & disſenſiones captantium ſine cauſa.) Antecedens ſubjungit: *Ut ſitis* 15
ſine qverela, (ἄμεμπτοι, de qvibus jure nemo qveri posſit,) *& ſimplices* (ἀκέραιοι, ſinceri Spiritu) *filii DEI ſine reprehenſione in medio nationis pravæ & perverſæ,* (ethnicæ ac profanæ.) Illuſtrat ſimilitudine: *Inter qvos lucetis ſicut luminaria in mundo,* (Sol, luna & ſtellæ, Apoc.12,1. Matth.5,14.) *verbum vitæ continentes,* (radians in cordibus veſtris.)

Qvintum ab utili in ipſum Apoſtolum redundante ſic habet: Glorioſum eſt Paulo in die Domini JESU, & lætificum in ipſa morte, lætitiamq́; parit ipſis Philippenſibus, ſi unum ſentiant, & à contentionibus abſtineant. Ergò illis unum ſentiendum, à disſenſionibus & murmurationibus temperandum.

Antecedens ponit diſertè, Conſeqvens non repetit, qvod ex

16 antè dictis clareat. *Ad gloriam* (inqvit) *meam in die Chri-*
ſti, qvòd non in vacuum cucurri, neq; in vanū laboravi,
17 (ſed vos irreprehenſibiles DEO filios educavi.) *Sed etſi immolor*
ſupra ſacrificium (ἐπὶ τῇ θυσίᾳ, ſuper ſacrificio & miniſterio
λειτουργίᾳ) *fidei veſtræ, gaudeo & congratulor vobis.*
(Qvanqvam ſpero me vobiscum in carne manſurum, tamen etſi
immolarer, & tanqvam ſacrificium me offerens DEO jugularer ſu-
per hoc miniſterio, qvod fidem veſtram DEO velut hoſtiam paro,
nihil me lætificabit magis, qvàm conſtantia & concordia veſtra.)
18 *Idipſum autem & vos gaudete,* (in unitate Spiritûs,) *&*
congaudete mibi.

Tertia particula eſt *Amplificatio*, qvâ declarat, qvantoperè de-ſideret hanc gloriationem de Philippenis in die judicii ac immolationis ſuæ, qvandoqvidem Timotheum hâc de causâ ad ipſos mittere conſtituerit, jamq; Epaphroditum mittat: qvos ambos deſcribit à donis, ac præſertim fidelitate erga ipſos.

19 De Timotheo ita loqvitur: *Spero autem in Domino*
JEſu, Timotheum me citò mittere ad vos, (qvi accerſitus
venit ad me, 2.Timoth.1,1. & 4,9.) *ut & ego bono animo ſim,*
20 *cognitis, qvæ circa vos ſunt. Neminem enim habeo*
tàm unanimem, (ἰσόψυχον, eâdem mente præditum,) *qvi ſin-*
21 *cerâ affectione pro vobis ſollicitus ſit. Omnes enim,*
qvæ ſua ſunt, qværunt, non qvæ ſunt JEſu Chriſti,
(inter qvos & Demas, Theſſalonicam vobis vicinam profectus,
2.Tim.4,10. & alii ſuum honorem ſitientes, ſuaq; lucra apud vos.)
22 Probat à Philippenſium experientiâ propriâ: *Experimentum*
autem ejus cognoſcite, (noſtis, γινώσκετε,) *qvia ſicut Patri*
23 *filius mecum ſervivit in Evangelium. Hunc igitur ſpe-*
ro me mittere ad vos, mox ut videro, qvæ circa me
ſunt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſunt, (qvem eventum vincula mea ſint ſortitura.) *Confido au-* 24
tem in Domino, qvoniam & ipſe veniam (qvòd & ipſe ven-
turus ſim) *ad vos citò.*

Nunc de Epaphrodito agit: *Neceſſarium autem exi-* 25
ſtimavi, Epaphroditum fratrem, & cooperarium, &
commilitonem meum (in militia JEſu Chriſti,) *veſtrum au-*
tem Apoſtolum (legatum ad me,) *& miniſtrum neceſſita-*
tis meæ (qvam adferens munera veſtra levavit) *mittere ad*
vos.

Ratio miſſionis attexitur: *Qvoniam qvidem omnes* 26
vos deſiderabat, & mœſtus erat, propterea qvòd au-
dieratis illum infirmatum. Nam & infirmatus eſt usq; 27
ad mortem. Sed DEUS miſertus eſt ejus, non ſolùm
autem ejus, verùm etiam mei, ne triſtitiam ſuper tri-
ſtitiam haberem. (Ne vinculis afflicto adderetur ex morte a-
mici afflictio.)

Feſtinantiùs ergò miſi illum, ut viſô eô iterum 28
gaudeatis, & ego ſine triſtitia ſim, (ἀλυπότερος, triſtitiæ
minus habeam.) *Excipite itaq; illum cum omni gaudio in* 29
Domino, & hujusmodi in honore habetote. Qvoniam 30
propter opus Chriſti (opus dilectionis erga me Chriſti ſervum)
usq; ad mortem acceſſit, tradens animam ſuam, (deſpe-
rans de vita ſua) *ut impleret id, qvod ex vobis deerat er-*
ga meum obſeqvium. (ἵνα ἀναπληρώσῃ τὸ ὑμῶν ὑστέρημα τῆς
πρός με λειτουργίας, ut impleret id, qvod deſiderabatur miniſterii
veſtri erga me. Hoc enim adhuc deerat, ut repræſentaretis mihi
Romæ, in ipsô carcere meô, obſeqvium & dilectionem veſtram,
qvas partes Epaphroditus ſubiit, iisq; defungendis mortis peri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

culum adiit præſentisſimum. Qvapropter amore honoreq; veſtrô dignus.)

CAPUT TERTIUM.

ALtera *Propoſitionis pars* de vitandis Pſeudodoctoribus *explicatur qvatuor membris, Exordiô, Propoſitione, Confirmatione & Epilogô.*

Exordium benevolentiæ & attentioni ſervit. Benevolentiæ, qvia hortatur ad gaudium in Domino, perturbationi è ſeductoribus oppoſitum.

1 *De cætero*, inqvit, *fratres mei* (τὸ λοιπὸν, qvod reſtat) *gaudete in Domino.* Attentioni & docilitati, dum rationem reddit ſcriptionis ejusmodi, qvâ eadem ſæpè verba inculcantur. Nam verſ.18. ſuprà cap.2. ſcripſerat: Etiam vos gaudete & congratulamini, ſeu congaudete mihi. Et iterum infrà cap.4,4. Gaudete in Domino ſemper, & rurſus dico gaudete. Hæc igitur verba cur toties ingeminet, amoliendo faſtidio ſubmonet, cùm inqvit: *Eadem vobis ſcribere, mihi qvidem non pigrum, vobis autem neceſſarium.* (ἀσφαλὲς, tutum, certum, eximens errorem & dubitationem. Qvæ enim ſæpiùs repetuntur, certiora ac firmiora æſtimantur.)

2 *Propoſitio* relatione exornatur: *Videte canes*, (impudenter nos allatrantes, ſine mente, ſine judicio,) *videte malos operarios*, (tempus luxu & ignaviâ abſumentes, utilitatis Domini incurioſos,) *videte conciſionem*, (concidentem oviculas Domini, non circumcidentem cor, lingvam, vel aures ſuas, ſed concidentem alios verè DEI amantes. παρωνομασία elegantisſima.)

Confirmatio fit *tribus argumentis. Primum* à deſcriptione veræ circumciſionis petitum ſic formabitur: Qvi falsò jactant circumciſionem, cavendi ſunt à verè circumciſis. Judaici canes & mali operarii falsò jactant circumciſionem, qvæ conciſio potiùs qvàm circumciſio appellanda. Ergò cavendi à verè circumciſis.

Aſſumptum probat opponendo verè & falsò circumciſos,

cùm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

cùm ait: *Nos enim ſumus circumciſio,* (metonymia adjun- 3
cti pro ſubjecto. Valet enim, nos ſumus circumciſi,) *qvi Spiritu*
ſervimus DEO, (mortificantes carnis concupiſcentias) *&*
gloriamur in Chriſto JEſu, (ſemine Abrahæ benedictô, in
qvô hæreditas eſt promiſſa,) *& non in carne fiduciam ha-*
bentes, (tanqvam Abrahæ ſemen carnale ob carnis prærogati-
vam adoptione dignum ſit. Ea enim gloriatio ipſo circumciſio-
nis Sacramento excluditur. Nam ſi ſecundùm carnem & ex ſan-
gvinibus eſſent filii DEI, circumciſio data non fuiſſet.)

Alterum à ſuo exemplo ducit Apoſtolus in hanc ſententiam: Qvam gloriationem is, qvi maximè ea excellebat, ſprevit, ut aliam meliorem acqvireret, ea cum ſuis gloriatoribus vitanda, & altera melior ſectanda eſt.

Gloriationem Judaicorum deceptorum Paulus, utut maximè eâ excellens, ſprevit, ut meliorem acqvireret.

Ergò illa cum ſuis gloriationibus vitanda, & illa Pauli melior inqvirenda eſt.

Minor tribus membris conſtat. *Primum* enim oſtendendum Paulo, qvòd gloriatione Judaica illa excellat. *Deinde* qvòd eam ſpernat. *Tertiò*, qvænam ſit illa altera melior, qvam inqvirat.

Hæc ergò agit dicendo *primùm*: *Qvanqvam ego ha-* 4
beam confidentiam in carne. Si qvis alius videtur con-
fidere in carne, ego magis, circumciſus octavô die, ex 5
genere Iſraël, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis,
ſecundùm legem Phariſæus, (accuratiſſimæ Hebræorum re-
ligionis ſectæ, Act. 26, 5.) *ſecundùm æmulationem* (qvam illi 6
magni faciunt, Act. 22, 3.) *perſeqvens Eccleſiam, ſecundùm*
juſtitiam, qvæ in lege eſt, converſatus ſine qverela.

Secundò qvantum ſpernat eam gloriam, ἐπιμονῇ καὶ ὑπερβο-
λῇ μεταφορικῇ illuſtratâ oratione memorat. *Sed qvæ mihi* 7
fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum
de-

8 *detrimenta. Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam* (τὸ ὑπερέχον, eminentiam ſcientiæ) *Chriſti Domini mei, propter qvem omnia detrimentum feci,* (omnium jacturam feci, τὰ πάντα ἐζημιώθην) *& arbitror ut ſtercora,* (σκύβαλα.)

Tertiò, qvam gloriam qværat & venetur, præclarè edisſerit, initiò generatim, cùm ait: *ut CHRISTUM lucrifaciam,* i.e. ut eum mihi acqviram Salvatorem & Dominum, in qvo omnia habeo. Deinde particulatim qvid in Chriſto jam nunc habeat, & qvid deinceps in eo ſperet & deſideret, explicat.

Jam dixit de eminentia cognitionis Chriſti, nunc qvid per
9 eam boni conſeqvatur, attexit: *Et inveniam in illo Chriſto, inqvam, non meam juſtitiam, qvæ ex Lege eſt,* (per qvam juſtificari neqveo coram DEO,) *ſed illam, qvæ ex fide eſt Chriſti, qvæ ex DEO eſt juſtitia in fide,* (imputata gratis ſine operibus, non operanti, ſed credenti, qvemadmodum credidit Abraham DEO, & imputatum eſt illi ad juſtitiam, Rom. 4.2.3.4.)
10 *Ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis ejus,* (qvâ regeneramur & vivificamur omnes, nunc qvoad Spiritum, & deinceps etiam, qvoad hoc corpus, qvod geſtamus, 1. Pet. 1,3. Epheſ. 2,5.6.7.) *& ſocietatem pasſionum ejus, configuratus morti ejus,* (per crucifixionem veteris hominis, & aboli-
11 tionem corporis peccati, Rom. 6,2.3.) *Si qvomodo occurram ad reſurrectionem, qvæ eſt ex mortuis,* (in qvâ perficietur reſurrectio & renovatio, qvæ nunc inchoatur per Spiritum. Nunc enim prodeundum eſt obviam Chriſto, & aliqvo usqve procedendum, ut ad reſurrectionem illam perfectam qvaſi occurramus Domino JEſu.) Itaqve pergit oſtendere, qvantum adhuc exſpectet
12 gloriæ per Chriſtum. *Non qvòd jam acceperim* (illam plenam reſurrectionem, aut reſurrectionis CHRISTI virtutem,)
aut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

aut jam perfectus ſim. Seqvar(perſeqvar, διώκω)*autem, ſi comprehendam, in qvo & comprehenſus ſum à Chriſto JEſu.* (Ideò me Chriſtus apprehendit, & è tenebris hujus mundi extractum ſibi addixit, ut eò contendam in Spiritu, ut ad ipſum perveniam, abſolutamq; in cœlis perfectionem conſeqvar.)

Tertium argumentum capit ab oppoſitione finis ſeu ſcopi, qvem fideles & falſiloqvi Doctores captant. Qvi enim diverſum habent à falſiloqvis Doctoribus ſcopum, ii eos vitare debent. Philippenſes cum Apoſtolo diverſum habent à falſiloqvis Doctoribus ſcopum. Ergò vitare eos debent. Minor probatur ſanctiſſimâ ipſius Apoſtoli confesſione, ac ſimilis ſententiæ commendatione.
Fratres (inqvit)*ego me non arbitror comprehendisſe,* 13
puta perfectionem ſeu plenam reſurrectionis Chriſti virtutem.
Unum autem (comprehendi,)*qvæ qvidem retrò ſunt ob-* 14
liviſcens, ad ea verò, qvæ ſunt priora, (anteriora) *extendens meipſum, ad deſtinatum* (ſcopum, σκοπὸν)*perſeqvor ſeu contendo, ad brabéum ſupernæ vocationis DEI in Chriſto JEſu.* (Qvæ jam asſecutus ſum, tanqvam ſpatia ſemel decurſa, non attendo, in iis me non jacto; qvæ verò nondum asſecutus ſum, tanqvam ſpatia adhuc emetienda ob oculos ſemper pono, & ſic contendo ad metam, ut conſeqvar perfectionem in corpore & animâ meâ, qvæ eſt brabéum cœleſtis vocationis in hoc ſtadium, à DEO perſolvendum in Chriſto JESU.)
Qvicunqve ergò perfecti ſumus, hoc ſentiamus, 15
i.e. qvicunqve cognovimus virtutem reſurrectionis & ſocietatem pasſionum Chriſti, habemusq; non noſtram, ſed eam, qvæ ex fide eſt, DEI juſtitiam, hoc ſentiamus, qvod modò dixi. Qvanqvam enim ſic perfecti ſumus, ut haud ampliùs puerorum inſtar fluctuemus, ſed exercitatos habeamus ſenſus ad diſcretionem boni maliq;, Epheſ.4,14. Hebr.5,14. 1.Cor.2,6. & 14,20. Nondum tamen eâ perfectione ſumus, ut omni peccato careâmus, aut DEUM, ſicut cognoſcimur, cognoſcamus, ſed puerilis eſt ſapientia & loqvela noſtra, à qva indies ad virilem perfectionem progrediendum eſt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

1.Corinth.13,10. 1.Joh.1,8. & 3,2. Epheſ. 4,13. *Hoc igitur ſapia-
mus, & ſi qvid aliter ſapitis*, (huc non pertinens) *& hoc
vobis DEUS revelabit*, (qvum perfectiorem veritatis noti-
tiam conſeqvemini. Nemo enim absqve hac ſententia perfectus
in Chriſtianiſmo reputabitur.)

Conclusione repetit primò Propoſitionem, ſed modo diver-
ſo. Nam ſicut ſuprà dixit, cavete canes, cavete malos operarios:
ita nunc ait, incedite eôdem canone nobiscum, imitatores mei
eſtote, & omnium ſimilium mei. Tùm explicat, qvos intelligat
malos operarios, qvemq; ſcopum illis præfixum putet cavendum,
16 ac contrarium ſeqvendum. *Veruntamen*, ait, *ad qvod per-
venimus*, (ſi nondum perfecti ſumus,) *ut idem ſapiamus, in
eâdem permaneamus regulâ*, (ſecundùm eundem canonem
incedamus, τῷ ἀυτῷ ϛοιχεῖν κανόνι, τὸ ἀυτὸ φρονεῖν. Hoc enim
omnibus qvomodocunqve perfectis ſapiendum, ut unô cum Apo-
ſtolis canone incedant, ſolôq; divinô verbô ab iis ſcriptô & præ-
17 dicatô nitantur.) *Imitatores mei eſtote fratres*, (qvà do-
ctrinam, qvà vitam) *& obſervate eos, qvi ita ambulant,*
18 *ſicut habetis formam nos. Multi enim ambulant, qvos
ſæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico*, (plorans
horribilẽ eorum pervicaciam, qvam ipſa mea vincula loqvuntur,)
19 *inimicos crucis Chriſti*, (ut ſuam ſtabiliant juſtitiã, Rom.10,3.)
qvorum finis interitus, qvorum Deus venter eſt,
(Rom.16,18. cui qvotidiè ſacrificant, & in cujus gratiam omnia fa-
ciunt,) *& gloria in confuſione ipſorum*, (in iis glorian-
tur, de qvibus erubeſcendum erat, & erubeſcent aliqvando,)
20 *qvi terrena ſapiunt*, (qvà doctrinam & qvà vitam.) *Noſtra
autem converſatio* (τὸ πολίτευμα, civitas,) *in cœlis eſt*,
(in terris peregrini & hoſpites, civitatem hîc manentem non
agnoſcimus, futuram inqvirentes, Hebr.13,14.) *unde etiam Sal-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

vatorem exſpectamus, Dominum JEſum Chriſtum.
Qvi reformabit corpus humilitatis noſtræ, (hoc corru- 21
ptibile, animale, infirmum, peccato obnoxium transformabit, ut fiat conforme) *configuratum corpori claritatis ſuo, ſecundùm operationem, qvâ etiam poteſt ſibi ſubjicere omnia,* i.e. ſecundùm omnipotentiam, qvâ omnia ſibi tenet obnoxia, etiam hoc efficiet, ut miſera hæc corpora ad figuram glorioſi corporis ſui reformentur in illuſtri illô die, ut pleniùs dictum 1. Corinth. 15.

CAPUT QVARTUM.

TErtium ἐκθέσεως *membrum* hôc capite continetur cum extremâ parte Epiſtolæ, qvæ eſt *Concluſio.*

Etenim poſtqvam de unitate fidei tenendâ, vitandisq; Pſeudodidaſcalis diſſeruit, reſtabat, ut de fructibus etiam fidei qvædam admoneret; idq; parciùs facit hâc, qvàm aliis Epiſtolis, qvòd Philippena Eccleſia eâ exhortatione minùs indigeret.

Cæterùm conſtat & illa ſectio partibus qvatuor, Exordiô, Exhortatione perſonarum ſingularium, *Exhortatione* ad ſingulares fidei fructus proferendos, & *Peroratione* hujus diſſertatiunculæ ſpeciali, qvam deinde totius Epiſtolæ ſeqvitur *Epilogus.*

Exordium dilectioni aptum ita ſonat: *Itaq; fratres mei* 1
charisſimi & deſideratisſimi, gaudium & corona mea, ſic ſtate in Domino charisſimi. (παλιλογία καὶ ἀναδίπλωσις affectûs vehementiam ſignificat.)

Seqvitur *Exhortatio* ad certa individua ſpectans. Perſonæ enim ſingulares ſunt duæ fœminæ, & compar Apoſtoli *Evodiam,* 2
inqvit, *rogo, & Syntychen deprecor idipſum ſapere in Domino,* (non disſidere ab invicem ampliùs.) *Etiam rogo &* 3
te germane compar, (fortè Sylvane, qvi es mihi σύζυγος γνήσιος ad prædicationem Evangelii inter gentes, Act. 15, 40. & 16, 25.

Clemens Alexandrinus Apoſtolum propriam vult uxorem allo-
qvi, qvam habuerit qvidem, ſed non circumduxerit, ut reliqvi A-
poſtoli. Locus eſt in 3. Stromatum,) *adjuva illas, qvæ me-
cum laboraverunt in Evangelio, etiam cum Clemente
& cæteris adjutoribus meis, qvorum nomina ſunt in li-
bro vitæ,* (ſicut decet me de eis ſtatuere, inſcriptos eſſe libro vi-
tæ, i.e. catalogo electorum ad vitam æternam in JEſu Chriſto, ante
fundationem mundi, qvòd electionis ſuæ non obſcura teſtimonia
edidêre.)

Altera exhortatio ad fidei fructus peculiares, præcipit *primùm*
lætitiam in Domino, qvæ ex cognitione electionis oritur neceſſa-
4 riò. *Gaudete,* inqvit, *in Domino ſemper, & iterum dico*
(ut ſeriò me id velle ſciatis) *gaudete.* *Secundò* modeſtiam his
5 verbis: *Modeſtia* (ἐπιεικὲς, æqvitas) *veſtra nota ſit omni-
bus hominibus.* *Tertiò* vitandas inanes curas, omnemq; ſollici-
tudinem precando effundendam coram Domino, argumentatur
6 à propinqvitate Domini, ſuos curantis attentiſſimè. *Dominus
propè eſt* (omnibus eum invocantibus, Pſal. 145, 18.) *nihil ſolli-
citi ſitis, ſed in omni* (qvod ſollicitudinem creat) *oratione,
& obſecratione* (δεήσει, deprecatione malorum) *cum gra-
tiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud
DEUM,* (omnia intuentem & audientem.) *Qvartò* pacem il-
7 lis commendat ſub formulâ voti: *Et pax DEI, qvæ exupe-
rat omnem ſenſum,* (ut nulla mens ejus excellentiam attingat)
*cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras in Chri-
ſto JEſu,* i. e. ſint corda & cogitationes veſtræ cuſtoditæ per
Chriſtum JEſum in pace DEI, ut ſvaviter in eo acqvieſcatis tan-
qvam benigniſſimô Patre veſtrô, nunqvam excidentes gratiâ ejus.
Deniqve in unum congerit omnia, qvæ fusè dici poterant, ſcribens:
8 *De cætero* (qvod reliqvum) *fratres, qvæcunq; ſunt vera,*

qvæ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

qvæcunq; pudica, (σεμνὰ, honorabilia, honeſta, gravia,) *qvæ-*
cunq; juſta, qvæcunq; ſancta, (ἁγνὰ, caſta) *qvæcunq; a-*
mabilia, qvæcunq; bonæ famæ, ſi qvà virtus, ſi qvà
laus, hæc cogitate. Qvæ & didiciſtis & accepiſtis, & 9
audiſtis & vidiſtis in me, hæc agite, & DEUS pacis
(in qvo jucundè poteſtis conqvieſcere) *erit vobiscum.*
Hucusqve Propoſitionis enarratio.

EPILOGUS.

P*Artes Epilogi duæ ſunt, Gratiarum actio* pro ſubſidiariò munere, &
Salutationes.

In gratiarum actione primùm declinat cupiditatis ſuſpicio-
nem, allegatâ αὐταρκείᾳ ſuâ. *Gaviſus ſum* (ait) *in Domino* 10
vehementer, qvoniam tandem aliqvando refloruiſtis
pro me ſentire, (ut olim florebatis, cùm principiò vobis annun-
ciarem Evangelium,) *ſicut & ſentiebatis* (dudum,) *occupati*
autem eratis, (ἠκαιρεῖσθε, opportunitas vos deficiebat.)
Non qvaſi propter penuriam dico. Ego enim didici, in 11
qvibus ſum ſufficiens eſſe, (αὐτάρκης εἶναι, acqvieſcere, con-
tentus eſſe,) *ſcio & humiliari, ſcio & abundare: ubiqve* 12
& in omnibus inſtitutus ſum, (μεμύημαι qvaſi ſanctè initia-
tus) *& ſatiari & eſurire, & abundare & penuriam pa-*
ti. Omnia poſſum in eo, qvi me confortat Chriſto. 13

Deinde laudat factum factoresq; ipſos, ac rationem reddit
laudationis hujus. *Veruntamen benè feciſtis communi-* 14
cantes tribulationi meæ. Scitis autem & vos Philip- 15
penſes, qvòd in principio Evangelii, qvando profectus
ſum à Macedonia, nulla mihi Eccleſia communicavit
in ratione dati & accepti, (ſpiritualia accepta compenſare,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

annexâ redditione corporalium, 1. Corinth. 9, 11. Rom. 15, 27.)
16 *niſi vos ſoli. Qvia & Theſſalonicam ſemel & bis in*
17 *uſum mihi*, (ad neceſſitatem meam miſiſtis.) *Non* (vos laudo)
qvia qværo donum, ſed reqviro fructum abundantem
in rationem veſtram, (ut veſtris rationibus multum debeam.)
18 *Habeo autem omnia, & abundo: repletus ſum acceptis*
ab Epaphrodito, qvæ miſiſtis, odorem ſuavitatis, ho-
ſtiam acceptam, placentem DEO. (DEO ſacrificatum eſt,
qvicqvid dediſtis mihi, Matth. 10, 40. 41. 42. Hebr. 13, 16.)

Tertiò precatur compenſationem divinam Philippenſibus,
19 DEUMq; laudat pro ſe & pro ipſis. *DEUS autem meus im-*
pleat omne deſiderium (χρείαν, indigentiam, neceſſitatem)
veſtrum, ſecundùm divitias ſuas in gloriâ in Chriſto
20 *JEſu. DEO autem & Patri noſtro gloria in ſecula ſe-*
culorum. Amen.

Salutationes ſunt amœbææ, atqve Apoſtolicâ benedictione
21 finiuntur. *Salutate* (inqvit) *omnem ſanctum in Chriſto*
JEſu. Salutant vos omnes, qvi mecum ſunt fratres.
22 *Salutant vos omnes ſancti, maximè autem qvi de Cæ-*
ſaris (Neronis) *domo ſunt.* (Nimirum illis major erat fami-
liaritas cum Philippenis, qvia Romani erant Romanorum civium
colonia.
23 *Gratia Domini noſtri JEſu Chriſti cum Spiritu*
veſtrô, (μετὰ πάντων ὑμῶν, cum omnibus vobis.) *Amen.*

Ad Philippenſes ſcripta eſt ab urbe Româ
per Epaphroditum.

JO-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

JOHANNIS CLUVERI, SS. THEOL. D.
ejusdémq; olim Profeſſoris Sorani, & poſteà Superintendentis Dithmarſici,

ANALYSIS EPISTOLÆ S. PAULI AD COLOSSENSES.

COloſſas inter celeberrima Phrygiæ oppida numerat Plinius lib. 6. Nat. Hiſt. cap. 32. ibiq; flumen eſſe narrat lib. 31. cap. 2. in qvo lateres conjecti lapides extrahantur. Coloſſenſes, ſicut & Romanos in carne non viderat Apoſtolus, cùm literis eos adiret, prout ipſe fatetur Roman. cap. 1. & hujus Epiſtolæ cap. 2, 1. Inſtituerat autem Coloſſenſes, Epaphros, primarius qvidam Eccleſiæ Doctor Aſiaticus & Laodicenæ, Hieropolitanæ atqve Coloſſenſis Eccleſiarum fundator, qvemadmodum perſpicitur Col. 1, 7. & 4, 13. Idem Romæ concaptivus Paulo ob nomen Domini JEsu, ut eſt in Epiſtola ad Philemonem verſ. 23. haud dubiè rogavit Apoſtolum, ut hanc ad eos Epiſtolam daret, utpotè ſemper certans in precibus pro eis, ut ſtarent perfecti & completi in omni voluntate DEI, Coloſſ. 4, 12. Planè non videtur eodem tempore miſſa, qvò illa ad Epheſios, perlatore qvanqvam eodem Tychico, ut ſatis patet è verſu ſeptimò capitis qvarti in hac, & verſu 21. capitis ſexti ad Epheſios. Unde eſt argumenti & verborum tanta ſimilitudo, ut hæc ad Coloſſenſes illius compendium dici mereatur. Succesſit igitur ei, qvæ ad Philippenſes data eſt. Nam cùm ad Philippenſes & Coloſſenſes ſcriberet Paulus, jam venerat Romam Timotheus, qvem de ablegatione Tychici in Aſiam certiorem reddit Epiſtolâ poſteriori cap. 4, 12. qvâ etiam ipſius adventum poſtulat, eòdem ſcilicet tempore, qvô ad Epheſios ſcripſerat, Tychicô internunciô.

Partes Epiſtolæ ſunt *qvatuor: Exordium, Propoſitio,* Ἔκθεσις & *Concluſio.*

CA-

CAPUT PRIMUM.

E*Xordium, Propoſitio, & Enarrationis pars* aliqva hôc capite continentur.

EXORDIUM.

E*Xordium*, qvemadmodum & alia Paulina, ſalutatione, & gaudii amorisq́; defecati ſignificatione conſtat.

Salutationem qvod attinet, jungit ſibi in ſubſcriptione Timotheum, qvemadmodum in præcedente ad Philippenſes, qvoniam illum præ aliis planè ſibi ἰσόψυχον eſſe prædicat. Eratq́; Timotheus Evangeliſta, prout alibi diximus. Salutantes igitur duo ſunt, Paulus, qvi ſemetipſum deſcribit ab officio, & Timotheus.
1 *Paulus Apoſtolus JEſu Chriſti per voluntatem DEI,*
2 *& Timotheus frater.* Salutati ſunt Coloſſenſes. *Iis*, inqvit,
qvi ſunt Coloſſis ſanctis & fidelibus fratribus in Chriſto JEſu. Salus, qvam eis precatur, eſt, *Gratia & pax à DEO Patre noſtro, & Domino JEſu Chriſto.*

Altera Exordii pars benevolentiæ & amori ſerviens, ſignificat Pauli & Timothei gaudium ex illuminatione Coloſſenſium captum. Id qvod elucet è gratiarum actione & precibus ad DEUM pro ipſis: Cujus cauſas enumerant fidem, charitatem, & ſpem Coloſſenſium, in cœlis complendam, earumq́; cauſarum cauſam annunciationem Evangelii, verſ. 5, 6. cum indicatione adminiſtri, per qvem Coloſſenſes doctrinam Chriſti, Paulus verò ac Timotheus famam de eorum profectu acceperint.

3 *Gratias agimus DEO & Patri Domini noſtri JE-*
4 *ſu Chriſti, ſemper pro vobis orantes, audientes fidem*
veſtram in Chriſto JEſu, & dilectionem, qvam habetis in ſanctos omnes, (in qvibus conſiſtit verus Chriſtianiſmus)
5 *propter ſpem, qvæ repoſita eſt vobis in cœlis, qvam*
audiſtis (anteà, προηκούσατε) *in verbo veritatis Evan-*

gelii,

gelii, qvod pervenit ad vos, ſicut & in univerſo mundo, 6
& fructificat & creſcit, ſicut & in vobis, ex qvâ die,
audiſtis & cognoviſtis gratiam DEI *in veritate,*
(fructificavit.) *Sicut* (etiam) *didiciſtis ab Epaphra charis-* 7
ſimo conſervo noſtro, qvi eſt fidelis pro vobis miniſter
JEſu Chriſti, qvi etiam manifeſtavit nobis dilectio- 8
nem veſtram in Spiritu.

PROPOSITIO.

PRopoſitio gemina* eſt de plenitudine agnitionis DEI *una*, de fructificatione bonorum operum *altera*.

Prima eſt: Optamus vos proficere ſeu impleri agnitione voluntatis DEI in omni ſapientiâ & intellectu ſpirituali. *Altera*: Et ambulare dignè Domino, ad omne ejus beneplacitum in omni bonô opere fructificantes.

Exornat Apoſtolus demonſtratione jugis ſui affectus, & allegatione cauſæ efficientis, qvæ eſt divina potentia, qvæ ſola operari
poteſt tantum in homine boni. Verba ſunt: *Ideò & nos, ex* 9
qvâ die audivimus, non ceſſamus pro vobis orantes &
poſtulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus,
in omni ſapientiâ & intellectu ſpirituali. Ut ambuletis 10
dignè Domino (JESU, à qvo vocati eſtis,) *per omnia placen-*
tes, in omni opere bonô fructificantes & creſcentes
(indies) *in ſcientia* DEI. *In omni virtute confortati* 11
ſecundùm potentiam claritatis ejus (potentiam ejus glo-
rioſam & omnium celebratione dignisſimam) *in omni patien-*
tiâ & longanimitate cum gaudio, (qvæ ſingulares ſunt præcipuæq; virtutes Chriſtianiſmi, patientem erga DEUM, longanimem ſe præbere erga proximum, cum gaudio emergente à ſpe futuri ſeculi.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ENARRATIO.

ENarratio, *ἔκθεσις*, ſive mavis, Confirmatio Propoſitionis (ut ſæpè aliàs) *bipartita eſt*, *primùm* agens de fide, *deinde* de fructibus & operationibus fidei.

Prior pars, *Expoſitio*, inqvam, intellectûs & ſapientiæ ſpiritualis, iterum *bimembris* eſt. *Primô* membrô enarrat ipſam veram ſapientiam. *Alterô* hortatur, ne ab eâ dimoveri ſe patiantur.

Ad prius qvod attinet, commemorat eo beneficia à DEO nobis præſtita in Chriſto JEſu, qvæ noſſe veriſſima ſapientia eſt, eaq; mox verſû viceſimô primô ad ipſas Coloſſenſes accommodat.

Commemoratio illa eſt tùm generalis, tùm ſpecialis.

Generaliter proponit beneficia DEI, verſu duodecimô ſcri-
12 bens: *Gratias agentes Patri, qvi dignos nos fecit in*
partem ſortis ſanctorum in lumine (æternô illô & admira-
bili, 1.Petr.2,9. Joh. 8,12.) Speciatim explicat primùm explanan-
do miſeriam, unde erepti, & beatitudinem, ad qvam translati ſu-
mus. Tùm deſcribendo redemptorem & autorem ſalutis, à duo-
bus beneficiis primariis. Unum eſt conſtitutio & creatio omnium,
qvam peregit nondum caro factus. Alterum reſtitutio & repara-
tio, qvam idem præſtitit incarnatus, cujus modum finemq; attexit.
Miſeriam, in qva hæſimus, vocat captivitatem ſub poteſtate tene-
brarum; Beatitudinem verò, qvam adepti ſumus, translationem
in regnum Filii DEI, cujus ſangvine liberati remisſionem accepi-
13 mus peccatorum. *Qvi eripuit nos*, inqvit, *de poteſtate te-*
nebrarum, (& principum in tenebris hujus mundi dominan-
tium, Epheſ.6,12. Luc.22,53. Act. 26,18. 1.Petr.2,9.) *& transtu-*
lit in regnum Filii dilectionis ſuæ, (qvem & ipſum unicè di-
14 ligit, & in eo diligit, qvemcunqve diligit, Epheſ.1,6.) *in qvo ha-*
bemus redemptionem per ſangvinem ejus, remisſionem
peccatorum.
Seqvitur deſcriptio Salvatoris atqve beneficiorum ejus.
15 *Qvi eſt imago DEI inviſibilis*, (non factus ad imaginem,

ut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ut homines, ſed ipſa imago ſubſtantialis,) *primogenitus omnis*
creaturæ, (genitus ab ipſo, priusqvam ulla creatura fieret.)
Qvoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cœlis & in 16
terrâ, viſibilia & inviſibilia, ſive throni, (poteſtates An-
gelicæ cæteris præſidentes,) *ſive dominationes* (ſupremis pro-
ximæ) *ſive principatus, ſive poteſtates*, (certis mundi re-
gnis aut provinciis præpoſitæ, ut illi Principes Perſiæ & Græciæ a-
pud Danielem, cap. 10, 11.) *omnia per ipſum & in ipſum*
(ad ipſum glorificandum) *creata ſunt. Et ipſe eſt ante* 17
omnes, (tanqvam creator & factor omnium, Johan. 1, 1. 2.) *&*
omnia in ipſo conſtant, (geſtata verbo potentiæ ejus, Ebr. 1, 3.)
Poſtqvam de creatione omnium diſſeruit, nunc qvoqve de repa-
ratione agit, procurata per eundem DEI Filium: *Et ipſe eſt ca-* 18
put corporis Eccleſiæ, (Epheſ. 1, 22. & 4, 15. & 5, 23.) *qvi eſt*
principium, primogenitus ex mortuis, (1. Cor. 15, 20. Apoc.
1, 5. qvi primus ad vitam immortalem reſurrexit, viamq; omnibus
fratribus ad eandem vitam aperuit, 2. Timoth. 1, 10.) *ut ſit in o-*
mnibus (tùm creatis, tùm reparatis,) *ipſe primatum tenens.*
Qvia in ipſo complacuit (ſanctæ Triadi) *omnem plenitu-* 19
dinem habitare, (ex qvâ omnia reparentur & conſiſtant.)
& per eum reconciliare omnia in ipſo (εἰς αὐτὸν, in ipſum, 20
ad ipſius gloriam) *pacificans per ſangvinem crucis ejus*,
(per ipſum, δι' αὐτοῦ) *ſive qvæ in terris, ſive qvæ in cœlis*
ſunt. (Placuit DEO uni & trino, Patri, Filio & Spiritui Sancto, ut
in Filio omnis plenitudo habitaret, qvam ipſe habet à Patre, & Spi-
ritus à Filio, Joh. 16, 15. ut in ipſo reconciliarentur omnia per ſan-
gvinem ejus, qvandoqvidem & homo factus terram & DEUS ma-
nens cœlum in ſeipſo conjunxit, adeóq; cœleſtia & terreſtria in
ſeſe copulavit. Scalæ inſtar Jacobææ, qvæ vertice cœlum attin-

gens, terram cœlo ſociabat, Gen.28,12. Angelis in eâ ſurſum deorſum commeantibus. Nam propter Chriſtum Angeli ad nos deſcendunt, Joh.1,52. Matth. 18,11.)

Jam qvæ dixit, applicat Coloſſenſibus, depingens eorum primò corruptionem & miſeriam, poſteà qvoqve felicitatem ſeu beatitudinem, tùm præſentem, tùm futuram.

Statum corruptionis paucis verbis perſtringit, qvando ait:
21 *Et vos, qvum eſſetis aliqvando alienati & inimici ſenſu, in operibus malis,* (cum DEO eſſetis & omnibus cœli incolis inimici, & cogitationibus, dictis factisq; alieni ab iis ac ſeparati.)
22 *Nunc autem reconciliavit* (hic ſtatus reparationis) *in corpore carnis ſuæ* (infirmo & peccatrici ſimillimo ſubſtantiæ, qvale corpus carneum aſſumſit, ut obediret vice noſtrâ, Rom. 8,3. Phil.2,9.) *per mortem.* Futura gloria eſt iſta: *Exhibere vos ſanctos & immaculatos & irreprehenſibiles coram ſeipſo,* (in glorioſo die adventûs ſui.)

Procedit nunc ad *alterum membrum*, qvô commonefacit Coloſſenſes de conſtantiâ, ne dimoveantur à ſpe Evangelii, qvod ſemel recepêre. Eaq; *admonitio* eſt vel *generalis*, qvæ hoc capite proponitur & confirmatur; vel *ſpecialis*, qvæ ſecundo pertexitur.
23 Etenim primò generatim ait: *Exhibebit vos immaculatos, ſi tamen permanetis in fide fundati & ſtabiles, & immobiles à ſpe Evangelii, qvod audiſtis.*

Firmat ſtatim *tribus argumentis*, qvorum *primum* ducit ab adjunctâ univerſalitate Evangelii; *alterum* à ſuo teſtimonio, qvod divinum eſſe probat, tùm ob paſſiones, qvas ſuſtineat, tùm qvòd à DEO ipſo commiſſum ſibi ſit officium. *Tertium* verò ab ipſius Evangelii indole, argumentô & ſcopô, verſ.26.27.28.29.

Primùm enim de Evangelio ait: *qvod prædicatum eſt in univerſa creatura, qvæ ſub cœlo eſt,* (ſecundùm Chriſti præceptum, Matth.28. Marci 16,15.)
24 *Secundò: Cujus factus ſum ego Paulus miniſter.*

Qvi

Qvi nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo
(ἀνταναπληρῶ, viciſſim adimpleo, qvæ olim coëgi alios pati)
ea, qvæ deſunt paſſionum Chriſti (qvod adhuc reſtat pati-
endum Chriſto, non in corpore ſuô naturali, ſed myſticô, ſicut
olim dicebat mihi, Saule Saule, qvid perſeqveris me, qvando
membra ejus affligebam. Ita Chriſto patiendum usqve ad finem
ſeculi, donec ponantur omnes inimici ſcabellum pedum ipſius.
Earum igitur, qvæ adhuc implendæ ſunt, paſſionum partem ego
adimpleo, vicem reddens iis, qvas qvondam ipſi excitavi, red-
densq;) *in carne meâ pro corpore ejus, qvod eſt Eccleſia,*
(non expiando aut propitiando, qvod non eſt meum, nec cujus-
qvam hominis, 1. Cor. 1, 13. Pſal. 49, 8. 9. ſed ædificando, conſolan-
do, & confirmando, 2. Cor. 1, 6.) *Cujus* (Eccleſiæ) *ego factus* 25
ſum miniſter ſecundùm diſpenſationem DEI, qvæ da-
ta eſt mihi in vos, (omnesq; gentes) *ut impleam verbum*
DEI, (tùm prædicando, tùm ſcribendo.)

Tertiò qvale ſit verbum Evangelii, qvod ejus argumentum,
qvis finis, edocet. *Myſterium,* ait, *qvod abſconditum* 26
fuit à ſeculis & generationibus (præteritis, qvas DEUS
ὑπερεῖδε, tolerans ignorantiam earum:) *Nunc autem mani-* 27
feſtatum eſt ſanctis ejus, qvibus voluit DEUS notas
facere divitias gloriæ, (qvàm larga & opulenta ſit gloria my-
ſterii ſeu) *Sacramenti hujus in gentibus. Qvod eſt*
(ὅς ἐστι ſcil. πλοῦτος, qvæ opulentia eſt) *Chriſtus in vobis, ſpes*
gloriæ. (Qvi enim illum habet, ipſam ſpem gloriæ in ſeipſo poſ-
ſidet, imò ipſam vitam æternam in ſe incipientem & manentem,
1. Joh. 5, 12. 20.) *Qvem nos annunciamus, corripientes* 28
omnem hominem, & docentes omnem hominem (qvem-
vis nobis oblatum) *in omni ſapientiâ, ut exhibeamus*
omnem hominem perfectum in CHRISTO JESU.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

29 (Hic finis Evangelii.) *In qvo & laboro, ſecundùm operatio-*
nem ejus, qvam operatur in me in virtute.

CAPUT SECUNDUM.

POſtqvam in genere admonuit, ne dimoveantur à ſpe Evangelii ſemel recepti, nunc ſpecialiùs, qvæ vitanda ducat, percenſet. Nimirum ne decipiantur perſvaſibilitate Philoſophiæ, neve Judaicis traditionibus, neve inani humilitatis, aut cultûs Angelici oſtentatione.

Partes ergò ſunt *qvatuor, Exordium & Commonefactio triplex.*

Procœmiò attentionem & benevolentiam movet ſuam ſollicitudinem, Evangeliiq; accepti præſtantiam ac fructum exponendo.

1 *Volo enim vos ſcire, qvalem ſollicitudinem* (ἡλίκον
ἀγῶνα, qvantum certamen) *habeam pro vobis, & pro iis,*
qvi ſunt Laodiceæ, & qvicunq; non viderunt faciem
2 *meam in carne: ut conſolentur corda eorum inſtructi*
(συμβιβαθέντων, ſolidè firmatorum) *in charitate, & in omnes*
divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem myſte-
rii DEI & Patris & Chriſti, (h.e. ut & voluntas eorum ve-
rô in DEUM amore feratur, & intellectus divitiis cognitionis divi-
3 næ impleatur, perſpiciantq; myſterium DEI & Chriſti,) *in qvo,*
puta Chriſto, *omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt*
reconditi. (Qvi enim Chriſtum cognoſcit, omnes in illo ſapientiæ ſcientiæq; theſauros reperit. Ibi unio eſt, qvam inveniens omnia divendit, ut habeat illum, Matth. 13, 44. 45.)

Seqvuntur ipſæ commonefactiones, qvarum *prima* ſic proponitur:
4 *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in ſublimitate*
ſermonis. (ἵνα μή τις ὑμᾶς παραλογίζηται ἐν πιθανολογίᾳ, ne
qvis malè ratiocinando vos fallat verborum perſvaſibilitate.)

Stabilit monitum tribus argumentis.

Primum petit à decoro. Præclarum enim eſt in eo, qvod

qvis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

qvis rectè didicit, perſeverare ac proficere. Coloſſenſes autem
benè inſtitutos, ſvaviſſimis verbis refert: *Nam etſi corpore* 5
abſens ſum, ſed ſpiritu vobiscum ſum, gaudens & vi-
dens ordinem veſtrum, (indicium bonæ inſtitutionis) *&*
firmamentum ejus, qvæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ.
Sicut ergò accepiſtis JEſum Chriſtum Dominum, in 6
ipſo ambulate. Radicati & ſuperædificati in ipſo, & 7
confirmati in fide, ſicut & didiciſtis, abundantes in eâ,
in gratiarum actione. (Gratias enim debetis DEO, qvi purâ
vos Evangelii luce illuſtravit, profectumq; in ea ad abundantiam
usqve urgere pulcrum.)

Alterum capit ab alienæ doctrinæ autoribus & principiis,
ipſa ſuâ vanitate aſpernandis. Eſt enim humana & elementis hu-
jus mundi ſuperſtructa. *Videte*, inqvit, *ne qvis vos decipiat* 8
per Philoſophiam, (non prohibeo diſcere Philoſophiam, ſed
attendere hoc velim ſingulos, ne decipiamini per eam, & tan-
qvam prædæ habeamini per ſapientiæ naturalis ſtudium,)
& inanem fallaciam, (qvæ eſt) *ſecundùm traditionem*
hominum, ſecundùm elementa mundi, (principia naturæ,
& non ſecundùm Chriſtum.)

Tertium ab eminentia ducit autoris Chriſtianiſmi, & benefi-
ciorum ex ipſo profluentium in ſanctos & fideles, qvá occaſione
præcipuos fidei articulos recitat.

Qvia in ipſò (Chriſto) *inhabitat omnis plenitudo* 9
Deitatis corporaliter; (h.e. in ipſius corpore, tanqvam habi-
taculô propriô, domicilium ſibi fixit omnis plenitudo Deitatis,
& qvicqvid à DEO peti aut exſpectari poteſt. Qvocirca ad elemen-
ta mundi vanè confugitur, ut iis intellectus noſter perficiatur.)
Et eſtis in ipſo repleti, (ut nihil ultrà reqviratis ad ſalutem,) 10
qvi eſt caput omnis principatûs & poteſtatis, (etiam

An-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

11 Angelicæ) *in qvo & circumciſi eſtis circumciſione non*
manu factâ, in exſpoliatione corporis carnis, (in depoſi-
tione veteris hominis & mortificatione corporis peccati, Rom. 6,
12 1.2.) *in circumciſione Chriſti* (ſpirituali) *conſepulti ei in*
Baptiſmo, in qvo & reſurrexiſtis (vitâ donati novâ) *per*
fidem operationis DEI (à DEO in vobis procreatam,) *qvi ſuſ-*
13 *citavit illum à mortuis. Et vos cùm mortui eſſetis in*
delictis & præputio carnis veſtræ, convivificavit cum
14 *illo, donans vobis omnia delicta,* (Epheſ. 2, 1. &c.) *delens*
qvod adverſus nos erat chirographum decretis (firma-
tum, & nos accuſans convincensq; peccati, maledictionisq; reos
efficiens,) *qvod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de*
medio, affigens illud cruci. (Dum enim ipſe execratio pro
nobis eſt factus, execrationem Legis in corpore ſuô expiavit, &
chirographum Legis qvaſi clavis transfixum, casſum irritumq;
15 reddidit.) *Et exſpolians principatus & poteſtates* (te-
nebrarum, mortis ac maledictionis executionem habentes, Hebr.
2, 14.) *traduxit* (ἐδειγμάτισεν, oſtentui habuit) *confidenter,*
triumphans illos in ſemetipſo, (dum potentiæ eorum virus
experiri, ac per mortem ipſam penetrando, redivivus eorum car-
cerem ſubire non renuit, in ſeipſo ſuoq; corpore dæmonas vin-
cens, & tanqvam in triumpho ducens.)

Hinc ergò concluditur, præ illo Rege, capite & triumphatore nihil ampliùs reqvirendum. Nec verò in Legis ceremoniis ullam perfectionem ſitam.

16 Eſt igitur *alterum ſpeciale monitum: Nemo vos judicet in*
cibo aut in potu, aut in parte diei, (feſti,) *aut neomeniæ,*
aut ſabbatorum, h.e. nemo vos condemnet, tanqvam in iis de-
licti aliqvid commisſum ſit.

17 Confirmat à propriô illarum conſtitutionum fine: *Qvæ*
ſunt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſunt umbra futurorum (bonorum & beneficiorum,) *corpus*
autem Chriſti, (qvi verè illa bona ſuppeditat, qvæ legalibus o-
lim inſtitutis adumbrabantur. Lex enim umbram continet futu-
rorum bonorum, non ipſam imaginem vivam, multò minùs cor-
pus ipſum verum, Hebr. 10,1.)

Tertium monitum eſt: Nemo vos ſeducat, (καταβραβευέ- 18
τω, brabéo defraudet, coronam intercipiat.) *volens in humili-*
tate & religione Angelorum, qvæ non vidit, ambulans,
h.e. nemo vobis imponat ſpecie humilitatis & religionis Angeli-
cæ, qvaſi per Angelicam abſtinentiam demeriturus DEUM.

Confirmatio ab adjunctâ vanitate ducitur. *Qvæ qvis*
enim non vidit, ſi absqve diviná revelatione affirmet, *fruſtrà*
inflatus eſt ſenſu (ἀπὸ τοῦ νοός, à mente) *carnis ſuæ ſeu car-*
nali. At humilitatem & cultum Angelorum, qvomodo ipſi DEUM
colant, non viderunt iſti Encratitæ. Ergò vanè inflantur ſpiritu
mentis ſuæ. Qvod etiam absqve divinâ revelatione illa affirment,
& ſectentur, myſticis verbis declarat Apoſtolus, cùm ſcribit de
ejusmodi hypocrita: *non tenens caput*, puta Chriſtum, *ex* 19
qvo totum corpus per nexus & conjunctiones ſubmini-
ſtratum (ſubminiſtrationi aptum) *& conſtructum*, συμβι-
βαζόμενον, validè compactum, *creſcit in augmentum DEI.*
Qvæ verò ἁφαὶ καὶ σύνδεσμοι? Utiqve media iſta, per qvæ Spiritus
Chriſti commeat à capite ad omnia membra. Qvæ verò iſta? Chri-
ſtus, inqvit Johannes 1. Epiſt. 5,6. venit per aqvam & ſangvinem, &
Spiritus eſt, qvi teſtatur, qvòd Spiritus eſt veritas. Baptiſmus enim
& Cœna ſacra, aqva Baptiſmatis & ſangvis poculi Dominici jun-
gunt nos capiti; & Spiritus per verbum Chriſti teſtatur veritatem,
miniſtrantibus iis, qvos Chriſtus & totum corpus ejus, i.e. Eccle-
ſia, conſtituunt veluti vaſa, in qvibus contineatur theſaurus do-
norum ſpiritualium, & ſic ad ſingula membra derivetur. Hi ſunt
Apoſtoli, Prophetæ, Evangeliſtæ, Paſtores, Doctores. Qvi igitur
verbum Chriſti non habet proferre, caput non tenet, à qvo omnis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

vis vivifica defluit, itaqve nec ædificare poteſt corpus ejus. Et viciſſim, qvi caput non tenet, verbo Chriſti caret, nec vivum eſt membrum, multò minùs inter *ἁφὰς* & *συνδέσμους* corporis connumerandus.

Alterum argumentum petitur à Chriſtianorum conditione propriâ mundi, non eſt, qvòd ulteriùs iisdem illaqveentur. Nam ſi elementis mundi voluiſſent inniti & inhæreſcere, Chriſtum crucifixum pro DEO & Salvatore non recepiſſent. Itaqve ait:
20 *Si ergò mortui eſtis cum Chriſto* (per Baptiſmum, ſuprà v. 12.)
ab elementis mundi: qvid adhuc tanqvam viventes in
21 *mundo* (nondum ei crucifixi) *decernitis? Ne tetigeris, neqve guſtaveris, neq; contrectaveris.* Interrogatione & mimeſi dogmatiſtarum illuſtrat argumentum, ut tantò evidentiùs pateat, qvid eos cupiat vitare, nimirum dogmata de qvorundam ciborum devitatione, tanqvam humilitati & cultui Angelico non convenientium.

Tertium à proprietate rerum vetitarum ductum, congruit cum illo Domini effato, Marci 7, 15. 18. 19. Qvicqvid extrinſecus intrat hominem, non poteſt eum profanare. Qvoniam non ingreditur in cor, ſed in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit, purgans o-
22 mnes eſcas. Sic & Paulus: *Qvæ ſunt*, inqvit, *omnia in interitum ipſo uſu.* Corrumpuntur & exciuntur, ac proinde non coinqvinant hominem. Sed fortè rectiùs verba hæc conjunguntur *μιμήσει*, ut ſcilicet dixerint dogmatiſtæ: Ne tetigeris, neqve contrectaveris, neqve guſtaveris, qvæ ſunt omnia in interitum abuſu, *τῇ ἀποχρήσει*. Malè iis homines utuntur, & in corruptelam iis cedunt. Fuerunt enim, qvi dicerent, carne animantium nutriri hominis illud, qvod non à DEO bono, ſed à materiâ malóve DEÔ esſet. Videntur enim Gnoſticorum & Cerinthianorum ſemina jam tùm ſpargi cæpiſſe in Eccleſiâ. Poſterius hoc probo, qvia pulchrè cohæret cum antecedentibus & conſeqventibus, & magis eſt ipſi textui genuinum.

Poſtremum argumentum ducit ab autoribus ejusmodi dogmatum, qvi ſunt homines ſapientuli, ſibimetipſis placentes. Mandatis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ctis doctrinisq; hominum DEUS coli neqvit, Matth. 15,9. Eſa. 29,13.
Dogmata de cultu Angelicô ſunt mandata doctrinæq; hominum.
Ergò iis coli DEUS neqvit. *Secundùm præcepta*, ait, *& do-* 23
ctrinas hominum. Quæ ſunt rationem qvidem haben-
tia ſapientiæ in ſuperſtitione, (ἐθελοθρησκείᾳ, cultu electi-
tio, qvalis verè eſt ſuperſtitio) *& humilitate, & non ad par-*
cendum corpori, (καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, Unſchönligkeit des
Leibes/ut ajunt Saxones noſtri,) *non in honore aliqvo ad ſa-*
turitatem carnis. Hoc vult: ſpeciem habere ſapientiæ dogmata cibaria, qvà ſunt ſuperſtitioſa, humilitatem & contemptum carnis præ ſe ferentia. Omnis enim ſuperſtitio, humilitas & deſpectus corporalium ſapientiam præ ſe fert haud vulgarem. At viciſſim carere ſpecie & ratione ſapientiæ, qvà honorem & nutritionem carni ſecundùm naturam præſtandam denegant. Ac proinde tanqvam humana placita, nullo apud Chriſtianos loco habenda.

CAPUT TERTIUM.

A*Lterum Enarrationis* Epiſtolaris *membrum* agit de veris operationibus ac fructibus Chriſtianæ fidei, idq; pro more, tùm *generatim*, qvoad omnes fideles, tùm *ſpeciatim*, qvoad certa vitæ genera.

Generalis inſtructio continet *primùm* intentionis directionem. *Tùm* peccata vitanda. *Tertiò* bona opera exercenda.

Intentio, ſtudiumq; Chriſtianorum ſit qværere cœleſtia. Probatur ab illorum arctisſimâ conjunctione cum Chriſto, qvippe cum qvo peccato & mundo mortui, DEO autem vivificati, & cœleſti prærogativâ donati ſunt.

Verba Apoſtoli ſunt: *Igitur ſi conſurrexiſtis cum* 1
Chriſtô, (ut dictum ſuprà cap. 1,12.13. & 2,12.13.) *qvæ ſurſum*
ſunt, qværite, ubi Chriſtus eſt in dextera DEI ſedens,
(in glorioſâ DEI potentiâ regnans.) *Qvæ ſurſum ſunt, qvæ-* 2

 rite,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

rite, non quæ ſuper terram. (Matth.6,20.33. Luc.12,35. 1. Tim.
3 6,19.) *Mortui enim eſtis,* (vetus homo veſter cum Chriſto cru-
cifixus eſt, 2. Cor.4,16. Rom.6,6.) *& vita veſtra eſt abſcon-
dita cum Chriſto in DEO,* (inviſibilis, ſicut Chriſtus ipſe, du-
4 rante hôc ſeculô.) *Qvum Chriſtus apparuerit, vita ve-
ſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloriâ.* (Filii qvi-
dem DEI vocamini, ſed mundus non novit vos, qvia nec ipſum
Chriſtum novit. Nunc filii DEI eſtis, ſed nondum apparuit, qvid
futuri ſitis. Scimus autem, qvoniam qvum apparuerit, ſimiles ei
erimus: qvoniam videbimus eum, ſicuti eſt, 1. Joh.3,1.2.)

Peccata vitanda non tantùm commemorat, ſed & rationes,
cur vitanda ſint, profert prægnantisſimas, à pernicie conſeqven-
te, & ſtatûs Chriſtiani decoro petitas.

5 *Mortificate ergò,* inqvit, *membra veſtra, quæ ſunt
ſuper terram,* (vires veſtras terrenas, veteris Adami & exterio-
ris hominis proprias, oculos, aures, pedesq; vos ſcandalizantes,
Matth.5,28.29.30.& 18,8. Marci 9,47.) *fornicationem, immun-
diciam, libidinem, concupiſcentiam malam & avari-
tiam, quæ eſt ſimulachrorum cultus.* (Avarus enim ſervit
mammonæ, non DEO, Matth.6,21.24. ſperans in divitiis, non in
6 DEO, 1. Tim.6,17.) *Propter quæ venit ira DEI ſuper filios
incredulitatis,* (multò igitur minùs effugient, qvi fidem profi-
7 tentur & talia faciunt, Epheſ.5,5.) *In qvibus & vos ambula-
ſtis aliqvando, qvum viveretis in illis,* (nondum Chriſto
commortui. Hoc autem tempus aliam vitam adfert, alios mo-
res poſtulat.) Redit ad commemorationem deponendorum vi-
8 tiorum: *Nunc autem deponite & vos omnia* (terrena mem-
bra iſta) *iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam,
9 turpem ſermonem de ore veſtrô. Nolite mentiri invi-
cem.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

cem. Summatim inqvit *exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis.*

Cæterùm *virtutes* exercendas proponit *primò generatim, deinde ſigillatim* commemorat, ac *tertiò* argumentis efficacibus munit ac firmat. Etenim generatim monet induere novum hominem, hoc eſt, transformari ſpiritu mentis ad imaginem DEI, ad qvam reparati ſumus in Chriſto JESU, ſicut ad eandem in principio creabamur.

Et induite (inqvit) *novum, qvi renovatur in agni-* 10
tionem ſecundùm imaginem ejus, qvi creavit illum
(in principio, Geneſ. 1, 27.) *Ubi non eſt gentilis & Judæus,* 11
circumciſio & præputium, Barbarus & Scytha, ſervus
& liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus, hoc eſt, qvoad
novum hominem nulla eſt perſonarum, gentium, conditionum,
externarum qvalitatum differentia. Nihil ad eum poteſt Judaiſmus, nihil efficit Græciſmus: Chriſtus ibi ſolus poteſt omnia, qvi unus idemq; eſt in omnibus. In omni gente, qvi timet DEUM, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi, Act. 10, 35. Gal. 3, 28.

Jam ſingulatim, in qvibus occupetur novus homo, qvæq;
ſint imaginis divinæ dotes, recenſet. *Induite vos ergò, ſicut* 12
electi DEI ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, be-
nignitatem, humilitatem, manſvetudinem ſeu mode-
ſtiam, patientiam, ſupportantes, ἀνεχόμενοι, *tolerantes* 13
invicem, & donantes vobismetipſis, ſi qvis adverſus
aliqvem habet qverelam. Super omnia autem hæc 14
charitatem, qvod eſt vinculum perfectionis. (Charitate
enim tanqvam vinculo continentur virtutes reliqvæ, qvibus homo Chriſtianus perficitur, ne diffluant qvaſi & inutiles reddantur, 1. Cor. 13.)
Et pax Chriſti (exuperans omnem ſenſum, qvam 15
mundus non poteſt dare, Joh. 14, 27. Phil. 4, 7.) *exultet* (βραβευέτω,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

brabevet) *in cordibus veſtris, in qvam & vocati eſtis in*
16 *uno corpore, & grati eſtote. Sermo Chriſti habitet in*
vobis abundanter in omni ſapientiâ, docentes & com-
monentes vosmetipſos Pſalmis, hymnis & canticis ſpi-
ritualibus, in gratiâ cantantes in cordibus veſtris
17 (non ſolô ore aut inſtrumentis) *DEO.* Deniqve ait: *Et omne,*
qvodcunq; facitis in verbo aut opere, omnia in nomine
Domini JEſu Chriſti, (propter ipſum & ipſius juſſu facite)
gratias agentes DEO & Patri per ipſum.

Confirmat hæc monita Apoſtolus inſperſis rationibus, qvarum *prima* à decoro ducitur, dum vocat Coloſſenſes electos DEI, ſanctos & dilectos. Tales enim decet talia, qvalia expoſuit.

Altera verſ. 13. à Chriſti exemplo. *Sicut & Chriſtus* (inqvit) *donavit vobis, ita & vos.*

Tertia à ſcopo vocationis, dum ſcribit: *Vocati eſtis in pacem Chriſti in uno corpore.* Nam certè, ut æternâ invicem pace fruamur, vocati ſumus, unius corporis membra facti, ſub capite uno Chriſto Domino.

Qvarta à fine omnium operum, qvi eſt gloria & laus DEI & Patris. Hactenus de operationibus fidei tanqvam in genere diſſeruit.

Nunc porrò ſpeciatim inſtruit *primùm* conjuges, *ſecundò* parentes & liberos, *tertiò* ſervos & dominos, *qvartò* auditores, qvaliter ſe gerere debeant erga Paſtores ſuos, *qvintò* qvaliter erga extraneos.

Uxorum & maritorum, filiorum & parentum, ſervorum item officia hôc capite abſolvit.

18 Uxoribus ita præcipit: *Mulieres ſubditi eſtote viris*
19 (ἰδίοις, propriis,) *ſicut oportet in Domino.* Viris ita: *Viri*
diligite uxores, & nolite amari eſſe ad illas, (adverſum
illas, 1. Petr. 3, 7. ut non impediantur orationes veſtræ.)

Poſteà tranſit ad filiorum ac parentum officia. Illis inqvit:

Fi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Filii obedite parentibus per omnia (in Domino, Eph. 6, 1.) 20
Hoc enim placitum eſt Domino. His verò: *Patres nolite* 21
ad indignationem provocare filios veſtros, ut non pu-
ſillo animo fiant, (pro filiali amore & affectu, ſervilem metum odiumq; induentes.)

Servorum officium latiùs tractat, qvia illorum conditio erat deterior. Præcipit autem bona, prohibet mala, additis utrinqve rationibus.

Servi obedite per omnia Dominis carnalibus, non 22
ad oculos ſervientes, qvaſi hominibus placentes, (qvod hypocritarum eſt & carnalium DEUM ignorantium, Epheſ. 6, 6.)
ſed in ſimplicitate cordis timentes DEUM. Qvod- 23
cunq; facitis, (regula hæc verè aurea) *ex animo operamini,*
ſicut Domino, & non hominibus. Rationes ſunt ab utili & in-
utili: Scientes, qvòd à Domino accipietis retributionem 24
hæreditatis, (non ut ſervi, ſed filii DEI per Chriſtum. Ideò non ſervili metu, ſed filiali obedientiâ facite officium.) *Domino enim Chriſto ſervitis*, (non hominibus, qvantævis ſit vilitatis miniſterium veſtrum,) *qvi autem injuriam facit, recipiet* 25
id, qvod iniqvè geſſit, (luet dignas factis ſuis pœnas, non tanqvam conſors hæreditatis filius, ſed tanqvam ſervus neqvam.) *& non eſt perſonarum acceptio*, h.e. non reſpiciet DEUS vilitatem ejus aut paupertatem, ſed absqve ullius externæ conditionis reſpectu, æqvam cuilibet ſententiam feret, ſive ſervus ſiet, ſive liber.

CAPUT QVARTUM.

PRoſeqvitur regulas officiorum certis hominum generibus, aut erga ſingulares perſonas ſervandorum. Et ſic Epiſtolam
claudit. Dominus præcipit: *Domini, qvod juſtum eſt* 1

& æ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

& æqvum, ſervis præſtate: Scientes, qvòd & vos Do-
minum habetis in cœlo.

Qvartò mandat precibus inſtare, præſertim pro ſe, Timotheo
2 & ſimilibus. *Orationi inſtate, vigilantes in eâ, cum gra-*
3 *tiarum actione,* (Epheſ. 6, 18. 1. Theſs. 5, 17.) *Orantes ſimul*
& pro nobis, ut DEUS nobis aperiat oſtium ſermonis,
(patefaciat corda hominum, ſuppeditet occaſiones, locum, tem-
pora propagando Evangelio accommodata.) *ad loqvendum*
4 *myſterium Chriſti, propter qvod & vinctus ſum, ut*
manifeſtem illud ita, ut oportet me loqvi.

Qvintò, qvomodo verſandum cum exteris non Chriſtianis,
5 edocet: *In ſapientiâ ambulate ad eos, qvi foris ſunt,*
(extra Eccleſiam, 1. Cor. 5, 12.) *tempus redimentes,* (non qvidvis
6 qvôvis tempore loqventes, agentésve.) *Sermo veſter ſit ſem-*
per in gratiâ, ſale conditus, (non inſulsè in qvenqvam ir-
ruens, auresve offendens importunè) *ut ſciatis, qvomodo vos*
oporteat unicuiq; reſpondere.

PERORATIO.

Epilogus ſeu Peroratio *qvadrimembris eſt.* Nam *primò* commendat Tychicum & Oneſimum. *Tùm* reciprocas ſalutationes recitat. *Tertiò* ſingularia qvædam mandata, & *denique* benedictionem ſolennem adjungit.

Primo Tychicum Oneſimumq; & commendat, & cauſam, cur
7 veniant, explicat. *Qvæ circa me ſunt, omnia vobis nota*
faciet Tychicus, chariſſimus frater, & fidelis miniſter,
8 *& conſervus in Domino. Qvem miſi ad vos ob hoc*
ipſum, ut cognoſcat, qvæ circa vos ſunt, & conſoletur
9 *corda veſtra, cum Oneſimo chariſſimo & fideli fratre,*

qvi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

qvi ex vobis eſt, omnia, qvæ hîc aguntur, nota facient
vobis.

Deinde ſalutat eos à ſex viris inſignibus.

Primus eſt Ariſtarchus Theſſalonicenſis Macedo, qvi cum
Paulo captivus Romam miſſus eſt, Act.27,2. *Salutat vos Ari-* 10
ſtarchus concaptivus meus.

Alter eſt Johannes Marcus, olim comes Barnabæ & Pauli,
poſteà ſolius Barnabæ, Act.15,37. *Et Marcus* (inqvit) *conſo-*
brinus Barnabæ, de qvo accepiſtis mandata, ſi venerit
ad vos, excipite illum.

Tertius eſt Jeſus, qvi dicitur Juſtus, fortè is, qvi Act.18,7. Co-
rinthi habebat domum contiguam Synagogæ. De his ait: *Qvi* 11
ſunt ex circumciſione, (Judæi ſcil.) *hi ſoli ſunt adjutores*
mei in regno DEI, (εἰς βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, in regnum DEI,)
qvi mihi fuerunt ſolatio. Ergò tunc Petrus Apoſtolus Ro-
mæ non fuit.

Qvartus eſt Epaphras, qvem ſuprà etiam cap.1. deſcripſit.
Salutat vos Epaphras, qvi ex vobis eſt, ſervus Chriſti 12
JEſu, ſemper ſollicitus (ἀγωνιζόμενος, certans) *pro vobis*
in precibus, ut ſtetis perfecti & pleni in omni volunta-
te DEI, (non ſeducti ſeu per Philoſophiam, ſeu Judaicas tradi-
tiones, ſeu Gnoſticorum ſuperſtitiones.) *Teſtimonium enim* 13
illi perhibeo, qvòd habet multum laborem (ζῆλον, zelum)
pro vobis, & pro iis, qvi ſunt Laodiceæ, & qvi Hieropoli.

Qvintus eſt Lucas Pauli συνέκδημος, qvi ultrò cum ipſo Ro-
mam profectus eſt. *Salutat vos Lucas, Medicus charis-* 14
ſimus.

Sextus Demas, cui nullum addit elogium. Ad Timotheum
enim ſcribit, eum eſſe amore hujus mundi captum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Cæterùm à ſe viciſſim ſalutari cupit Laodicenos & Nymphan.
15 *Salutate fratres, qvi ſunt Laodiceæ, & Nympban, & qvæ in domo ejus eſt Eccleſiam.* (Eccleſiam ipſius domeſticâ.)

Mandata ſingularia ſunt qvatuor. Unum de Epiſtolâ hâc Coloſſenſibus ſcriptâ, etiam Laodicenis communicandâ.

Alterum de Epiſtolâ ad Apoſtolum è Laodiceâ datâ, à Coloſſenſibus legendâ. Non enim ait, ſe ad Laodicenos ſcripſiſſe, ſed è Laodiceâ Epiſtolam miſſam indigitat. Qvæ nec potuit ab Apoſtolo ſcripta fuiſſe, qvandoqvidem ipſe fatetur, Laodicenos ſuam faciem in carne non vidiſſe, ſuprà cap. 2, 1. Itaqve neceſſariò intelligenda venit Epiſtola ad Paulum ſcripta ex urbe Laodicenſium, qvâ motus hanc & Coloſſenſibus & ipſis communicari voluit. Fortè à Nymphâ aut Presbyteriô Laodicenô de ſtatu Eccleſiæ monitus, certisq; de qvæſtionibus conſultus eſt Apoſtolus, in hâc Epiſtolâ explicatis.

Tertium de Archippo officii ſui admonendo:

Qvartum de vinculorum ſuorum ratione habendâ. Textus
16 ita habet: *Et qvum lecta fuerit apud vos Epiſtola hæc,*
facite, ut & in Laodicenſium Eccleſiâ legatur, & eam,
qvæ Laodicenſium eſt, (ἐκ Λαοδικείας, è Laodiceâ,) *vos qvo-*
17 *qve legatis. Et dicite Archippo,* (Paſtori veſtro,) *vide mi-*
niſterium, qvod accepiſti in Domino, ut illud impleas.
(Attende tibi & gregi, cui te præfecit Spiritus Sanctus Epiſcopum,
ut rectè eum paſcas, Act. 20, 28.)
18 *Salutatio meâ manu Pauli. Memores eſtote vincu-*
lorum meorum, (vobismetipſis cogitandum relinqvo, qvomodo vinctorum pro JESU CHRISTO ratio ſit habenda, Hebr. 13, 3. Phil. 4, 14. &c.)

Benedictio paucisſimis verbis adſtricta ſubjicitur. *Gratia* (illâ DEI) *vobiscum. Amen.*

Ad Coloſſenſes ſcripta ab urbe Româ per Tychicum & Oneſimum.

JOHANNIS CLUVERI, SS. THEOL. D.

ejusdémq; olim Profeſſoris Sorani, & poſteà Superintendentis Dithmarſici,

ANALYSIS EPISTOLÆ PRIORIS S. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES,

in partes ſuas *ὀρθοτομȣμένης*.

THeſſalonica urbs fuit, hodieq; eſt Macedoniæ primaria, qvam à civium habitatorumq; freqventiâ laudat Strabo, *ἡ νεῶ μάλιϛα*, inqvit, *τῶν ἄλλων εὐανδρεῖ*, lib. 7. Geograph. Eam adivit Paulus cum Silvanô Prophetâ & Timotheô Evangeliſtâ, annô Dominicæ incarnationis LIV. Cumq; per tria Sabbata diſſeruisſet eis de Scripturis, aperiens ac demonſtrans oportuisſe pati Chriſtum, & reſurgere à mortuis, atqve hunc eſſe JEſum à ſe annunciatum, qvidam ex eis crediderunt, & adjuncti ſunt Paulo & Silæ, (qvi & Silvanus) & è Græcis DEUM colentibus multitudo magna, mulierumq; nobilium non pauci. Cæterùm infideles Judæi inſipientiæ ſuæ zelo æſtuantes, aſſumtis è turbâ forenſi viris improbis excitârunt ſeditionem, perturbatâq; civitate Jaſonis, apud qvem diverterat Paulus, ædes obſederunt, cupientes Paulum ac Silam pertrahere ad turbam. Qvibus non repertis ipſum Jaſonem & fratrum aliqvos traxerunt ad Principes civitatis, accuſantes Apoſtolum ac Silan rebellionis in Imperatorem, qvòd dicerent JEſum eſſe Regem: Jaſonem verò, qvòd tales orbis perturbatores hoſpitio exciperet. Sed Jaſon perturbatis primoribus ac turbis opinionem illam exemit, qvibus ut ſatis erat factum, dimiſſus cum fratribus, nocte Paulum & Silan dimiſit Beræam. Ibi degentes Judæi generoſio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſiores erant illis Theſſalonicenſibus, ſuſceptoq; promptè ſermone, qvotidiè inqviſiverunt in Scripturis, ſi hæc ita ſe haberent, qvemadmodum diſſeruerant Paulus & Silvanus. Itaqve multi ex iis crediderunt, & gentilium matronarum honorabilium virorumq; non pauci. At pervicaces & ſtulti, qvi Theſſalonicæ erant, Judæi, cognito, qvod contigerat Berœæ, eodem pervenêre, commoventes & turbantes populum. Igitur declinaturus eorum veſaniam Paulus, tanqvam mari abiturus, deductus eſt ad littus à diſcipulis, relictô Berœenſibus Silâ ac Timotheô. Interim verò deductus Athenas à Beroenſibus Chriſtianis, Silæ Timotheoq; injunxit, ut qvàm celerrimè ad ſe venirent, Act. 17. Qvibus venientibus hanc ad Theſſalonicenſes Epiſtolam ſcripſit, ſuô & Collegarum nomine, qvam Athenis dedit ad ipſos deferendam, cùm Timotheus, qvem ad confirmandos eos miſerat, eódem revertiſſet, prout commemorat cap. 3, 1. 2. &c. eſtq; prima omnium, qvas ſcripſit Apoſtolus, incitatus haud dubiè à Spiritu Sanctô ad ſcribendum non minùs qvàm ad prædicandum Athenienſibus, Act. 17, 16. Unde etiam adjurat Theſſalonicenſes, ut legatur Epiſtola omnibus ſanctis fratribus, doctis atqve indoctis, planiſſimè indicans, non ſolis Clericis ſeu Doctoribus ſcriptas eſſe literas ſacras, ſed omnibus omninò ſanctis, ut legendo & cognoſcendo eas confirmentur in fide JEſu Chriſti ad vitam æternam, 1. Theſſ. 5, 27. Ac ne ſuppoſititiis Epiſtolis fallerentur, poſteriori ſalutationem ſubſcribit manu ſuâ, idq; ſignum jubet obſervari in omnibus Epiſtolis ſibi genuinis. Hoc eſt (inqvit) ſignum in omni Epiſtolâ, ita ſcribo, 2. Theſſ. 3, 17. Unde perſpicuum eſt, qvàm religioſè Apoſtoli ipſi ſuas literas habuerint, ne qvis eorum nomine Eccleſiis imponeret, qvamq; indubitanter nunc pro Apoſtolicis ſint accipiendæ, qvas univerſalis Chriſti Eccleſia tanqvam tales nobis commendavit. Scripta eſt utraqve ad Theſſalonicenſes anno Domini LV.

Hâc priori laudat fidem, ſpem & charitatem Theſſalonicenſium, utq; in eôdem Chriſtianiſmi ſtadiô pergant, exhortatur. Deinde in certis qvibusdam vitæ Chriſtianæ capitibus eos inſtituit.

Partes ſunt qvatuor, Exordium, Theſis ſeu Propoſitio, *Propoſitionis Enarratio* & *Concluſio.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

CAPUT PRIMUM.

CApite primô Exordium, Propoſitio Epiſtolæ, & pars aliqva Enarrationis expeditur.

EXORDIUM.

EXordium uſitatam ſalutationem continet, memorantem qvi, qvos, à qvonam, qvâ ſalute impertiant.

Verba hæc ſunt: *Paulus & Silvanus & Timotheus* 1
Eccleſiæ Theſſalonicenſium in DEO Patre & Domino JEſu Chriſto: Gratia vobis & pax à DEO Patre noſtro & Domino JEſu Chriſto.

PROPOSITIO.

PRopoſitio veſtita gratiarum actionis & precationis formulâ teſtatur Apoſtolos gaudere de fide, dilectione & ſpe Theſſalonicenſium, & unicè in votis habere, ut in iis proficiant.

Textus planus eſt: *Gratias agimus DEO ſemper pro* 2
omnibus vobis, memoriam veſtri facientes in orationibus noſtris ſine intermiſſione. Memores operis fidei 3
veſtræ, (qvantum jam operata ſit fides veſtra,) *& laboris charitatis,* (qvantum charitas laboraverit,) *& ſuſtinentiæ* (ὑπομονῆς, tolerantiæ) *ſpei Domini noſtri JEſu Chriſti,* (qvantum ſpes in Domino JEſu defixa toleraverit tribulationum) *ante DEUM & Patrem noſtrum,* (qvem fide, ſpe & charitate colitis, inq; ipſius conſpectu ambulatis.)

ENARRATIO.

PRopoſitionis hujus *Expoſitio* ſeu Enarratio *bimembris* eſt.

Priori teſtantur hi ſancti Dei viri de fide Theſſalonicenſium, & gratiarum actionis ſuæ rationes recitant longè ampliſſimas.

Poſteriori inſtituunt Theſſalonicenſes de certis Chriſtianiſmi capitibus, hortantes, ut in converſatione & opere Chriſti abundent, cap. 3. 4. 5.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Prius membrum Propoſitione, Confirmatione, Amplificatione ſeu Approbatione, & *Concluſione* abſolvitur.

4 *Propoſitio* eſt: *Scimus fratres dilecti à DEO electionem veſtram.* Ergò ſeqvitur, illos pollere fide & fructibus ejus, ac meritò grates pro iis agi, orariq; DEUM, ut confirmentur.

Confirmant ſancti ſcriptores, unde ſciant electionem Theſſalonicenſium, productis *argumentis qvatuor.*

Primum ducitur à cauſis efficientibus organicis, inſigni ob ipſos gratiâ ſucceſſuq; ornatis, verſ. 5.

Alterum ab effectibus fidei ac ſpei Theſſalonicenſium, verſ. 6.

Tertium ab aliorum teſtimoniô & approbatione, v. 7. 8. 9. 10.

Anteqvam verò ad qvartum argumentum à recente Timothei experientiâ ſumptum procedat, qvod cap. 3. explicatur, prima duo confirmat, explicat & approbat capite ſecundô, prout ibi patebit.

Concluſio ſubjicitur cap. 3, 7. &c.

Primum argumentum hâc formâ ſyllogiſticâ induo, majoris evidentiæ ergò.

Apud qvos Evangelium eſt non in verbo tantùm, ſed & in virtute, & in Spiritu Sanctô, & in fiduciâ multâ, ii ſunt electi. Apud Theſſalonicenſes Evangelium ita prædicatum eſt, ut non tantùm eſſet in verbo, ſed etiã in virtute, in Spiritu Sanctô & fiduciâ multâ.

Teſtatur ipſorum conſcientiam Apoſtolus probationis locô. *Scitis*, inqvit, *qvales fuerimus in vobis propter vos.*

E. Theſſalonicenſes ſunt electi. Loqvitur autem Eccleſiæ in DEO Patre & Domino JEſu Chriſto, qvam Theſſalonicenſium nomine intelligimus.

5 Verba ſunt: *Qvia Evangelium noſtrum* (à nobis prædicatum) *non fuit ad vos in ſermone tantùm*, (auribus inſonante,) *ſed & in virtute* (ſermoni conjuncta ad perſvadendum) *& in Spiritu Sanctô*, (operante in cordibus veſtris per verbum prædicatum) *& in plenitudine* (πληροφορίᾳ, fiduciâ plenis Spiritûs velis excipiente) *multâ*, q. d. Non extimuimus

Ju-

Judæos adverſarios, nec hæſitavimus aut dubitavimus omnem vobis DEI veritatem explanare. Qvalia dona non largitur DEUS, niſi cùm vult ſalvari audientes, ſecundùm conſilium beneplaciti ſui in Chriſto. Qvare ex docentium donis rectè colligitur DEI conſilium de electione Auditorum. *Sicut* (inqvit) *ſcitis, qvales fuerimus in vobis propter vos*, Chriſto lucrifaciendos ſcilicet. Nam qvicqvid datum nobis à DEO eſt, veſtræ ſalutis causâ datum eſt.

Alterum ſic habet: Imitatores Chriſti & Apoſtolorum, excipientes verbum in tribulationibus cum gaudio Spiritûs Sancti, ſunt electi. Theſſalonicenſes facti ſunt imitatores Chriſti & Apo-
ſtolorum, dicente Paulo: *Et vos imitatores noſtri facti* 6
eſtis & Domini, ſuſcipientes verbum in tribulatione multâ, (eam memorat Lucas Actor. 17, 5.6.7.8.9.) *cum gaudio Spiritûs Sancti*, (exhilarantis in triſtitiâ corporali, Rom. 12, 12.13.) Ergò Theſſalonicenſes ſunt electi. Repetitur & expolitur hoc argumentum cap. 2, 13. &c.

Tertium aliorum teſtimonio firmatum ſic formo: Qvi ſic typos ſe proponunt aliis, ut fides eorum paſſim decantetur, ii pro electis ſunt habendi. Theſſalonicenſes typos ſe ita proponunt aliis. Ergò pro electis habendi.

Ita ait: *Ut facti ſitis typi omnibus credentibus in* 7
Macedoniâ & Achaiâ. A vobis enim diffamatus eſt 8
(ἐξήχηται, perſonuit) *ſermo Domini non ſolùm in Macedoniâ & Achaiâ, ſed & in omni locô fides veſtra, qvæ eſt ad DEUM, profecta eſt*, (ἐξελήλυθεν, exivit) *ita ut non ſit nobis neceſſe qvicqvam loqvi* (de fide veſtra.)
Ipſi enim de nobis annunciant, qvalem introitum ha- 9
buerimus ad vos, & qvomodo converſi ſitis ad DEUM
à ſimulachris ſervire DEO vivo & vero. Et expecta- 10
re

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

re Filium ejus de cœlis, qvem ſuſcitavit ex mortuis, JEſum, qvi eripuit (τὸν ῥυόμενον, ſervantem, liberantem.) *nos ab irâ venturâ*, (præſertim extremi illius & horribilis judicii. Qvi enim credit in Filium, non judicatur, & à morte tranſivit ad vitam, Joh. 5,24. & 3,18.)

CAPUT SECUNDUM.

HOc capite confirmat, expolit & amplificat primum ſecundumq; argumentum, præcedenti capite probandæ Theſſalonicenſium electioni productum.

Primùm enim comprobat, Evangelium apud Theſſalonicenſes exſtitiſſe non tantùm in verbo, verùm etiam in virtute, in Spiritu Sanctô, in fiduciâ multâ.

Idq; facit allegando hiſtoriam anteactorum, *deinde* ſinceritatem & fidelitatem miniſterii ſui, *tertiò* induſtriam, ac *poſtremò* appellando ipſorum Theſſalonicenſium conſcientiam.

1 *Rei geſtæ narratio* ſic habet: *Nam ipſi ſcitis fratres in-*
2 *troitum noſtrum ad vos, qvia non inanis fuit. Sed antè paſſi & contumeliis affecti, ſicut ſcitis, in Philippis,* (Actor. 16,22. &c.) *fiduciam etiam habuerimus* (habuimus, ἐπαῤῥησιασάμεθα) *in DEO noſtro, loqvi ad vos Evangelium DEI in multâ ſolicitudine,* (ἐν πολλῷ ἀγῶνι, cum multô certamine, nempè Judæis & turbâ forenſi nos inſectantibus, tandemq; ad necem depoſcentibus, Act. 17.)

Fidelitatem integritatemq; ſui miniſterii iſtis verbis deſcri-
3 bunt viri Dei: *Exhortatio enim noſtra non de errore,* (ſicut imputant nobis Judæi,) *neq; de immunditiâ, neq; in dolo,* (ut fraudulenter captemus ſtudia hominum, perq; ea nobis honores aut divitias acqviramus. Ita enim fiducia noſtra per tri-
4 bulationes facilè collabeſceret.) *Sed ſicut probati ſumus à DEO, ut crederetur nobis Evangelium, ita loqvi-*

mur

mur non qvaſi hominibus placentes, ſed DEO, qvi pro-
bat corda noſtra, (1.Cor.4,3.5.Gal.1,10.Proverb.21,2.Pſal.7,10.
&26,2. &139,22. Jer.11,20.) *Neq; enim aliqvando fuimus in* 5
ſermone adulationis, ſicut ſcitis, neq; in occaſione ava-
ritiæ. DEUS teſtis. Nec qværentes ab hominibus glo- 6
riam, neq; à vobis neq; ab aliis. Qvum poſſemus vo- 7
bis oneri eſſe, ut Chriſti Apoſtoli, (qvibus debetur non tan-
tùm honor, ſed & ſuſtentatio tali munere digna. Sed nos eam, ne
oneri eſſemus, exigere negleximus, ſine ſumptu veſtrô docentes
Evangelium, à Philippenſibus autem ultrò ſubminiſtrata ſemel
iterumq; accepimus, Phil.4,16.) *ſed facti ſumus parvuli in*
mediô veſtri, (non tanqvam Apoſtoli honorem depoſcentes,
ſed tanqvam veſtri ſimiles, parvuli in Chriſto,) *tanqvam ſi nu-*
trix foveat filios ſuos, (accommodans ſeſe imbecillitati eo-
rum, atqve ſermonem geſtusq; ſuos ad infantium captum attem-
perans.) *Ita deſiderantes vos cupidè volebamu tradere* 8
vobis, non ſolùm Evangelium DEI, ſed etiam animas
noſtras, qvoniam chariſſimi nobis facti eſtis.

Tertiò induſtriam laboremq; ſuum refert: *Menores enim* 9
eſtis, fratres, laboris noſtri & fatigationis. Tocte enim
& die operantes, ne qvem veſtrûm grav.remus, præ-
dicavimus in vobis Evangelium DEI. (ſimiliter Epheſi,
Act.20,34. Corinthi, Act.18,2)

Denique ad DEI & ipſorum teſtimonium rovocat: *Vos te-* 10
ſtes eſtis & DEUS, qvàm ſanctè & juſtè & ſine qve-
relâ vobis, qvi credidiſtis, fuimus. Sicut ſcitis, qvali- 11
ter unumqvemq; veſtrûm, ſicut pater filios ſuos, de- 12
precantes vos (παρακαλοῦντες, exh tantes) *& conſolantes,*

Z *teſti-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

teſtificati ſumus, ut ambularetis dignè DEO, qvi vocavit vos in ſuum regnum & gloriam.

Hactenus primi argumenti approbatio, qvam huic formæ includo: Qvibus poſt graves contumelias alibi toleratas confidenter annunciatur Evangelium, ab hominibus fraudis, ambitionis, adulationis, avaritiæq; puris, ſeq; ipſos propriô labore ſuſtentantibus, & ipſius DEI omniumq; rectè judicantium approbationem meritis; apud illos Evangelium in virtute, in Spiritu Sanctô, multâq; fiduciâ verſatur, & conſeqventer intelligitur, DEUM illos, qvibus ejusmodi mittit præcones, ad ſalutem æternam elegiſſe. Theſſalonicenſibus à Pauló, Silvanô & Timotheó ita prædicatum eſt Evangelium. Ergò plana eſt Concluſio.

Seqvitur repetitio & approbatio *ſecundi argumenti*, qvod eſt ab ipſorum Theſſalonicenſium fide patientiâq; ſumptum. Vos, ſcripſit ſupra verſ. 6. imitatores facti eſtis noſtri & Domini, excipientes verbum in tribulatione multâ, cum gaudio Spiritus Sancti. Idipſum nunc pluribus verbis explicat Apoſtolus, & amplificat tùm à deſcriptione hoſtium, tùm à ſuo deſiderio gaudioq; ſingulari.

13. *Ideò*, inqvit, *& cum ipſo Silvanus ac Timotheus, & nos gratias agimus DEO ſine intermisſione, qvoniam qvum accepisſetis à nobis verbum auditus Dei*, (verbum DEI, auditum auribus noſtris ipsô dictante, veſtrisq; exceptum nobis loqventibus,) *accepiſtis non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt verè verbum DEI, qvi & operatur in vobis, qvi credidiſtis.* Hic primus eſt gradus ad electionem hominis cujusqvam comprobandam, cùm à donis doctorum disceſſeris, nimirum recipiat verbum DEI, tanqvam DEI, eiq; verâ fide adhæreſcat. Fidem ſeqvuntur opera. DEUS enim operatur

14. in credentibus, ut pergit Apoſtolus: *Vos enim imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum DEI, qvæ ſunt in Judæâ in Chriſto JEſu: qvia eadem pasſi eſtis & vos à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Judæis.* (Nam improbi

ſcur-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſcurræ forenſes incitati à Judæis perturbârunt urbem, & ſtatim in principiô Jaſonem ac reliqvos fratres pertraxêrunt ad tribunalia, rebellionis crimen eis intentantes. Judæi verò idipſum Theſſalonicæ auſi ſunt, qvod in Judæa adverſus Paulum & alios ſanctos, qvemadmodum Actorum Apoſtolicorum collatio evincit.)
Qvi & Dominum occidêrunt JEſum & Prophetas, 15
(ἰδίȣς, proprios, è carne & gente ſuâ excitatos,) *& nos perſecu-*
ti ſunt, (Actor. 9, 13. 14. 15. 16. 17.) *& DEO non placent, &*
omnibus hominibus adverſantur, (nullis cupientes benè
niſi ſibiipſis,) *probibentes nos gentibus loqvi, ut ſalvæ* 16
fiant, (qvô odiô nihil tetrius,) *ut impleant peccata ſua*
ſemper. Pervenit autem ira DEI ſuper illos in finem.
(Traditi ſunt in reprobum ſenſum, ut oculi eorum ſemper caligent, & deleantur è libro viventium, Pſal. 69, 24. 29. Rom. 11, 9. 10. nec unqvam reconcilientur DEO.) Nunc deſiderium ſuum expla-
nat. *Nos autem fratres deſolati à vobis* (ἀπορφανισθέντες) 17
ad tempus horæ, adſpectu non corde, (Act. 17, 10.) *abundantiùs feſtinavimus faciem veſtram videre cum*
multo deſiderio. PrEptereà voluimus venire ad vos, 18
ego qvidem Paulus, (ne putetis ſolis Collegis id fuiſſe propoſitum,) *& ſemel & iterum,* (dum Athenis commoror,) *ſed impedivit nos Satanas,* (ſemper novæ rei qvicqvam objiciendo, ne perficiam, qvod in votis habeo.) *Qvæ eſt enim noſtra* 19
ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum JEſum Chriſtum in adventu
ejus? (2. Corinth. 1, 14. Phil. 4, 1.) *Vos enim eſtis gloria no-* 20
ſtra & gaudium. (Eſt interrogatio cum ἀναδιπλώσει conjuncta, teſtandi affectûs gratiâ.)

CAPUT TERTIUM.

HOc capite *qvartum* firmandæ Theſſalonicenſium electioni *documentum* profert, recentem ſcilicet Timothei experientiam, qvi ipſos mandatu Pauli viſens, in fide & charitate roboratos deprehendit. Deinde priori enarrationis membro colophonem imponit, qvô ſuam exinde coortam lætitiam cum gratiarum actione & invocatione DEI Opt. Max. declarat. Cæterùm ne qvis abſolutam ſibi Theſſalonicenſium electionem ſomniaret, exponit ſuam de ipſis ſollicitudinem, qvâ remedia ipſis procurare voluerit adverſus Satanæ tentationes & mundi ſcandala, ne fortè irritus fieret labor ſuus. Etenim ſic aliqvis alterum ſtatuet à DEO electum, ut media firmandæ electionis vocationisq; ejus nunqvam omittat. Id qvod unumqvemq; de propriâ etiam electione ſentire neceſſe eſt, niſi velit ſemetipſum fallere.

Narrat ergò *primùm* cauſas adventûs Timothei, ac *deinde* teſtimonium ejus de Theſſalonicenſibus, qvô ſententiam de electione eorum præconceptam approbaverit. Expoſitio cauſarum, ob qvas adiit Theſſalonicam Timotheus, ut hoc obiter adſpergam, infallibile ſuppeditat argumentum contra illos, qvi hoc ſeculo confirmare audent, ſemel renatos gratia DEI excidere omninò non poſſe. Nam ſi hoc verum eſſet, falsâ ſemet ſollicitudine oneràſſet Apoſtolus, dum metuit, ne fortè Theſſalonicenſes, utiqve verè renatos, tentaverit Satanas, atqve inanem fecerit laborem ipſis impenſum anteà. Verùm de iſtis copioſiùs dicere hujus loci atqve inſtituti non eſt. Progredior in verbis Apoſtoli:

1 *Propter qvod non ſuſtinentes ampliùs, placuit no-*
2 *bis remanere Athenis ſolis, & miſimus Timotheum,*
fratrem noſtrum & miniſtrum DEI, & conſervum in
Evangelio Chriſti, ad confirmandos & exhortandos
pro fide veſtrâ, (ne ab ea dimoveamini.) *Ut nemo movea-*
tur (σαίνεσθαι, turbetur, concutiatur) *in tribulationibus iſtis.*
3 *Ipſi enim ſcitis, qvòd in hoc poſiti ſumus,* (vocati, ut con-

for-

formemur imagini Filii DEI, Rom. 8,29.) *Nam & qvum apud* 4
vos eſſemus, prædicabamus vobis, paſſuros nos tribu-
lationes, ſicut & factum eſt, & ſcitis. Propterea & ego 5
amplius non ſuſtinens, miſi ad cognoſcendam fidem ve-
ſtram, ne fortè tentaverit (tentâſſet) *vos is, qvi tentat*
Satanas, Matth. 4,3. tentans ad malum, ut perdat,) *& inanis fiat*
labor noſter, (vobis fidem ſemel acceptam abnegantibus, &
gaudium Spiritûs Sancti, in qvo ſuſcepiſtis ſermonem, ſuprà cap.
1,6. extingventibus.)
Jam profert *Timothei teſtimonium: Nunc autem venien-* 6
te Timotheô ad nos à vobis, & annunciante nobis fidem
& charitatem veſtram, & qvia memoriam noſtri ha-
betis bonam, ſemper deſiderantes nos videre; Sicut nos 7
qvoq; vos, ideò conſolati ſumus fratres in vobis in
omni neceſſitate & tribulatione noſtrâ, per fidem ve-
ſtram, (teſtificantem de electione veſtrâ, ex qva ingens exiliit
gaudium nobis.)
Concluſio hujus partis conſtat ſignificatione lætitiæ, gratia-
rum actione & votô.
Lætitiam deſignant tùm verbis jam commemoratis, tùm ſe-
qventibus, cùm ſcribunt viri Dei: *Qvoniam nunc vivimus,* 8
(verè vivimus & lætamur,) *ſi vos ſtatis in Domino,* (non
commoti tribulationibus, nec proſtrati à tentatore Satanâ.)
Gratiarum actio præteritione figuratur. Neſcire enim ſe gra-
tias indicat, qvando agit illas: *Qvam enim gratiarum* 9
actionem poſſumus DEO retribuere pro vobis, in
omni gaudiô, qvô gaudemus propter vos (illuminatos &
converſos) *ante DEUM noſtrum? nocte ac die abun-* 10
dantiùs orantes, ut videamus faciem veſtram, & com-

pleamus ea, qvæ deſunt fidei veſtræ, (qvæ nondum ſatis perſpicitis & intelligitis, plenius perfectiusq; edocentes. Interim electos ſtatuit per gratiam DEI, qvantumvis agnoſcat aliqva fidei eorum ὑςερήματα.)

Votum ergò *duplex* eſt, tùm pro directione viæ ad Theſſaloni-
11 cenſes, tùm pro ipſorum confirmatione & perfectione. *Ipſe autem DEUS & Pater noſter, & Dominus noſter JEſus*
12 *Chriſtus dirigat viam noſtram ad vos. Vos autem Dominus multiplicet & abundare faciat charitate in invicem* (mutuá) *& in omnes,* (ut & vos mutuò, & alios omnes ferventer diligatis,) *qvemadmodum & nos in vobis,*
13 (erga vos charitate fervemus.) *Ad confirmanda corda veſtra ſine qverela* (ἀμέμπτως, inculpata) *in ſanctitate ante DEUM & Patrem noſtrum, in adventu Domini noſtri JEſu Chriſti cum omnibus ſanctis ejus,* (ne confundamini glorioſó illô die, qvum apparebitis coram Filio hominis, judicaturo vivos & mortuos.) *Amen.*

CAPUT QVARTUM.

CONfirmatis in fide electionis ſuæ Theſſalonicenſibus præcepta dant vitæ & converſationis Chriſtiano dignæ Apoſtoli, qvam *Enarrationis alteram* eſſe *partem* diximus.

Ea conſtat membris duobus, Propoſitione & Expoſitione.

1 *Propoſitio* eſt plana & perſpicua: *De cætero ergò fratres, rogamus & obſecramus in Domino JESU, ut qvemadmodum accepiſtis à nobis, qvomodo vos oporteat ambulare & placere DEO, ſic & ambuletis & abundetis magis,* (proficiatis omni pietate & honeſtate.)
2 *Scitis enim, qvæ præcepta dederimus vobis per Dominum JEſum,* (in vobis loqventem & operantem.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Expoſitio hujus theſeos continet præcepta de vitâ ſanctâ & honeſtâ, eaq; vel longiuſcula, vel breviuſcula.

Longiuſcula primò locô enumerat *octo*. *Breviorum* 7. congeriem poſtremò ſubnectit cap.5,15. &c.

Inter illa *primum* eſt de ſanctitate corporis conſervandâ, vitandâq; immunditiâ & ſcortatione.

Alterum de fugiendâ iniqvitate & avaritiâ.

Tertium de profectu in charitate fraternâ, verſ.9.10.

Qvartum de diligentiâ & ſedulitate vocationis laboribus impendendâ, verſ.11.

Qvintum de luctu mortuorum ethnicô vitando, verſ.15.

Sextum de die Domini tanqvam incertô ſemper exſpectandô, cap.5,1.

Septimum de honorandis complectendisq; Doctoribus, c.5,12.

Octavum de officio Doctorum Eccleſiæ, verſ.14.

Reliqva breviora ſuô locô memorabuntur.

Primum de ſanctitate & honore corporis confirmatur rationibus ductis à voluntate Dei, honeſtate ipsâ, & gentium profani-
tate. *Hæc eſt enim* (inqvit) *voluntas DEI, ſanctificatio* 3
veſtra, ut abſtineatis vos à ſcortatione, ut ſciat unus- 4
qvisq; veſtrûm vas ſuum, (corpus, qvô tanqvam vaſe ſeu
inſtrumentô utitur anima hominis, & Deus ipſe inhabitans eam,
Act.9,15. Rom.9,21. 2.Cor.4,7. 2.Tim.2,20.21. unde mulier dicitur
vas imbecillius, 1.Pet.3,7.) *posſidere* (non posſideri) *in ſancti-*
ficatione & honore, (tanqvam Dei templum, 1.Cor.6,19. 1.Tim.
2,15. Hebr.12,14.) *non in pasſione deſiderii,* (obnoxium pas- 5
ſionibus cupiditatum vitioſarum, qvibus indulgere cogatur,)
ſicut & gentes, qvæ ignorant DEUM, (voluntatem, naturam ac judicium ejus neſciunt, ac proinde cupiditates ſuas non ſiſtunt dictamini Spiritûs Sancti, ſed habenas eis laxant ſecurè.

Alterum de vitandâ injuſtitia firmatur à conſeqventi pernicioſo, ab antecedenti vocatione, & præcipientis auctoritate. Qvæ rationes tamen ad primum qvoqve mandatum pertinent, ut pla-

num

num verſ.7. cùm inqvit: *Non vocavit nos DEUS in im-*
munditiam, ſed in ſanctificationem.
6 Mandatum ipſum eſt: *Hæc eſt voluntas DEI, ut ne*
qvis ſupergrediatur, (ὑπερβαίνειν, ſupplantet) *neq́; cir-*
cumveniat (avarè, πλεονεκτεῖν) *in negotio proximum ſuum.*
Rationes: *Qvoniam vindex eſt Dominus de his omni-*
bus, ſicut & prædiximus vobis & teſtificati ſumus.
7 *Non enim vocavit nos DEUS in immunditiam, ſed in*
ſanctificationem, (ut mundo puroq́; tùm corpore, tùm animô
8 ei ſerviamus, 2.Cor.7,1.) *Itaq́; qvi hoc ſpernit, non homi-*
nem ſpernit, ſed DEUM, qvi etiam Spiritum ſuum
Sanctum in nobis (neqvaqvam exacerbandum aut triſtitiâ af-
ficiendum, Epheſ.4,30. Eſa.63.10.) *dedit.*

Tertium de fraternæ charitatis profectu roborat à decoro
atqve facili. Decet enim, nec difficile eſt benè cœpta perficere.
9 *De charitate autem fraternitatis* (Chriſtianæ) *non ne-*
ceſſe habemus ſcribere vobis. Ipſi enim vos à DEO di-
diciſtis, (θεοδίδακτοι) *ut diligatis invicem,* (inſcripta hâc le-
ge per Spiritum DEI cordibus veſtris, Eſa.54,13. Joh.6,45. Jer.31,31.)
10 *Etenim illud facitis in omnes fratres in universâ Ma-*
cedoniâ. Rogamus autem vos fratres, ut abundetis
magis.
11 *Qvartum* de diligentia ſtabilitur à decorô & utili. *Et ope-*
ram detis, ut qvieti ſitis & veſtrum negotium agatis,
(πράσσειν τὰ ἴδια, veſtra agatis ſeu propria) *& operemini ma-*
12 *nibus veſtris, ſicut præcepimus vobis. Ut honeſtè am-*
buletis ad eos, qvi foris ſunt, (Ethnicos, extra Eccleſiam &
Judæos, 1.Cor.5,12.13. Col.4,5.) *& nullius aliqvid deſideretis.*
(Si

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

(Si enim de veſtro victitetis, tanto decentiùs id videbitur extra-
neis, & utile eſt, non indigere alterius operâ.)

Qvintum de mortuis ethnicè non lugendis confirmatur à
comparatione Ethnicorum & Chriſtianorum, à ſpe reſurrectionis
& proceſſu reſuſcitationis, atqve adventus Domini, cum clauſula
de uſu verborum iſtorum. *Nolumus autem vos ignorare* 13
fratres de dormientibus, (qvi obdormiverunt,) *ut non con-*
triſtemini, ſicut & cæteri, qvi ſpem non habent, (vitam
recipiendi, aut à ſomno evigilandi, qvi propterea ſtigmata ſibi in-
urunt, aut corpus ſuum lædunt, Levit.19,27.28. nec luctui modum
ſtatuunt.) *Si enim credimus, qvòd JEſus mortuus eſt* 14
& reſurrexit: ita & DEUS eos, qvi dormierunt per
JESUM, (mortuos in fide & dilectione JEſu, & ſic in Domino
qvieſcentes, Apoc.14,13.) *adducet cum eo,* (in glorioſo die iſto.
Capite enim reſuſcitatô nec membra in ſepulchris remanebunt,
1.Cor.15.) *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini,* (non 15
noſtrô,) *qvia nos, qvi vivimus, qvi reſidui ſumus,* (ſuô
tempore) *in adventum Domini, non præveniemus eos, qvi*
dormierunt, (tanqvam præoccupantes hæreditatem cœleſtem.)
Qvoniam ipſe Dominus in juſſu, (ἐν κελεύσματι, qvô incla- 16
mabit mortuos in pulvere dormientes, ut evigilent, Johan.5,28.)
in voce Archangeli (Michaelis,) *& in tuba DEI,* (ab o-
mnibus Angelis inflanda, Matth.24,31.) *Deſcendet de cœlo* 17
(viſibiliter,) *& mortui, qvi in Chriſto ſunt, reſurgent*
primi. Deinde nos, qvi vivimus, qvi relinqvimur, ſi-
mul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino in
aëra, (ubi ſedebit in throno judicii, & congregabuntur coram
eô omnes gentes, Matth.25,31.32. Apocal.20,11.) *& ſic ſemper*
cum Domino erimus, (videntes faciem ejus, in cœleſti Jeroſo-

 lymâ,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

lymâ, Apoc. 21, 22.) *Itaq; conſolamini invicem in verbis iſtis.* (Uſus horum verborum eſt conſolatorius, ne qvis morte terreatur, neu nimiùm lugeat ſuos è ſeculo abeuntes, ſed intrepidè cupiat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, 2. Cor. 5, 1. 2. &c. Phil. 1, 23.)

CAPUT QVINTUM.

PErtexuntur reliqva morum præcepta, tandemq; tota Epiſtola votis & valedictoriis præceptiunculis finitur.

Sextum itaqve *præceptum* eſt de expectatione diei Dominicæ, & *argumentô triplici ſtabilitur.*

Propoſitio ipſa occultatur; ſed qvam argumenta ſatis ſuperq; produnt. Occaſionem enim è ſuperiori doctrinâ de luctu mortuorum moderando capit Apoſtolus, & adventûs Domini exſpectationem illi opponendam mœrori inſinuat, eamq; verbis allegoricis verſ. 6. 7. egregiè exprimit.

Argumentum primum ducitur ab ipſius adventûs naturâ, per qvam fiat, ut ſemper exſpectandus ſit, qvandoqvidem dies ei deſti-
1 nata homines lateat. *De temporibus autem & momentis,* (inqvit) *fratres, non indigetis, ut ſcribamus vobis.*
2 *Ipſi enim diligenter* (ἀκριβῶς, accuratè) *ſcitis, qvia dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet.* (Qvemadmodum furis nocturni adventus ignoratur: ſic qvando Dominus ad mun-
3 dum judicandum venturus ſit, ignoratur.) *Qvum enim dixerint, pax & ſecuritas,* (nihil nobis eveniet mali,) *tunc repentinus eis* (ſecuris & impiis) *ſuperveniet interitus, ſicut dolor in utero habenti, & non effugient.* (Sicut parturiens neſcit horam ſuam, & adventantem effugere neqvit, geſtans in corpore ſuô fœtum, qvô non liberata moritur: ſic illi horam judicii neſciunt, effugere autem neqveunt, geſtantes conſcientiam ſuam, qvæ DEI judicio revelanda, qvantumvis illis invitiſſimis.)

Alterum argumentum præbet piorum impiorumq; collatio. Si enim filii diei ſunt & lucis pii, decet eos ſemper promtos paratosq; eſſe ad exſpectandum Dominum, nec eum furis inſtar no-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

cturni advenientem extimeſcere. Nam qvi vigilat, furem nullum
metuit. Tota igitur argumentatio eſt allegorica, non tàm verbis,
qvàm mente exponenda. *Vos autem fratres, non eſtis in* 4
tenebris, ut vos dies illa tanqvam fur comprehendat.
(Fur in tenebris inſidiatur. Vos in tenebris non eſtis. Ergò furis in-
ſidias, hoc eſt, improviſum Chriſti adventum non habetis exti-
meſcere.) *Omnes enim vos filii eſtis lucis, & filii diei.* 5
Non ſumus noctis, neq; tenebrarum. (Illuſtravit nos Oriens
ex alto, Luc. 1,78.79. eramus qvondam tenebræ, obſcuratum ha-
bentes intellectum, Epheſ. 4, 18. ſed jam ſumus lux in Domino,
Eph.5,8.) *Igitur non dormiamus, ſicut & cæteri, ſed vi-* 6
gilemus & ſobrii ſimus. Qvi enim dormiunt, nocte 7
dormiunt, (docente naturâ,) *& qvi ebrii ſunt, nocte ebrii*
ſunt. (Neqve enim decet hominem honeſtatis ſtudioſum de die
inebriari, Act. 1,15. ſed comeſſationes ebrietatesq; noctis opera
ſunt, Rom. 13,13.) *Nos autem, qvi diei ſumus, ſobrii ſimus,* 8
(nec corpore, nec mente ebrii, etſi corpore dormientes, tamen
ſpiritu & mente vigilantes, exſpectantesqvè diem Domini,)
induti loricam fidei, (qvâ exſtingvantur ignita Satanæ tela,
Epheſ.6,16.) *& charitatis* (ſinceræ, non hypocriticæ. Nam hy-
pocrita non conſiſtit in tremendo illô die. 1. Joh. 3,14. & 4,16.17.20.
Matth.7,21. Johan. 13,34,35. Rom.12,9. Matth.25,45.) *& galeam*
ſpem ſalutis (in adventu Domini JEſu conferendæ. Salus enim
finis fidei & ſpei, 1. Petr. 1,9. Rom. 8, 24.)

Tertium ſuppeditat vocatio prædeſtinatioq; fidelium. Ea
enim opimam planè ſpem conciliat acqvirendæ beatitudinis in
adventu JEſu Chriſti. *Qvoniam non poſuit nos DEUS in* 9
iram (ſuſtinendam, non ſumus vaſa iræ, aptata ad interitum,
Rom.9,22.) *ſed in acqviſitionem ſalutis, per Dominum*
noſtrum JEſum Chriſtum. (Ad æternam ſalutem, non verò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

perniciem prædeſtinati ſumus, per Salvatorem JEſum Chriſtum.)
10 *Qvi mortuus eſt pro nobis, ut ſive vigilemus, ſive dor-*
miamus (corpore, i.e. ſive vivamus, ſive moriamur, Rom. 14,8.)
ſimul cum illo vivamus. (Mors enim CHRISTI vita vera.)
11 *Propter qvod conſolamini invicem, & ædificate alteru-*
trum, ſicut & facitis, (non lugentes ethnicè, nec adventum
Domini negligentes.)

Septimum mandatum ſpectat ad honorem ac venerationem Doctorum Eccleſiæ. Firmaturq; ex operis ſeu laboris eorum emi-
12 nentiâ. *Rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos,*
qvi laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, &
13 *monent vos. Ut habeatis illos abundantius in charita-*
te propter opus illorum. Pacem habete cum eis, (nolite eos exacerbare aut offendere, ne cum gemitu vigilent pro animabus veſtris. Id enim non expedit vobis, Hebr. 13,17.)

Octavum pertinet ad ipſos Doctores & Presbyteros, qvibus
14 præſcribit *qvinqve regulas. Rogamus autem vos fratres,*
(qvi laboratis & præeſtis aliis,) *corripite inqvietos,* (inſtituite incompoſitos, νουθετεῖτε ἀτάκτους, id *primum* eſto monitum.) *Conſolamini puſillanimes,* (id *alterum.*) *Suſcipite infirmos,* (tolerate imbecilles oves, id *tertium.*) *Patientes eſtote erga omnes.* (Nemo enim non labitur & impingit, id *qvartum.*)
15 *Videte, ne qvis malum pro malo alicui reddat, ſed ſem-*
per, qvod bonum eſt, ſectemini in invicem & in omnes.
(Vincite malum bono, non cumulate malum malo, Rom. 12,17.21. Hoc *qvintum* & poſtremum, ac perqvam neceſſarium.)

Seqvitur *Sylloge præceptiuncularum ſeptem,* qvarum *prima:*
16 *Semper gaudete,* puta in Domino per Spiritum ejus, prout
17 etiam hortatus eſt Phil. 4,4. *Secunda: Sine intermiſſione orate,*
ſcilicet absqve laſſitudine, ne qvis putet preces qvotidianas haud

re-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

reqviri, ſed ſemel fuſas ſufficere, Luc.18,1. *Tertia: In omnibus* 18
gratias agite, (Col.3,17. Eph.5,20.) Ratio: *Hæc eſt enim*
voluntas DEI in JEſu Chriſto in omnibus vobis,
(εἰς ὑμᾶς, erga nos. Ratio una inſtar omnium. DEI enim velle
ſufficit. Eſt pro ratione voluntas.) *Qvarta: Spiritum nolite* 19
extingvere, contriſtando ſcilicet & exacerbando efficere, ut
diſcedat, nec vivat ampliùs in vobis. Qvanqvam enim eſt æter-
nus Spiritus, Hebr.9,14. manetq; in æternum apud amantes Chri-
ſti, Joh,14,16. extingvitur tamen qvoad operationem ſuam in im-
piis, daturq; locus Satanæ, Epheſ.4,27.30. *Qvinta: Prophetias* 20
nolite ſpernere, qvibus nempe divinæ revelationes explicantur
ad doctrinam, conſolationem & correctionem hominum, 1. Co-
rinth.14,3. *Sexta: Omnia probate, qvod bonum eſt, tenete*, 21
(non credentes cuivis ſpiritui, ſed probantes eos, utrum ſint ex
DEO, 1. Joh.4,1. & num prophetia eorum conſonet analogiæ fidei,
Rom.12,6. & Scripturis divinitùs inſpiratis, Act.17,11. *Septima* de-
niqve & ultima: *Ab omni ſpecie mali abſtinete*, qvâ ſcilicet 22
ſeu Judæum, ſeu Græcum, ſeu Eccleſiam DEI ſcitis poſſe offendi,
1. Corinth.10,32.

EPILOGUS.

EPilogus ſeu Concluſio Epiſtolæ conſtat votô, admonitiunculis valedictoriis, & benedictione Apoſtolicâ.

Votum eſt: *Ipſe autem DEUS pacis ſanctificet vos* 23
per omnia, (ὁλοτελεῖς, totos, integros, Lutherus: durch vnd durch/)
ut integer ſpiritus veſter (ὁλόκληρον ὑμῶν πνεῦμα, qvicqvid
ſortiti eſtis ſpiritûs, univerſa ſors ſpiritûs, qvam adepti eſtis, nullô
diminuti donô, h.e. ne in qvoqvam veſtrûm ullum ſpiritûs do-
num exſtingvatur, *& anima & corpus ſine qverela in ad-
ventu Domini noſtri JEſu Chriſti ſervetur*. (Ut & cor-
pus & anima ab immundicia immunis cuſtodiatur usqve in diem

apparitionis JEſu Chriſti, 2.Cor.7,1.) *Fidelis eſt, qvi vocavit*
24 *vos, qvi etiam faciet.* Sic confirmat votum à fide vocantis
DEI, qvem non pœnitet donorum ſuorum, modò perſeveret homo in gratia ſemel acqviſita, Rom. 11,29. 1.Cor. 1,9. 2.Theſs 3,3.

25 *Admonitiunculæ finales* tres ſunt. *Una: Fratres, orate pro nobis.* Rom. 15,30.31. Epheſ. 6,19. Col. 4,3.4.

26 *Altera: Salutate fratres omnes in oſculo ſancto,* (amoris veri defecatiq; indicio, Luc. 7,45. 1.Cor. 16,20. 2.Cor. 13,12. 1.Petr. 5,14.)

27 *Tertia: Adjuro vos per Dominum, ut legatur Epiſtola omnibus ſanctis fratribus,* i.e. juramentum à vobis exigo, & ſanctiſſimâ ipſius DEI autoritate vobis impero, ut publicè & palàm omnibus hæc Epiſtola proponatur.

28 *Tandem* finit *benedictione* conſvetâ: *Gratia Domini noſtri JEſu Chriſti vobiſcum. Amen.*

Ad Theſſalonicenſes prima ſcripta fuit
ex Athenis.

JO-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

JOHANNIS CLUVERI, SS. THEOL. D.
ejusdémq; olim Profeſſoris Sorani, & poſteà Superintendentis Dithmarſici,

ANALYSIS EPISTOLÆ POSTERIORIS S. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES.

HAud multô interjectô tempore hanc præcedenti ſuccenturiavit Apoſtolus cum Collegis, tribus, ut apparet, de cauſis potisſimùm, nimirum ut inſtrueret eos de tempore adventûs Domini, qvem aliqvi prioris Epiſtolæ phraſibus qvibusdam cap. 4. & 5. abuſi, in proximo eſſe confirmárant; tùm ut in perſecutione eos confirmaret, qvam novellæ Eccleſiæ Judæi adſcitis ſcurris forenſibus concitabant; ac deniqve ut ab ignavorum eos ſocietate atqve conſortiô dehortaretur.

Partes tres ſunt, Proœmium, Inſtitutio, Epilogus.

CAPUT PRIMUM.

CApite primô *proœmium* ac *inſtitutionis prima pars* expeditur, qvâ confirmantur Theſſalonicenſes in fide, patientiâ & dilectione.

Proœmium ſalutatione abſolvitur, deſcribente ſalutantes, ſalutatos, ſalutem ipſam, & autores ſalutis, ut aliàs.

Paulus & Silvanus & Timotheus Eccleſiæ Theſ- 1
ſalonicenſium in DEO Patre & Domino noſtro JEſu
Chriſto (vocatæ electæq;.) *Gratia vobis & pax à DEO* 2
Patre noſtro, & Domino JEſu Chriſto.

In-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Inſtitutio Apoſtolica duplex eſt, ut in aliis plerisqve omnibus, ita & in hâc Epiſtolâ. Nam *primùm* confirmantur Theſſalonicenſes in præceptâ fidei doctrinâ, ac *poſteà* admonentur officiorum profesſionem Chriſtianam decentium.

Confirmatio, qvam dixi, iterum *gemina* eſt. Confirmantur enim *primò* in fide & patientiâ generatim; *deinde* ſingulariter in fide traditionis de tempore adventûs Dominici.

Deinde admonentur officiorum ſingularium, cap. 3.

Tractatio conſtat *Exordio*, (cui inſerta eſt Propoſitio,) tùm *Enarratione* iſtâ *geminâ*, & *deniqve peroratione* partis prioris, qvæ incipit cap. 2, 13.

3 *Propoſitio* juncta Exordio ſic habet: ***Gratias agere debemus ſemper DEO pro vobis fratres, ita ut dignum eſt, qvoniam ſupercreſcit*** (ὑπεραυξάνει) ***fides veſtra, & abundat charitas uniuscujusq; omnium veſtrûm in invicem,*** (qvibus rebus, fide, inqvã, & dilectione perficitur Chriſtianiſmus, Gal. 5, 6.)

4 ***Ita ut & nos ipſi in vobis gloriemur in Eccleſiis DEI pro patientiâ veſtrâ & fide in omnibus perſecutionibus veſtris & tribulationibus, qvas ſuſtinetis,*** q. d. Ea eſt fides & dilectio veſtra, ut meritò de eâ & DEO gratias agamus, & coram aliis gloriemur, exemplo veſtro accenſuri alios.

Confirmantur argumentô duplici. Unum trahitur à pœnis infidelium, præmiisq; piorum, certis ex juſtitia DEI, verſ. 6. & reddendis in adventu JEſu Chriſti, qvem proinde deſcribit v. 7. 8. 9. 10.

Alterum à vi & efficaciâ precum, tanqvam cauſarum adjuvantium, v. 11. 12.

Primum ſic formo: Qvorum fides & patientia certisſimis præmiis remunerabitur, qvorumq; adverſarii exqviſitisſimis ſuppliciis afficientur, illis in fide patientiâq; perſiſtendum & proficiendum. Theſſalonicenſium Chriſtianorum fides & patientia certisſimis præmiis remunerabitur luentibus pœnas adverſariis gravisſimas. Ergò Theſſalonicenſibus in fide perſeverandum ac proficiendum. Major ſuâ luce radiat. Minorem firmat Apoſtolus à juſto DEI judiciô, manifeſtando per adventum Domini noſtri JEſu Chri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Chriſti. Vulgata verſio hîc minùs proba eſt. Nam ἔνδειγμα vertit in
Exemplum. εἴπερ δίκαιον, ſi tamen juſtum eſt, qvod rectiùs inter-
preteris, ſiqvidem juſtum eſt. ὄλεθρον αἰώνιον, verte exitium æter-
num, Vulgatus vertit, in interitu æternas. Ἔνδειγμα, *demonſtra-* 5
tionem juſti judicii DEI, ut digni habeamini regno
DEI, pro qvo & patimini. Paſſiones enim fidelium demon-
ſtrant, DEUM aliqvando juſtè judicaturum. Nunc qvidem affligere
ſuos, incipiente ab illis judiciô, ut digni habeantur regno DEI, in
qvod præparandi ſunt externi hominis corruptione & conformi-
tate paſſionum JEſu Chriſti, qvibus paſſionibus declaratur, dignos
eſſe regnô illô, pro qvo affligi non recuſant. At poſtmodum æter-
num judicium imminere impiis, regni cœleſtis Candidatos indi-
gnè exagitantibus. *Siqvidem juſtum eſt apud DEUM* 6
retribuere tribulationem iis, qvi vos tribulant, & vo- 7
bis, qvi tribulamini, reqviem nobiscum, in revelatione
Domini JESU de cœlo, cum Angelis virtutis ejus.
Ejus judicis gloriam deſcribit, dum apparatum comitatumq; no-
tat, nimirum Angelos virtutis ejus, & revelationem de cœlo
in flamma ignis, finem addit geminum, qvorum alter ſpectat
impios, ut pœnam æternam luant; alter ſanctos, ut Chriſtus glo-
rificetur in illis. *Dantis,* puta JEſu Chriſti, *vindictam* (infli- 8
gentis vindices pœnas) *iis, qvi non noverunt DEUM, &*
qvi non obediunt Evangelio Domini noſtri JEſu Chri-
ſti. Qvi pœnas dabunt in interitu æternas (pœnam luent, 9
exitium æternum) *à facie Domini, & à gloriâ virtutis*
ejus. (Dan. 7, 10. & 12, 2. Eſa. 30, 33.) *Qvum venerit glorifi-* 10
cari in ſanctis ſuis, (qvi in ſeſe jam eſt glorificatus,) *& ad-*
mirabilis fieri in omnibus, qvi crediderunt, (& ſic etiam
in vobis,) *qvoniam creditum eſt teſtimonium noſtrum*
ſuper vos, in die illô.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Secundum argumentum tale erit: Pro qvibus Paulus, Silvanus, Timotheus & alii, ſemper orant, ut digni reddantur vocatione ſuâ, illis in fide perſeverandum & proficiendum eſt. Pro Theſſa-
11 lonicenſibus orant, ut ſcribit: *In qvod etiam oramus ſemper pro vobis, ut dignetur vos* (dignos efficiat) *vocatione ſuâ DEUS noſter, & impleat omnem voluntatem bonitatis,* (Syrus, impleat vos omni voluntate rerum bonarum, *πληρώσῃ πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης*, nempe ut & velitis & perficiatis omne bonum,) *& opus fidei* (Syrus, & operibus fidei im-
12 pleat) *in virtute,* (*ἐν δυνάμει*, ſcil. divinâ.) *ut clarificetur nomen Domini noſtri JEſu Chriſti in vobis, & vos in illo,* (Hic finis eſt verus vocationis Chriſtianæ, glorificari hominem in JEſu Chriſto, & JEſum Chriſtum in homine,) *ſecundùm gratiam DEI noſtri, & Domini noſtri JEſu Chriſti.* (DEI enim gratiæ & virtuti tàm principium debetur ſalutis, qvàm complementum, Phil. 2, 13.) Ergò in fide ſemel percepta manendum ac proficiendum eſt.

CAPUT SECUNDUM.

HOc capite ſingulare qvoddam fidei Chriſtianæ membrum explicatur, de qvo nonnulli Theſſalonicenſium animos turbaverant. Cùm enim ſuperiori Epiſtolâ ſcripſiſſet Apoſtolus: Nos qvi vivimus & relinqvemur in adventu Domini JESU, non præveniemus dormientes; opinio qvibusdam nata eſt, venturum Dominum Paulo & Theſſalonicenſibus adhuc viventibus, adeóq; in propinqvo eſſe, ut qvotidiè expectaretur tanqvam ſtatim appariturus.

Refutant hanc opinionem Apoſtoli, docentes venturum qvidem Dominum tempore horâq; incertâ; veruntamen haud ſtatim venturum: ſed complenda priùs vaticinia Prophetis revelata.

Tractatio conſtat Propoſitione & Explicatione. Poſteà Epilogus hujus inſtitutionis ſubnectitur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Propoſitio verbis ſat gravibus & ponderoſis concepta ſic habet:
Rogamus autem vos fratres per adventum Domini 1
noſtri JEſu Chriſti, & noſtræ congregationis (& noſtram
congregationem ad ipſum) *in ipſum,* (de qva ſuprà 1. Theſ. 5, 17.)
ut non citò moveamini à veſtrô ſenſu, neq; terreamini, 2
*neq; per ſpiritum, neq; per ſermonem, neq; per Epiſto-
lam tanqvam per nos,* (qvalis illa antè data) *qvaſi inſtet
dies Domini. Ne qvis vos ſeducat ullo modo.*

Explicat probatq; non inſtare diem Domini, ex vaticinio de Antichriſto, utiqve adventum Chriſti poſtremum anteceſſuro, qvi tamen necdum manifeſtatus ſit, nec rebus ita ſtantibus manifeſtari poſſit. Antichriſti autem deſcribit primò perſonam & mores, verſ. 3. 4. deinde præparationes & remorationes, verſ. 6. 7. Tertiò adventum & eventum, verſ. 8. 9. 10. Tandem poteſtatem juſto DEI judicio uſurpandam exercendamq; in contemptores Evangelii, verſ. 10. 11. 12.

Verba virorum Dei ſunt: *Qvoniam niſi venerit diſ-* 3
ceſſio primùm, (ἡ ἀποστασία, à fide defectio, qvâ nonnulli ad-
hærebunt doctrinis dæmoniorum, prohibentes nubere, & uti ci-
bis à DEO creatis, 1. Tim. 4, 1. 2. deficientes pariter à DEO vivo, & le-
gitimô magiſtratu, Hebr. 3, 12. Dan. 7, 25.) *& reveletur* (prodat ſe)
homo peccati, filius perditionis, (qvi ut peccato ſe addicit,
ſic perditioni addicitur à DEO,) *qvi adverſatur* (ὁ ἀντικείμενος) 4
& extollitur ſuper omne, qvod dicitur DEUS, (ἐπὶ πάν-
τα λεγόμενον Θεὸν, adverſus omnem appellatum DEUM,) *aut qvod
colitur,* (ἢ σέβασμα, id eſt, efferet ſe ſuper omne numen ſive di-
vinum nomen, ſpernetq; revelatum orbi Deum, & collocatum ab
ipſo magiſtratum, nomen præſertim Auguſtum, qvod erat Græcis
σέβασμα, ita) *ut in templo DEI* (Eccleſiâ ſcilicet, 1. Cor. 3, 16. 17.
& 6, 19. 2. Corinth. 6, 16. Epheſ. 2, 21. Apocal. 11, 1. 2. 1. Timoth. 3, 14.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſedeat tanqvam Deus, (εἰς τὸν ναὸν καθίσαι, in templum ſedeat, ſe ſuosq; pro templo jactans;) *oſtendens ſe tanqvam ſit*
5 *Deus*, (verbis factisq; ſe gerens pro DEO.) *Num retinetis, qvòd cùm eſſem apud vos, hæc dicebam vobis?* Hactenus deſcriptio perſonæ ac indolis Antichriſti: ſeqvitur de præparationibus ac remoris ejusdem.

6 *Et nunc qvid detineat ſcitis, ut reveletur in ſuô tempore:* (dixi vobis, qvid detineat apparitionem ejus, qvemadmodum apparet è ſeqventibus, & ſancti Patres annotant, Impe-
7 rii Romani magnitudo & potentia.) *Nam myſterium jam operatur* (ἐνεργεῖται, agitur) *iniqvitatis* (cùm ſint, qvi prætextu religionis DEO & magiſtratui obſeqvium omne denegent, errores Antichriſti ſerere incipiant, ac φιλοπρωτείας ſtudioſiſſimos ſe profiteantur,) *tantum ut qvi tenet nunc, teneat, donec è mediô fiat*, (qvi nunc rerum potitur, ὁ κατέχων ἄρτι, qvi in po-
8 teſtate ſuâ habet Rempubl. donec de medio fiat,) *& tunc revelabitur ille iniqvus*, q.d. ſcitis, qvod imperium nunc regnet, & qvis regnet. Aliud Imperium invadet adverſarius, ac proinde rerum potientem oportet tolli è medio, qvemadmodum factum ſuô tempore, cùm collapsô Romæ Imperiô alius pro Imperatore ſe geſſit, defectionis à fide confirmator publicus. Ejus tùm exitum, tùm aditum memorat. Exitus hic erit: *Qvem Dominus JEſus interficiet Spiritu oris ſui*, (præliabitur cum ipſo, & vincentur ſancti ad tempus, Apoc. 11, 13. ſed viciſſim vincet beſtiam JEſus, & Spiritu oris, i.e. Spiritu Sancto verbum oris ejus eloqvente conficiet & conſumet ipſum, Apocal. 11, 5. 13.) *& deſtruet* (καταργήσει, planè tollet & abolebit eum) *illuſtratione adventûs ſui*, (qvemadmodum etiam prædicitur Dan. 2. & 7. Apoc. 19.)

Aditus ſeu acceſſus Antichriſti ad templum DEI conſiſtit in
9 miraculis & doctrinâ falsâ: *Cujus eſt adventus ſecundùm*

appa-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

apparitionem Satanæ (Apoc. 13,2.4.) *in omni virtute, & ſignis & prodigiis mendacibus*, (Apocal. 13,13.14: & 16,14. &
19,20.) *Et in omni ſeductione iniqvitatis* (blaſphemandi 10
DEUM & tabernaculum ejus, Eccleſiam, & ſanctos in cœlo habitantes, Apoc. 13,6. & 18,2.3) *illis, qvi pereunt*, (qvorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ Agni, Apoc. 13,8. & 17,8.)

Seqvitur Commemoratio poteſtatis traditæ Antichriſto, & cauſæ
illius. *Eò qvòd charitatem veritatis non receperunt, ut* 11
ſalvi fierent, ideò mittet illis DEUS operationem erroris, ut credant mendacio, (Apocal. 9,20.21. & 11,18.19.)
Ut judicentur omnes, qvi non crediderunt veritati, ſed 12
conſenſerunt iniqvitati; (εὐδοκήσαντες ἐν τῇ ἀδικίᾳ, delectati in iniqvitate. DEUS juſto judicio tradet Satanæ per Antichriſtum excæcandos & ſeducendos, qvotqvot veritatis juſtitiæq; ſtudium adſpernantur, & gaudent iniqvitate ac mendaciô.)

Jam *repetit propoſitionem* ſuprà enunciatam cap. 1.3. cum *exhortatione* ad conſtantiam, *votôq;* piiſſimô, ut DEUS eam donet, qvi ſolus poteſt. Sic clauditur Enarrationis prima pars, & capite tertiô ad præcepta officiorum proceditur.

Nos autem (ajunt Paulus, Silas & Timotheus) *debemus* 13
gratias agere DEO ſemper pro vobis, fratres dilecti à DEO, qvòd elegerit vos DEUS primitias (ἀπ' ἀρχῆς, ab initiô. Ita legit & Syrus Interpres) *in ſalutem, in ſanctificatione Spiritûs & fide veritatis*. (Nam ſicut in tempore hôc electionem declaravit, dando vobis ſanctificationem Spiritûs & fidem veritatis, ſic juxta ejus fidei & ſanctificationis præviſio-
nem ab initiô vos elegit.) *Ad qvod & vocavit vos per Ev-* 14
angelium noſtrum, in acqviſitionem gloriæ Domini noſtri JEſu Chriſti, (ut æternam in JEſu Chriſto gloriam conſeqvamini, Eph. 1,6.14. & 2,7.)

Porrò hortatur ad perſeverantiam in fide ſemel traditâ, ſive per
Epiſtolam præcedentem, in qvâ tamen non explanantur omnia fi-
15 dei myſteria, ſive vivam prædicationem. *Itaq; fratres ſtate*
& tenete traditiones, qvas didiciſtis, ſive per ſermo-
nem, ſive per Epiſtolam noſtram.

16 Obſignat *votô* : *Ipſe autem Dominus noſter JEſus*
Chriſtus, & DEUS ac Pater noſter, qvi dilexit nos, &
dedit conſolationem æternam (non tantùm temporariam,
in hôc nos ſeculô ſuſtentantem, ſed perennem, qvâ refocillemur
in vitam usqve æternam) *& ſpem bonam* (futuræ gloriæ) *in*
17 *gratiâ*, (nullô noſtrô meritô,) *exhortetur corda veſtra, &*
confirmet vos in omni ſermone & opere bonô, (ut ſuper-
abundet fides veſtra, & augeſcat charitas mutua, & patientia du-
ret inconcuſſa usq; in diem Domini JEſu Chriſti, ſuprà cap. 1, 3. 4.)

CAPUT TERTIUM.

QVoniam præcedenti Epiſtolâ de officiis profesſionem Chri-
ſtianam decentibus edocti erant Theſſalonicenſes, pauca
ſaltem hîc attinguntur.

Primùm exhortantur eos ad preces, non tantùm com-
munes, qvas eis cordi esſe nulli dubitabant, ſed & pro ſeſe, Docto-
ribus & Legatis Domini JEſu.

Secundò ad fratrum inordinatè ambulantium, inertium præ-
ſertim ignavorumq; vitationem, v. 6.

Tertiò ad laborem & induſtriam, v. 12.

Qvartò ad inobedientium correctionem, v. 14.

Deniqve Epilogum totius Epiſtolæ ſubdit, v. 16. 17. 18.

Prima exhortatio conſtat Propoſitione & Ratione.

1 *Propoſitio* hæc eſt : *De cætero fratres orate pro nobis,*
ut ſermo DEI currat (& glorificetur, ſicut, καὶ δοξάζηται κα-
θὼς. Hæc verba in Latinâ vulgatâ omittuntur pesſimè) *& apud*
vos,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

vos, (ut eâdem facilitate & gloriâ propagetur alibi, ſicut apud
vos.) *Et ut liberemur ab importunis* (ἀπὸ τῶν ἀτόπων, ab- 2
ſurdis) *& malis hominibus*, (qvales erant Judæi Theſſaloni-
cenſes, & Stoici Epicureiq; Philoſophi Athenienſes, Actor. 17.)
Ratio petitionis: Non enim omnium eſt fides. (Nam ſi omniũ
foret, nihil eſſemus ſolliciti de abſurdis & pravis hominibus. At
qvia reperiuntur plurimi inepti adeò, maligniq; ut nec credant ve-
ritati, nec ferant alios ei credere, prout in Judæis & Philoſophis
patet, orandus aſſiduè DEUS eſt, ut ab illis eripiamur. Plus enim a-
mant tenebras qvàm lucem, qvoniam prava ſunt opera illorum,
Joh. 3, 19. qvæq; viderunt & vident apud patrem ſuum diabolum,
volunt facere, ideóq; non capit in illis ſermo Chriſti, Joh. 8, 37. 38.)
Fidelis autem Dominus eſt, qvi vos confirmabit & cu- 3
ſtodiet à malô, (ut proinde cupiatis orari DEUM de tali Evange-
lii ſucceſſu; qvalem ſtatuimus, vidimusq; apud vos.)

Priusqvam ad alteram exhortationem procedat, præmitti-
tur προθεράπευσις, attentioni & dilectioni aptata: *Tùm Propoſitio*
ſubjicitur, & à Doctorum exemplo confirmatur.

Confidimus autem (ajunt) *de vobis in Domino, qvod* 4
qvæ præcipimus, & facitis & facietis. (Fidimus DEO,
qvi vos vocavit, ſperamusq; per ipſius gratiam, vos præcepta no-
ſtra ipſius nomine data tùm obſervare, tùm porrò obſervaturos eſ-
ſe, ne qvis offendatur eo, qvod dicturi ſumus, de fratribus inter
vos ἀτάκτως ambulantibus. Neqve enim id tanqvam malè de vobis
ſentientes, ſed optima qvæq; ſperantes ſcribimus.) *Dominus* 5
autem dirigat corda veſtra in charitate DEI, (εἰς τὴν ἀ-
γάπην Θεοῦ, in amorem DEI, ut ipſum ardenter complectamini,)
& patientiâ (patientiam, ὑπομονὴν) *Chriſti*, q. d. Domini Spi-
ritûs gratiâ poteſtis qvicqvid poteſtis. Itaqve nos oramus illum,
ut corda veſtra regat dirigatq;, ut DEUM Patrem diligatis, &
patientiæ Chriſti conformemini. Hæc προθεραπείας locô di-
cuntur, ut seqvens cohortatio efficaciùs ſubeat animos.

Denun-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

6 *Denunciamus autem vobis fratres, in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem, qvam accepit à nobis,* (1. Cor. 5, 11. Si qvis frater nominatus inter vos, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum ſumite.)

7 *Confirmatur exemplô Pauli* & Collegarum. *Ipſi enim ſcitis, qvemadmodum oporteat imitari nos: qvoniam non inqvieti fuimus* (ἠτακτήσαμεν, haud inordinatè nos geſſimus)
8 *inter vos. Neq; gratis panem manducavimus ab aliqvo, ſed in labore & fatigatione, nocte & die operantes,* (in ſudore vultûs comedimus panem noſtrum,) *ne qvem*
9 *veſtrûm gravaremus. Non qvaſi non habuerimus poteſtatem,* (potuimus enim oneri eſſe ut Chriſti Apoſtoli, 1. Theſſal. 2, 6. 1. Cor. 9.) *ſed ut nos ipſos formam daremus vobis, ad imitandum nos.*

Tertia igitur *Exhortatio* urget laborem & induſtriam, qvâ qvis proprium ſibi panem paret.

Repetunt autem juſſionem antè traditam, redduntq; rationem hujus repetitionis, ac poſtremò hortantur ad conſtans atqve indefeſſum benè agendi ſtudium.

10 *Nam & qvum eſſemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, qvoniam ſi qvis non vult operari, nec manducet.* (DEUS enim præcepit Adamo, in ſudore vultûs tui comedes panem tuum, & cuiq; homini labor verſatur ob os ejus, Eccl. 6, 7. de qvo vivat & manducet, Pſal. 128, 2.)

Ratio, ob qvam repetitur præceptum, eſt qvorundam Theſſalonicenſium πολυπραγμοσύνη atqve inertia.

11 *Audivimus enim inter vos qvosdam ambulare inqvie-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

qvietè, (ἀτάκτως, inordinatè, incompoſitè,) *nihil operantes,*
ſed curioſè agentes, (μηδὲν ἐργαζομένȣς ἀλλὰ περιεργαζομένȣς.
παρωνομασία elegans. q.d. non agentes, ſed egentes, non operan-
tes, ſed onerantes.) *Iis autem, qvi ejusmodi ſunt, denun-* 12
ciamus & obſecramus in Domino JEſu Chriſto, ut cum
ſilentiô (μετὰ ἡσυχίας, cum tranqvillitate) *operantes ſuum*
panem manducent, (non alienum.) *Vos autem fratres,* 13
nolite deficere benefacientes, (Nolite mendicorum qvorun-
dam inertiâ moveri, ut fontem beneficentiæ obſtruatis, Gal. 6,9.)

Qvartò hortatur ad correctionem errantium, ejusq; modum
præſcribit. *Qvòd ſi qvis non obedit verbo noſtro, per* 14
Epiſtolam hunc notate, (ut ſciamus, qvis ſit, eumq; poſſimus
in ordinem redigere,) *& ne commiſceamini cum illo, ut*
confundatur, (& pudore afficiatur peccati.) *Et nolite qvaſi* 15
inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem, (ex præ-
ceptô Domini Levit. 19,17. Matth. 18,15. Luc. 17,3. Jac. 5,18.)

EPILOGUS.

BRevis eſt *Epilogus, votô, ſubſcriptione ſingulari, & benedictione conſtans.*

Votum his verbis exprimit: *Ipſe autem Dominus pacis* 16
(JEſus Chriſtus, Princeps & Autor pacis, Eſai. 9. Epheſ. 2, 14.)
det vobis pacem ſempiternam (διὰ παντὸς, ſemper, peren-
nem) *in omni locô*, (ἐν παντὶ τρόπῳ, omni modô, bonô & hone-
ſtô. Syrus: בְּכֻלְעְדָן בְּכֻלְמֶדֶם omni tempore, in omni re.)

Subſcriptione ſingulari præmunit eos ab Epiſtolis ſuppoſititiis,
ne vanô autoritatis Apoſtolicæ prætextu à qvoqvam decipiantur.
Salutatio meâ manu Pauli, qvod eſt ſignum in omni 17
Epiſtola, ita ſcribo.

Benedictionis formula Apoſtolo ſolita, ita habet:
Gratia Domini noſtri JEſu Chriſti cum omnibus vobis. 18

Ad Theſſalonicenſes ſecunda miſſa fuit ex Athenis.

JOHANNIS CLUVERI, SS. THEOL. D. ejusdémq; olim Profeſsoris Sorani, & poſteà Superintendentis Dithmarſici,

ANALYSIS EPISTOLÆ PRIORIS S. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM,

Cum difficiliorum locorum epilepſi breviſsimâ.

TImotheus Eunicâ matre Judæâ, eâq; Chriſtiana natus, Patre autem Græcô, ut refert Lucas Actor. 16, 1. Paulo commendatus eſt ab Eccleſiis, Lyſtrenſi & Iconienſi, anno epochæ Chriſtianæ LIV. Qvem lucrifaciendis Judæis circumcidit, ſuæq; peregrinationis comitem laborumq́; ſocium eſſe voluit, non ſine præcedentibus in ipſum Prophetiis fratrum, haud dubiè Lyſtrenſium vel Iconienſium, qvemadmodum ſignificat Apoſtolus prioris Epiſtolæ cap. 1, 18. & 4, 14. Factus igitur, præter communiora illius temporis dona prophetandi & lingvis loqvendi, à toto Presbyterio Evangeliſta, ſtatim cum Paulô & Silâ peragravit Phrygiam atqve Galatiam, indeq́; jubente Spiritu Sanctô transmigravit in Macedoniam. Ibi Philippis, Theſſalonica, Berœaq́; imbutis Evangelio, Athenas profectus, Atheniſq́; Theſſalonicam remiſſus à Paulo, commoratusq́; in Macedoniâ ultra annum, tandem Corinthi ſe ei adjunxit iterum, Actor. 18, 5. Exinde lapsô ſeſqviannô comes ei ivit Epheſum, Ephesô Hieroſolymam, Hieroſolymâ Antiochiam, Antiochiâ poſtremò Epheſum: Ibi biennium cum Paulo demoratus, ejusdem miſſu denuò reviſit Macedoniam; ut eſt Act. 19, 22. inde revocatus

in

in Aſiam, Epheſiisq; ab eô præpoſitus eſt, cùm inſidiis Epheſiorum petitus in Macedoniam proficiſceretur Apoſtolus, ſicut narrat Lucas Act.20,1. Nec reperio in Actis tempus, cui hujus Epiſtolæ ſcriptionem aptare commodè poſſim, niſi illud, qvod incidit in annum Domini LX. Etenim diſertè ait Apoſtolus capite primô hujus Epiſtolæ: Rogavi te, ut maneres Epheſi, qvum irem in Macedoniam. Id autem non potuit fieri, cùm primùm adiret Epheſum, relinqveretq; ibi Aqvilam & Priſcillam, Act.18,19. Tunc enim Hieroſolymam proficiſcebatur, non in Macedoniam, ut perſpicuum è verbis ejus, Act.18,21. Ergò relictus Epheſi Timotheus poſt tumultum excitatum à Demetrio argentario & ſociis ejus, ſcriptaq; hæc Epiſtola à Paulo partes Aſiaticas obeunte, ut mox transfretaret in Macedoniam, narrante Lucâ Act.20,1.2. & ſuffragante ſubſcriptione Epiſtolæ, qvâ ex Phrygiâ Pacatianâ miſſam eſſe aſſeritur.

Cæterùm docetur hâc Epiſtolâ Timotheus, qvomodo verſari debeat in domo Dei vivi, hoc eſt, Eccleſiâ, tanqvam œconomus fidelis myſteriorum ejus: Nimirum qvomodo docentibus ac diſcentibus tùm fidei, tùm morum typo prælucere debeat. Hoc enim eſſe Argumentum Epiſtolæ Autor ipſe ſatis clarè enunciat cap.3,14.

Partibus ea *conſtat tribus*, *Proœmiô*, *Expoſitione* doctrinæ, qvomodo oporteat Oeconomum Dei verſari in domo ejus, & *Epilogô*.

Proœmium ſalutatione abſolvitur.

Doctrina autem Epiſtolaris eſt vel *generalis*, vel *ſpecialis*.

Generatim præſcribit, qvid in mundo cavendum, qvidq; ſpectandum potisſimùm, Legem aut Evangelium proponenti, cap.1.

Speciatim deinde regimen Eccleſiaſticum deſcribit, *præcipiens primò* preces pro omnibus hominibus, & qvaliter eæ tùm à viris, tùm à fœminis DEO offerendæ, cap.2.

Secundò, qvi conſtituendi Presbyteri aut Diaconi, cap.3.

Tertiò, qvibus doctrinæ vitæq; exercitiis illis præeundum, c.4.

Qvartò, qvid ſingulatim erga Presbyteros, viduas, juvenculas peccantes, propriamq; valetudinem obſervandum, cap.5. qvomodo ſervi erudiendi, falſi Doctores redarguendi, cap. 6.

Qvintò, qvòd in Chriſtianiſmi ſtudiò opes divitiæq; non ſint ſpectandæ, ſed vita potiùs æterna, cap. 6,6. &c.

Epilogô alteram inprimis partem de ſervandâ doctrinæ puritate repetit, cap.6,20.21.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

CAPUT PRIMUM.

CApite primô *ſalutatio* Timothei, & *generalior inſtitutionis pars* de conſervandâ doctrinæ puritate abſolvitur.

Salutatio pro more *qvadrimembris* eſt, indicans qvis, qvem, qvâ ſalute, & à qvô impertiat.

Qvi ſalutat eſt Paulus, ſeipſum deſcribens ab officio, officiiq́;
1 ſui autore. *Paulus Apoſtolus JEſu Chriſti, ſecundùm imperium DEI Salvatoris noſtri, & Domini JESU Chriſti, ſpei noſtræ,* (in qvo omnis noſtra ſpes, ipſaq́; vita æterna ſita eſt.)

2 Qvi ſalutatur eſt Timotheus. *Timotheo,* inqvit, *dilecto filio in fide,* (non in carne.) Salus eſt: *Gratia, miſericordia, pax à DEO Patre & Domino noſtro JEſu Chriſto,* qvi Autor ſalutis.

INSTITUTIONIS EPISTOLARIS PARS GENERALIOR DE DOCTRINA.

PRimùm monſtrat Apoſtolus, qvid in doctrinâ vitandum, qvidq́; attendendum potiſſimùm.

Vitanda ἑτεϱοδιδασκαλία & omnia illa, qvæ magis qvæſtiones, qvàm ædificationem in fide procreant.

Conſiderandus autem *finis* omnis præceptionis & verus uſus cùm Legis, qvem tradidit v. 8. tùm Evangelii, qvem v. 15.

Membra hujus *partis* ſunt *qvatuor*: *Propoſitio* rerum in doctrinâ vitandarum, *Oppoſitio* rerum ſpectandarum, *Confirmatio* petita à ſcopô atqve uſû Legis & Evangelii, ac tandem *Concluſio*.

Propoſitio rerum in doctrinâ vitandarum *gemina* eſt, prohibens tùm ἑτεϱοδιδασκαλεῖν, i.e. alienam à ſanis JEſu Chriſti ſermonibus doctrinam adferre, prout explicat infrà cap. 6, 3. tùm intendere fabulis & genealogiis interminatis, nihil ad ædificationem facientibus. Vitanda enim aliena à verbo DEI, & inutilia qvæq́; qvantâvis Legis autoritate pallientur.

3 Verba Apoſtoli hæc ſunt: *Sicut rogavi te, ut remaneres*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

res Epheſi, qvum irem in Macedoniam, (ſecundâ vice,
Act.20,1.) *ut denunciares qvibusdam, ne aliter docerent,*
(μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν, ne aliena docerent à Moſe, Prophetis, Pſal-
mis, & ſermonibus JEſu Chriſti,) *neqve intenderent fabulis* 4
(Rabbinicis, δευτερώσεσι, traditionibus commentitiis, ἐθελοθρη-
σκείαις, Col.2,23.) *& genealogiis interminatis,* (qvarum finem
reperire neſciunt parùm gnari, genealogias ideò in Lege & Pro-
phetis memorari, ut Chriſti progenies noſcatur, & populus Iſraë-
liticus in terrâ tributim diviſâ habitans regimen DEI in ſingulis
tribubus diſtinctius intentiusq; perpendat. Cætera qvid attinet,
infinitas genealogias contexere.) *Qvæ qvæſtiones præ-
ſtant magis, qvàm ædificationem DEI, qvæ eſt in fide.*
(Fides enim neqve ex doctrinâ à Chriſti verbis aliena, neqve ex in-
certis traditionibus, neqve ex infinitis qvæſtionibus procreatur,
ſed è ſanis & fidelibus JEſu Chriſti ſermonibus.)

Nunc vitandis opponit ſpectanda præcipuè: *Finis autem* 5
præcepti eſt charitas (DEI & proximi) *de corde purô,*
(vacuô dolis & ſimulationibus,) *& conſcientiâ bonâ & fide
non fictâ,* (qvâ cor purgatur, Act.15,9. & remiſſio peccatorum ad
integritatem conſcientiæ obtinetur, Heb.9,14. & 10,22.) *A qvi-* 6
bus qvidam aberrantes, (ἀστοχήσαντες, tanqvam à ſcopo ab-
errantes,) *converſi ſunt in vaniloqvium,* (ματαιολογίαν)
volentes eſſe Legis Doctores, non intelligentes neqve 7
qvæ loqvuntur, (Scripturarum rudes, Matth.22,29, qvas tamen
videri volunt callere,) *neqve de qvibus affirmant,* (ficta &
incerta pro firmis diviniſq; jactantes.)

Explicat confirmatq; id, qvod aſſeruit Apoſtolus, commemo-
rando *primùm* Legis uſum, *deinde* ſummam proponendo totius
Evangelii, ejuſq; nomine DEUM celebrando devotiſſimè.

Ad Legem qvod attinet, ait: *Scimus autem, qvia bona* 8

eſt Lex, (utpote à DEO data, Rom. 7, 7. 12.) *ſi qvis eâ legitimè*
9 *utatur*, (non abutens Lege contra præceptum Legis,) *ſciens*
hoc, qvia Lex juſto non eſt poſita, (Lex cogit, terret, male-
dicit. Juſtus à maledictione, terrore, coactione liber eſt. Ergò ei
non eſt impoſita Lex, ut dominetur, ſed ut ſerviat potiùs, firmans
placere DEO qvod agit, Gal. 5, 17. 23.) *ſed* (Lex poſita eſt) *injuſtis,*
& non ſubditis, (ἀνυποτάκτοις, inobedientibus, qvi ultrò ſubeſſe
nolunt DEO,) *impiis & peccatoribus, ſceleratis & conta-*
10 *minatis, parricidis & matricidis, homicidis, fornicariis,*
maſculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus,
perjuris, & ſi qvid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur.
(Lex enim improbos & ſceleratos, ſanæ doctrinæ adverſantes, co-
git minis ac terroribus, ut Chriſtum JEſum qværant. Si nolint, per-
petuò eis dominatur, accuſans, arguens, maledicens, occidens. Si
Chriſtum induant, Spirituq; ejus agantur, non habent ampliùs
Legem ſibi contrariam, ſed fit eis Lex libertatis, non tanqvam ſer-
vos terrens, ſed tanqvam filios ſvaviter erudiens, Jac. 1, 25. Roman.
13, 8. 9.)

Oſtensô Legis uſu pergit Evangelii conſonantiam & excel-
lentiam declarare, idq; facit ſeipſum producendo, in qvô tan-
qvam primô & præcipuè DEUS vim Evangelii ſui uſumq; demon-
ſtravit.

Primùm autem gratiam miniſterii ſui, *poſteà* ſummam Evan-
gelii univerſalem, ſeu exemplô monſtratam narrat, ac *tandem* ex
hâc conſideratione in laudes Dei erumpit, verſ. 17.

11 *Sana doctrina* (inqvit) *cui peccata à Lege damnata*
adverſantur, eſt ſecundùm Evangelium gloriæ (teſtans
12 de gloriâ) *beati DEI, qvod creditum eſt mihi. Et gratias*
ago (ἔχω, habeo) *ei, qvi confortavit me Chriſto JEſu*
Domino noſtro, qvia fidelem me exiſtimavit (fore) *po-*
13 *nens in miniſterio. Qvi priùs blaſphemus fui & per-*
ſecu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſecutor, & contumelioſus, (Act.8.9. Non ſolemus autem inimicis reconciliatis multùm fidere. Gratia igitur ingens Chriſti qvondam inimico tantum committentis miniſterii,) *ſed miſericordiam conſecutus ſum, qvia ignorans feci in incredulitate.* (Si ſciens volensq; agnitum Chriſtum blasphemâſſem, & perſecutus esſem confesſores ejus, miſericordiam non impetrâſſem. Hoc enim fuisſet peccatum in Spiritum Sanctum, Hebr.
6, 4. & 10, 26.) *Superabundavit autem gratia Domini* 14
noſtri, cum fide & dilectione, qvæ eſt in Chriſto JEſu. (Prævaluit peccato gratia, & fides à Chriſto donata blasphemiæ, dilectio perſecutióni.)

Jam *ſummam Evangelii* ſubnectit: *Fidelis ſermo* (non 15
fabuloſus aut incertus, qvales iſtorum μύθοι καὶ γενεαλογίαι) *& omni acceptione dignus,* (qvem jure merito omnes recipiant,) *qvòd Chriſtus JEſus venit in mundum, peccatores ſalvos facere,* (Joh.3,14.16,) *qvorum primus* (præcipuus)
ego ſum. Sed ideò miſericordiam conſecutus ſum, ut 16
in me primò oſtenderet Chriſtus JEſus omnem patientiam (tolerando meam inſcitiam, & condonando) *ad informationem eorum, qvi credituri ſunt illi in vitam æternam,* (ut omnes in hoc exemplum intuentes optima qvæq; ſperent de miſericordiâ ejus.) Subeunte animum memoria tantæ
gratiæ, proſilit ad doxologiam Apoſtolus, dicens: *Regi autem* 17
ſeculorum immortali, inviſibili, ſoli ſapienti DEO, honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Qvartò concludit hoc membrum, repetens ſcopum in doctrinâ attendendum, & opponens falſorum Doctorum veſaniam juſto
exitio, nî reſipiſcant, plectendam. *Hoc* (inqvit) *præceptum* 18
commendo tibi fili (in fide) *Timothee, ſecundùm præce-*

dentes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

dentes in te prophetias, (qvibus prædixêre Prophetæ usqve ad hæc tempora totum myſterium Domini & Salvatoris JEſu Chriſti, Act.26,22. qvæ tibi etiam præceſsêre, dum eas à teneris evolviſti & edoctus es, ut infrà qvoqve aſſeritur 2.Timoth.3,15. vel, ſicut communiter explicant, ſecundùm prophetias fratrum Iconienſium & Lyſtrenſium, qvi te fidelem DEO & ſalutarem aliis operarium fore prædixêre, Act. 16,2.) *ut milites in illis* (prophetiis) *bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiam*, (qvæ duo decent faciuntq; bonum militem JESU CHRISTI,)
19 *qvam*, i.e. bonam conſcientiam, *qvidă repellentes, circa fidem naufragaverunt*, (barbarè, rectiùs naufragium fecerunt. Nam qvi bonam conſcientiam amittit, mox etiam amittit veram fidem. Hiſtoricam ſanè fidem non amittit, qvam habent etiam peſſimi dæmones: at eam, qvâ Chriſtum ut Salvatorem & Dominum noſtrum complectimur, perdit, qvi bonam conſcientiam perdit,) *ex qvibus eſt Hymenæus & Alexander*, (forte is, de qvo Actor. 19,33.) *qvos tradidi Satanæ*, (poteſtate Spiritûs Sancti armatus,) *ut diſcant non blaſphemare.*

CAPUT SECUNDUM.

INſtructô de doctrinæ puritate ſervandâ Timotheô, nunc ſpecialiora aggreditur, & primùm omnium de precibus in Eccleſiâ fundendis eum erudit. Idq; caput bipartitum eſt, primò pro qvibus, deinde qvomodo orandum, præſcribit.

Prius membrum Propoſitione conſtat, & Confirmatione.

Propoſitio amplificatur *tùm* enumeratione generum invocationis; *tùm* ſpeciali qvârundam eminentium perſonarum deſignatione, pro qvibus orandum, ipſiusq; orationis argumento.

Nuda *propoſitio* foret, invocandus eſt DEUS pro omnibus hominibus. At invocationum ſpecies recenſet Apoſtolus, & addit, pro Regibus & omnibus in ſublimitate conſtitutis orandum diſ-
1 ſertè. *Obſecro igitur*, ait, *primùm omnium fieri obſecratio-*

tiones, δεήσεις, (qvibus deprecamur mala,) *orationes*, (qvibus
precamur bona,) *poſtulationes*, (ἐντεύξεις, interceſſiones, qvi-
bus oramus peccatorum remiſſionem aliis,) addendum è fonte,
gratiarum actiones, pro omnibus hominibus. Pro Regi- 2
bus (nominatim) *& omnibus in ſublimitate conſtitutis*,
(Ducibus, magiſtratibusq; in eminentiâ mundanâ, & Epiſcopis,
Paſtoribus in Eccleſiaſtica collocatis,) *ut qvietam & tran-
qvillam vitam agamus in omni pietate & boneſtate*,
(pietate erga DEUM, & honeſtate erga proximum.)

Confirmatur argumentô triplici. Unum petitur à dilectione DEI erga omnes homines. *Alterum* à redemptione omnium præſtita per Chriſtum. *Tertium* à prædicatione Evangelii inter omnes gentes. Eæ rationes ſyllogiſmo incluſæ hanc formam procreant. QVOS DEUS vult ſalvos fieri, pro qvibus Chriſtus ſe obtulit in precium redemptionis, qvibus annunciatur Evangelium, pro iis DEUS eſt invocandus. At DEUS vult omnes ſalvos fieri, pro omnibus ſe obtulit Chriſtus, omnibus annunciatur Evangelium. Ergò pro omnibus hominibus eſt orandum.

Verba Apoſtoli plana ſunt: *Hoc enim bonum eſt & ac-* 3
ceptum coram Salvatore noſtro DEO, (ut ſcilicet pro iis
oretur, qvos ipſe vult ſalvari,) *qvi omnes homines vult ſal-* 4
vos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, (indifferen-
ter, absqve reſpectu perſonarum. Creavit enim omnes ad obſe-
qvium ſuum, Prov. 16,4. & ad imaginem ſuam. Qvales autem fe-
cit initiô, tales vult eſſe etiamnum, id eſt, bonos ac beatos.)
Unus enim DEUS (omnium,) *unus & Mediator DEI* 5
& hominum (omnium, extra qvem nulla cuiqvam ſalus,) *homo
JEſus Chriſtus*, (ideò homo factus, ut Mediator eſſe poſſet,
Gal. 3,20.) *qvi dedit redemptionem* (ἀντίλυτρον, æqvivalens 6
redemptionis pretium) *pro omnibus*, (ſalvans & reconcilians
mundum DEO per ſeipſum, nemine excluſô, Joh. 3,16. 1. Johan. 2,2.

Precandum igitur gratiæq; agendæ pro iis, pro qvibus Chriſtus paſſus eſt. Paſſus autem pro omnibus, etiam pro pereuntibus,
7 2. Petr. 2, 1. Hebr. 10, 29.) *Teſtimonium temporibus ſuis* (publicum & infallibile voluntatis ac miſericordiæ DEI,) *in qvo* (εἰς ὃ, in qvod) *poſitus ſum ego prædicator* (κήρυξ, præco publicus) *& Apoſtolus, veritatem dico, non mentior, Doctor gentium fide & veritate.* (Si igitur ego, & alii mecum omni creaturæ prædicare juſſi ſunt, ergò etiam pro omni orandum creatura, ut agnitionem veritatis adipiſcantur.)

Poſterius membrum, de modô ac ratione orandi, *geminum* eſt iterum. Nam *primùm* viris fœminisq; præſcribit, qvâ mente, qvô geſtu habituq; orare deceat. *Deinde* hinc acceptâ occaſione ſeorſim de fœminis agit, tanqvam per παρέκβασιν, qvod viris ſubdi, neqvaqvam iis imperare debeant, verſ. 11. &c.

8 Rationem orandi qvod attinet, ſcribit: *Volo igitur viros orare omni in locô,* (non tantùm in conventu publicô, ſed domi, in agris, conclavibus, & paſſim alibi,) *levantes puras manus* (non maculatas ſangvine vel rapinâ, Eſa. 1, 59.) *ſine ira* (adverſus proximum, Marc. 11, 25.) *& disceptatione,* (dubitatione coram DEO. Qvi enim dubitat, non putet ſe qvicqvam acceptu-
9 rum à Domino, Jac. 1, 6. 7.) *Similiter* (volo etiam orare) *mulieres in habitu ornatô, cum verecundiâ & ſobrietate ornantes ſe, non intortis crinibus, aut aurô, aut margaritis, vel veſte pretioſâ,* (qvalia neminem commendant DEO,)
10 *ſed, qvod decet mulieres promittentes* (profitentes) *pietatem, per opera bona,* (eleëmoſynas, caſtitatem & dilectionem.)

Oportunè jam ſubnectit, qvid non liceat mulieribus, & contrà qvid eos deceat, tùm publicè, tùm privatim.

Proponit τὰ πρέποντα mulierum, confirmatq; duobus argumentis, unô ab ordine creationis, alterô à proceſſu primæ ſeductionis du-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ductô. Tandem ne qvis ob hæc argumenta minùs benè de mulie-
rum beatitudine ſentiat, ſubjungit aphoriſmum inſignem ad ſalu-
tem mulierum æternam pertinentem.

Propoſitio ἄρσει καὶ θέσει exornatur. *Mulier in ſilentiô* 11
diſcat cum omni ſubjectione. Docere autem mulieri 12
non permitto, neqve dominari in virum, ſed eſſe in ſi-
lentiô, (εἶναι ἐν ἡσυχίᾳ, qvietè ſe gerere, 1. Corinth. 11, 2. & c. 1. Co-
rinth. 14, 34.)

Ratio prima ab ordine creationis: *Adam enim primus* 13
formatus eſt, deinde Eva. Gen. 2. Ergò vir priore potioriq́; lo-
cô habendus.

Altera à lapsûs culpâ majore in muliere. *Et Adam* (inqvit) 14
non eſt ſeductus, puta à ſerpente, diabolô & ſatanâ. *Mulier*
autem ſeducta in prævaricatione fuit, (ac maritum in
peccati ſocietatem pertraxit. Ab illâ igitur peccandi principium,
non à viro. Qvæ ſemel malitiæ magiſtra fuit, non ſibi poſteà magi-
ſterium uſurpabit in virum.) *Salvabitur autem per filio-* 15
rum generationem, (qvaſi per tribulationem ei propriam, Ge-
neſ. 3, 16. cùm viri per alias afflictiones ingrediantur regnum DEI,
Act. 14, 22.) *ſi manſerit* (in fonte eſt, ἐὰν μείνωσιν, ſi permanſe-
rint in plurali, qvia more Hebræô nomini collectivo ſingulari re-
ſpondet ſæpè verbum plurale) *in fide* (DEI) *& dilectione, &*
ſanctificatione, (caſtitate & honeſtate corporis, 1. Theſſal. 4, 4.)
cum ſobrietate, (σωφροσύνης, modeſtiâ & diſcretione.)

CAPUT TERTIUM.

PErgit ad *alteram regiminis Eccleſiaſtici partem* de conſtituendis
Epiſcopis & Diaconis.

Tractatio conſtat *Exordiô, Inſtitutione ipsâ*, & *Epilogô*.

Exordiô laudat deſiderantes Epiſcopen. *Fidelis ſermo,* 1

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſi qvis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. (Et vult DEus miniſtros promtos ac ſpontaneos, non coactitios, 1. Pet. 5,2)

Inſtitutione docetur, qvalem oporteat eſſe Epiſcopum ſeu Presbyterum, qvalemq́; non eſſe oporteat. *Deinde* qvales Diaconos, verſ. 8. *Tertiò*, qvales eorum uxores. *Qvartò*, qvalem Diaconorum vitam domeſticam, annexa ratione.

De Epiſcopis ita diſſerit, ut *primò* generatim in iis reqvirat eam vitæ integritatem, qvæ ſcelerum flagitiorumq́; omnium pura ſit. *Deinde* enumerat novem virtutes, qvibus præditos, & tria vitia, qvibus non præditos eſſe oporteat. *Tertiò* vitam eorum domeſticam deſcribit. *Qvartò* ætatem, ac *deniqve* externa teſtimonia eſſe conſideranda indicat.

2 *Oportet ergò Epiſcopum irreprebenſibilem eſſe,* (ἀνεπίληπτον, nullô in flagitiô deprehenſum, nullius convictum.)

Prima virtus eſt caſtitas, non virginea, qvam non omnes capiunt, Matth. 19,11. 1. Cor. 7,7. ſed conjugalis, *ut ſit unius uxoris vir*, non plurium ſimul, qvam polygamiam Judæi concedebant, teſte Joſephô lib. 17. ἀρχαιολ. cap. 1. & Juſtinô Martyre in dialogô cum Triphone. *Altera* ſobrietas, oportet eum eſſe, inqvit, νηφάλιον, i.e. *vigilantem, ſobrium.* *Tertia* σώφρονα, prudentem ſeu *modeſtum.* *Qvarta* κόσμιον, *ornatum*, ornamentis naturæ, geſtus habitusq́; decorum. *Qvinta* *hoſpitalem.* (Vulgatus inſerit, pudicum, ſed nec in fonte eſt, & comprehenditur virtute primâ.) *Sexta* διδακτικὸν, *doctorem* vertit Latinus Interpres vetus, ſed id minus eſt, qvàm διδακτικός. Ea vox ſignificat docendo aptum, idoneum, felicem.

Interponit *tria vitia*, à qvibus alienum decet eſſe Epiſcopum,
3 à vinolentiâ ſcilicet, à percusſione, à turpis lucri ſtudiô. *Non*, inqvit, *vinolentum*, πάροινον, vino addictum, non *percuſſorem*, πλήκτην, qvi homines manibus aut telis invadat, *non turpis lucri cupidum.*

Exinde virtutes perſeqvitur, facitq́; *ſeptimam* modeſtiam, ſeu
potiùs æqvitatem, ἐπιεικῆ, *condonantem injurias*, æqvi bo-
niq́; ſtudioſum. *Octavam* concordiæ & pacis ſtudium, ἄμαχον,
haud pugnantem, ſeu litigioſum. *Nonam* avaritiæ opumq́; con-
temptum, ἀφιλάργυρον *non cupidum pecuniæ*. Hæ virtu-
tes, ut faciunt bonum militem Chriſtianum, ſic qvoqve ducem
egregium. Sola ſexta virtus Epiſcopi munus, qvâ Epiſcopus eſt,
propriè intiméq; ſpectat.

Sic qvod ſeqvitur *de vitâ privatâ*, qvisnam Epiſcopatui ſit
idoneus, arguit ipsò Apoſtolô explicante. *Et ſuæ*, ait, *domui* 4
benè præpoſitum, (προϊστάμενον, præſidentem,) *filios haben-*
tem ſubditos cum omni caſtitate, (σεμνότητος, honeſtate.)
Si qvis autem domui ſuæ præesſe neſcit, qvomodo Ec- 5
cleſiæ Dei diligentiam (curam) *habebit?*

Qvartò, ætatem tempusq́; à ſuſcepto Chriſtianiſmo vult at-
tendi, *non neophytum*, (nuper Chriſtianum factum,) *ne in-* 6
ſuperbiam elatus, (qvod vitium novitiis ac juvenibus familia-
re eſt,) *in judicium incidat Diaboli*, (eôdem judiciô illaqvea-
tus, qvô ipſe ſuperborum pater adſtringitur.)

Deniqve etiam non Chriſtianorum teſtimoniô illum care-
re indicat è re eſſe ipſius Epiſcopi & Eccleſiæ, ſic enim majo-
ri pollebit autoritate, tantoq́; faciliùs hortabitur infideles.
Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab 7
iis, qvi foris ſunt, ut non in opprobrium incidat & la-
qveum Diaboli, (ſemper qværentis occaſiones calumniarum,
ut in contemptum adducat Evangelii miniſterium.)

Nunc tranſit ad Diaconos, miniſtrantes Eccleſiæ & Epiſcopis.
Diaconos ſimiliter (decet eſſe) *pudicos*, (σεμνούς honeſtos, 8
honorabiles,) *non bilingves, non multo vino deditos, non*
turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in 9

conſcientiâ purâ, ut ſuprà monuit ipſum Timotheum cap. 1, 18. *& hi autem probentur primùm*, (in doctrinâ & moribus,)
10 *& ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.* (Etenim citra probationem nefas qvemqvam ad miniſterium Eccleſiæ publicum aſſumi.

Tertiò, qvales Epiſcoporum ac Diaconorum uxores eſſe de-
11 ceat, ſubjungit, ne illæ deturpent miniſterium. *Mulieres ſimiliter pudicas*, (σεμνάς, honorabiles,) *non detrahentes*, (διαβόλους, calumniatrices,) *ſobrias, fideles in omnibus.*

12 *Tandem* Diaconorum vitam domeſticam format. *Diaconi ſint unius uxoris viri*, (ſimiliter Epiſcopis,) *qvi filiis ſuis benè præſint, & ſuis domibus.* Ratio, cur tantum ab illis
13 reqvirat, ſubjicitur: *Qvi enim benè miniſtraverint, gradum bonum ſibi acqvirent* (ad Epiſcopalem dignitatem,) *& multam fiduciam in fide, qvæ eſt in Chriſto JEſu*, (ut fidem Chriſti magnâ fiduciâ tueantur ac propagent.)

Epilogus hujus membri cauſam ſcriptionis adfert cum breviariò præcipuorum doctrinæ capitum, qvæ ſonant in Eccleſia Dei, & rectè ſubſeqventi admonitioni de doctrinæ typô ſeu præmittuntur, ſeu adjunguntur.

14 *Hæc*, ait, *tibi ſcribo, ſperans me ad te venire citò, qvum in Syriam ivero*, (qvam tamen profectionem interturbârunt Judæi, ut eſt Act. 20, 2.)
15 *Si autem tardavero, ut ſcias, qvomodo oporteat te in domo Dei converſari, qvæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis*, (in qvâ veritas tuenda & ſtabilienda eſt, & ſtabilitur etiam, qvatenus Eccleſia Dei manet, & non degenerat in cœtum malignantium.)

Jam veritatis in Eccleſiâ aſſerendæ ac defendendæ ſummam comple-
16 *ctitur: Et manifeſtè* (ὁμολογουμένως, in confeſſo) *magnum*

eſt

eſt pietatis myſterium, qvod manifeſtatum eſt incarne, (verſio prava. Græcè Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, DEUS manifeſtatus eſt in carne, DEUS caro factus manifeſtavit ſuam gloriam in carne, Johan. 1, 14.) *juſtificatus eſt in Spiritu,* (cùm à carne & ſangvine esſet damnatus, Spiritus Sanctus eum glorificavit, & juſtum pronunciavit, Joh. 16, 14.) *apparuit Angelis,* (deſiderantibus in iſtam DEI ſapientiam παρακύψαι, 1. Petr. 1, 11. unde tam freqventes leguntur eorum apparitiones in nativitate, tentationibus, pasſionibus, reſurrectione & adſcenſione Domini,) *prædicatus eſt gentibus, creditus eſt in mundo, asſumptus eſt in gloriâ,* (ſicut & redibit judicare vivos & mortuos.)

CAPUT QVARTUM.

TErtius Epiſcopalis inſtitutionis locus eſt de exercitiis pietatis, qvibus prælucendum fratribus.

Ibi ſeqveſtrat *primùm* hypocritica exercitia, *deinde* tradit vera. Sic *duæ capitis partes* fiunt.

Hypocritica exercitia ſunt abstinentia à conjugio, tanqvam ſacris perſonis vetitô, & à cibis DEI manu conditis.

Vera ſunt, exerceri ad pietatem, typumq; ſe præbere fidelibus in ſermone, converſatione, dilectione, ſpiritu, fide, caſtimoniâ, attendere lectioni, exhortationi, doctrinæ, &c.

Qvoad priora, refutantur ab efficientibus cauſis ſeu inventoribus. Prohibitionem enim conjugii, & abſtinentiam à cibis, ſpiritibus erroris ac dæmoniis adſcribit Apoſtolus. Deinde ab oppoſitâ cauſâ efficiente, à qvâ originem ducunt res iſtæ, qvas ſpiritus erroris damnant tanqvam malas & pernitioſas ſervis Dei. Incluſa ſyllogiſmo utraqve ratio ſic efformabitur: Ab iis, qvæ DEUS condidit ac concesſit homini, dæmonia autem prohibent ac vituperant, non eſt ſuperſtitioſè abſtinendum. Conjugium & cibos DEUS condidit hominiq; concesſit, dæmonia autem & ſpiritus erroris ea vituperant prohibentq;. Ergò à conjugio & cibis haud eſt ſuperſtitioſè abſtinendum.

Nota qvæſò Lector, cui hæc ſcribantur, & qvod de exercitiis Epi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Epiſcopalibus loqvatur Apoſtolus: ſic pronum erit conjectare, qvi ſint ſpiritus erroris, & qvæ dæmoniorum doctrinæ hóc noſtró ſeculó malignisſimó.

Tractatio igitur *bimembris eſt: Refutatio* exercitiorum hypocriticorum, & *Concluſio.*

1 *Refutationis argumentum primum: Spiritus autem manifeſtè dicit, qvia in noviſſimis temporibus* (adveniente Antichriſtô, 2. Theſſal. 2, 3. 4.) *diſcedent qvidam à fide,*
2 *attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loqventium mendacium,* (prætexentium eximiam ſanctitatem, ut mendacia ſua perſvadeant hominibus, asſumentium agni cornua ad deceptiones Draconis, Apocal. 13, 11.) *cauteriatam habentium ſuam conſcientiam,* (tot tamq; enormibus peccatis perfosſam, ut nihil ampliùs ſacri profaniq; habeant, qvemadmodum cauteriata cutis eſt calloſa ac deformis. Dæmonia enim enumerabilium ſibi conſcia peccatorum, non ceſſant peccare, nihil penſi habentes, qvid faciant, ſimilesq; ſibi ſtu-
3 dent efficere, qvibus aſtu ſuô imponunt,) *probibentium nubere,* (γαμεῖν, matrimonium contrahere, non omninò, ſed certis in vitæ generibus, ad majorem ſanctitatem, ut hypocriſis ſibi conſtet,) *abſtinere* (docentium) *à cibis,* (non omnibus, ſed certis qvibusdam, ut carnibus, vino, &c.) *qvos DEUS creavit ad accipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qvi cognoverunt veritatem.* Hoc jam eſt *alterum argumentum* à divinâ inſtitutione & beneficentiâ ductum, qvam ſpiritus erroris intervertere conantur fidelibus.

Firmatur argumentum ab adjunctis omnium creaturarum DEI. Si enim nulla DEI creatura mala eſt, ergò nec cibi, nec conjugium. Ergò nec cuiqvam interdicenda.

4 *Qvia omnis creatura Dei bona eſt,* (Geneſ. 1, 31.) *& nihil rejiciendum, qvod cum gratiarum actione percipitur.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

pitur. Sanctificatur enim (ſit uſus ejus homini ſanctus) *per* 5
verbum Dei (qvô conceditur) *& orationem,* (qvâ tanqvam
DEI donum petitur, atqve, ut benè vertat, benedicitur.)

Concludit utrumqve argumentum oratione gravi, volens
non ſolùm Timotheum hæc ſcire, ſed etiam Collegis ac commini-
ſtris tradere. *Hæc proponens fratribus, bonus eris mini-* 6
ſter JEſu Chriſti, enutritus verbô (verbis, λόγοις) *fidei &*
doctrinæ, (τῆς καλῆς, bonæ,) *qvam aſſecutus es. Ineptas* 7
autem & aniles (profanas aniles) *fabulas devita,* (qvales
proferunt ſpiritus erronei, in hypocriſi ſpargentes mendacia.)

Poſteriora exercitia, DEO grata & homini ſalutaria declarat, ſi qvis nempe pietati ſe asſvefaciat, doctrinæq; ſalutiferæ ac morum probatorum exemplô aliis præire ſtudeat.

Tractatur *primò generalius*, cùm inqvit: *Exerce autem teipſum ad pietatem.* *Deinde ſpecialius*, dum particulatim ea, in qvibus pietatis ſtudium conſiſtit, perſeqvitur verſ.12.&c.

Generalem propoſitionem ſtabilit ab utili, à verô, ab antecedentibus actis.

Nam, inqvit, *corporalis exercitatio* (qvâ qvis abſtinet 8
à cibis aut conjugiô) *ad modicum utilis eſt,* (ut aliqva incom-
moda vitentur, atqve ut promtiùs interdum exeqvamur, qvæ ſunt
Domini, 1.Cor.7,26.32.35.) *pietas autem ad omnia utilis eſt,*
(non tantùm ſollicitudinem homini & curas mordaces eximens
ac DEO devinciens, ſed etiam ad omnem ſtatum, omnia opera, di-
cta, factaq; præclarè obeunda faciens,) *promisſionem habens*
vitæ, qvæ nunc eſt, & futuræ, (promisſionem puta remune-
rationis uberrimæ tùm in hôc, tùm in futurô ſeculô.) *Fidelis* 9
ſermo (hic qvem protuli) *& omni acceptione dignus.*

Veritatem & præſtantiam ſermonis etiam anteacta noſtra
comprobant. *In hoc enim laboramus & maledicimur,* 10

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

(probris afficimur, ὀνειδιζόμεθα,) *qvod ſperavimus in Deum vivum*, (qvæ prima & præcipua pietatis pars eſt,) *qvi eſt Salvator omnium hominum*, (qvi omnibus ſalutem paravit, & ad eam accipiendam invitat qvotidiè, volens omnes ſalvos fieri, & ad agnitionē veritatis pervenire, 1.Tim.2,4.) *maximè fidelium* (Salvator, qvibus ut credentibus ſalutem ipsô actu præſtat & confert; omnibus qvidem offert, omnibus paratam habet & promtam, ſed ſolis eam confert donatq; fidelibus, tanqvam fidei manum dexteræ ejus benignisſimæ admoventibus, cæteris verò infidelibus & contradicentibus totâ die expandit manus ſuas, ut eſt Eſa. 65,2. Roman. 10, 21. ſed fruſtrà, nemine ſe acceptioni parante.)

11 *Præcipe hæc & doce*, (tanqvam vera, certa & indubitata verba Dei.)

Particularis explicatio Propoſitionis continet ea, qvæ propriè ad pietatis exercitium ſpectant, ſuntq; vel *communia*, in qvibus typum ſe omnibus ſtatuere jubet Timotheum: vel *ſingularia*, ad ipſius officium Evangelicum propriisſimè pertinentia. Qvæ omnia tandem paucis verbis repetit, & efficacisſimâ ratione munit ducta ab ipſius omniumq; auditorum utilitate ſummâ maximâq;, qvæ eſt utrorumq; ſalus ſempiterna.

Communia illa pietatis eô etiam nomine jubet, ut ne qvis Ti-
12 mothei juventutem contemnat. *Nemo* (inqvit) *adoleſcentiam tuam contemnat, ſed exemplum eſto fidelium in verbô, in converſatione, in charitate, in ſpiritu* (fervente, Rom. 12, 11.) *in fide, in caſtitate.*

13 *Propria* muneris Evangelici ſunt, qvæ ſeqvuntur: *Dum venio, attende lectioni* (ſacrarum literarum,) *exhortationi,*
14 *doctrinæ. Noli negligere gratiam*, (donum gratiæ,) *qvæ in te eſt, qvæ data eſt tibi per prophetiam* (fratrum Iconienſium & Lyſtrenſium, ut ſuprà cap. 1,18.) *cum impoſitione manuum presbyterii* (in illis locis, per qvam Evangeliſtæ mu-

nus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

nus ritè adeptus, proximam Apoſtolis ac Prophetis functionem
obtines, Epheſ.4,11. 1.Cor.12,28. itaqve fac opus Evangeliſtæ, mi-
niſterium tuum imple, 2.Timoth.4,5.) *Hæc meditare, in his* 15
eſto, ut profectus tuus (in lectione, exhortatione, doctrinâ,
donisq; collatis) *manifeſtus ſit omnibus. Attende tibi &* 16
doctrinæ, (Act. 20,28.) *inſta in illis. Hoc enim faciens, &*
te ipſum ſalvum facies, (Dei in te opus promovendo, gra-
tiamq; ejus haud inaniter habendo, 2. Cor. 6,1.) *& eos qvi te*
audiunt (in Chriſto per Evangelium, tanqvam miniſter, non tan-
qvam Dominus, 1.Cor.3,5. & 4,15.)

CAPUT QVINTUM.

Poſtqvam de Exercitiis verè paſtoralibus diſſeruit Paulus, pergit hôc capite & ſeqventi ad officia decori, erga certos hominum ordines tenendi. Ac *primùm* ſanè præſcribit, qvodnam ſit officium Paſtoris erga ſenes juvenesq;, i.e. ætate provectiores vel inferiores. *Tùm* qvodnam erga viduas. *Tertiò* in presbyteros. *Qvartò* in peccantes. *Qvintò* in corpus proprium. Claudit hæc præcepta illuſtri ſententiâ, verſ. 24.25. *Sextò*, capite ſeqventi ultimo qvaliter habendi ſervi, & *deniqve*, qvodnam ſit Paſtoris in falſos Doctores officium, exponit. Ita finitur ſpecialioris inſtitutionis membrum qvartum.

Igitur ad textum. *Seniorem ne increpaveris,* (ne du- 1
rioribus verbis exceperis,) *ſed obſecra* (hortare ætatis reverentiâ)
tanqvam patrem. Juvenes ut fratres. Anus ut ma- 2
tres, juvenculas ut ſorores, in omni caſtitate.

Hactenus τὸ πρέπον ætatis conſiderandum: ſeqvitur τὸ πρέπον ſtatûs.

Viduas honora, qvæ verè viduæ ſunt, (verè deſertæ 3
& ſolitariæ. Qvantò enim iſte ſtatus afflictior, tantò honore di-
gnior.)

Porrò de viduis agit copioſiùs, docens primò, qvid debeatur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

iis à filiis ac nepotibus, qvæ tali gaudent benedictione: Tûm qvam
verè viduam, atqve ob id publicô honore dignam judicet, qvam
non. Tertiò, qvid juniores viduas deceat. Deniqve qvid cognati
Chriſtiani viduis ſuis debeant, præſcribit.

4 *Si qva autem vidua filios aut nepotes habet, diſcant*
(illi) *primùm domum ſuam regere,* (εὐσεβεῖν, piè disponere,)
& mutuam vicem (ἀμοιβὰς, compenſationes) *reddere parentibus. Hoc enim* (καλὸν, pulchrum, &) *acceptum eſt coram DEO,* (qvi gratitudinem reqvirit, & ἀντιθεραπείαν parentibus exſolvi poſtulat. Talis ergò non eſt verè vidua, qvia losô mariti habet filios aut nepotes, ipſius curam agere obſtrictos.)
5 *Qvæ autem verè vidua eſt & deſolata,* (viro, orba & liberis,) *ſperat in DEO, & inſtat orationibus & obſecra-*
6 *tionibus nocte & die,* (omni tempore,) *qvæ autem in delitiis eſt,* (σπαταλῶσα Syrus: דְּפָלְחָא אֶסְטְרֶנְיָא qvæ ſervit voluptati, ἀσωτεύουσα καὶ στρηνιάζουσα. Nam Syra vox אֶסְטְרֶנְיָא ex ἀσωτία καὶ στρῆνος, coaluit,) *vivens mortua eſt,* (in carne
7 vivens, ſpiritu vitâq; Dercaret,) *& hoc præcipe, ut irrepre-*
8 *henſibiles ſint. Si qvis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet,* (ac proinde viduas ſibi cognatas, præſertim nepos aut filius, negligit,) *fidem negavit, & eſt infideli deterior.* (Nam infideles ſuorum curam agunt, ſolius naturæ inſtinctu. Itaq; fide caret, qvi carnem & oſſa ſua ſpernit. Qvomodo enim alios diligat, qvi domeſticos & ſangvinis neceſſitudine devinctos contemnit?)

Jam qvalis vidua ad miniſterium adhibenda ſit publicum, ex-
9 planat. *Vidua eligatur non minùs ſexaginta annorum, qvæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis teſtimo-*
10 *nium habens, ſi filios educavit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit,* (peregrinantium, exulum, pauperum DEI

viro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

virorum,) *ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit,*
ſi omne opus bonum ſubſeqvuta eſt, (ſi qvorumvis ope-
rum bonorum ſtudioſam ſe præbuit; ſunt octo reqviſita viduæ
publicô Eccleſiæ ſumtu alendæ. Tales videntur fuiſſe ſub veteri
populô, de qvibus 1. Sam. 2, 22. Exodi 38, 8. & Hanna Luc. 2, 37.)
Adoleſcentiores autem viduas devita. (Noli eas Eccleſia-
ſticis miniſteriis præficere, ut publicô ſumptu nutriantur.)
Qvum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, (prava verſio, 11
ὅταν καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ, qvum luxuriaverint ſeu laſcivierint
contra Chriſtum, pudicitiam violaverint,) *nubere volunt,*
(nuptiis velare laſciviam,) *habentes damnationem, qvia* 12
primam fidem (Eccleſiæ datam eleëmoſynis rectè collocandis,
vitâq; caſtè agendâ) *irritam fecerunt. Simul autem & o-* 13
tioſæ, (qvòd de publicô alantur,) *diſcunt circuire domos:*
non ſolùm otioſæ, ſed & verboſæ (Φλύαροι, nugaces) *& cu-*
rioſæ, loqventes qvæ non oportet, (calumnias, rumuſculos
vanos, nugas, ſcommata, turpiloqvia.)

Tertiò, qvid velit juniores viduas facere, attexit, non ſine ad-
ditâ ratione. *Volo ergò juniores nubere, filios procreare,* 14
matresfamilias eſſe, (οἰκοδεσποτεῖν, familias regere,) *nullam*
occaſionem dare adverſario, maledicti gratiâ, (cui Sa-
tanas ejusq; ſocii aſſvevêre, ſemper qværentes, qvod convicien-
tur.) *Jam enim qvædam converſæ retrò Satanam,* 15
i.e. deſertâ fide & conſcientiâ bonâ ſatanam ſeqvuntur. ἐξετρά-
πησαν, averſæ ſunt poſt ſatanam, deviârunt de viâ Chriſti, ſeqven-
tes ductum ſatanæ.

Qvartò, ſi qvæ nolint nubere, iis ſubveniendum à neceſſariis
ſtatuit. *Si qvis fidelis,* (ſi qvâ fidelis, πιστή) *habet viduas,* 16
ſubminiſtret illis, & non gravetur Eccleſia (ſuppetando
illis,) *ut illis, qvæ verè viduæ ſunt, ſufficiat.* h. e. Qvilibet

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Chriſtianus ſuis viduis orphanisq;, ſangvine conjunctis, pro virili ſubveniat, nec Eccleſiam aut Rempublicam oneret, ut tantò faciliùs verè viduis & orphanis omni ſubſidiô carentibus ſubveniri qveat: Attendat magiſtratus, & cogat facere divites Chriſtianos, qvod jubet Apoſtolus.

Tertiò agit de Presbyteris, qvos & remunerandos largè, & defendendos contra obtrectatores præcipit.
17 *Qvi benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur,* (unô qvòd Presbyteri, alterô qvòd boni Presbyteri, fideliter officiô fungentes,) *maximè qvi laborant in verbô & doctrinâ.* (Ii enim plus agunt, qvàm qvi judiciis præſunt, ex ſententiâ Apoſtoli 1. Corinth.6. Tales fuiſſe in primitivâ Eccleſiâ, etiam Tertullianus Apolog.cap.39. his verbis teſtatur: Judicatur magnô cum pondere, ut apud certos de DEI conſpectu: ſummumq; futuri judicii præjudicium eſt, ſi qvis ita deliqverit, ut à communicatione orationis, & conventûs, & omnis ſancti commercii relegetur. Præſident probati qviq; ſeniores, honorem iſtum non pretiô, ſed teſtimoniô
18 adepti.) Firmat teſtimoniô Scripturæ. *Dicit enim Scriptura, non infrenabis os bovi trituranti,* (Deut.15.4. 1.Cor.9,9.) *Et dignus eſt operarius mercede ſuâ.* (Hoc dictum è Matthæi Evangeliô cap.10,10. citatur. Lucas & Johannes tunc non-
19 dum ſcripſerant.) *Adverſus Presbyterum accuſationem, noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus,* (ne inimicis Presbyterii occaſio pateat ſæviendi.)

Qvartum hujus inſtitutionis membrum eſt de peccantibus notoriè & enormiter, qvomodo ſe erga illos prudenter & cordatè gerat Paſtor. Nam de occultis non judicat Eccleſia, ſed DEUS, 1. Co-
20 rinth.4,5. *Peccantes,* inqvit, *coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant,* (& ſimilia peccata committere me-
21 tuant.) *Teſtor coram DEO & Chriſto JEſu & electis Angelis,* (tanqvam ſupremi judicii ſociis & adminiſtris,) *ut hæc cuſtodias, ſine præjudiciô,* (tàm adverſus Presbyteros, qvàm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

qvàm peccantes alios, peccati convictos,) *nihil faciens in aliam partem declinando,* (ſeu accuſatori ſeu favendo reo.)
Manus citò nemini impoſueris, (ſive abſolvendi ſive ordi- 22
nandi ritu,) *neqve communicaveris peccatis alienis.* (Communicas enim, ſi publicè infamem aut peccati convictum ſeu abſolvas, ſeu ad honores evehas.)

Qvintum pertinet ad ipſum Timotheum, Paſtoresq; alios ejusdem officii compotes. *Te ipſum caſtum cuſtodi,* (honorem ſanctitatemq; corpori tuo ſerva. Valetudinem item cura,
qvantum potes.) *Noli adhuc aqvam bibere, ſed modicô* 23
vinô utere propter ſtomachum tuum, & freqventes tuas infirmitates. (Nam ſicut ſanctimoniæ, ſic etiam ſanitatis cura habenda, ut nec luxuriet corpus, nec fatiſcat. Nemo enim oderit carnem ſuam, Epheſ. 5,29. Col. 2,23.)

Finit γνώμη, ad præcedentia univerſa pertinente, ut ſi forſan alicubi hæſitet, divini judicii ſecurus ſit. Neqve enim Epiſcopus aut Paſtor qvicqvam poteſt, præterqvam viſa & cognita judicare.
Itaqve ait: *Qvorundam hominum peccata manifeſta* 24
ſunt, præcedentia ad judicium, (ut facilè dijudicentur,) *qvosdam autem & ſubſeqvuntur,* (ut judicio demùm peracto innoteſcant.) *Similiter & facta bona manifeſta ſunt,* 25
(ut in promptu ſit ſtatuere de viduis qvibusdam, Presbyteris, & aliis honore dignis,) *& qvæ aliter ſe habent, abſcondi non posſunt,* (utut aliqvantisper lateant crimina, tandem tamen erumpunt, habetq; DEUS vindicem oculum.)

CAPUT SEXTUM.

ABſolvitur membrum præcedens, & ad qvintum proceditur, qvô ſcopum Chriſtianiſmi explicat Apoſtolus.

Reſtant adhuc duæ particulæ ſuperioris inſtitutionis, qvomodo nimirum ſervi ſe gerere debeant erga dominos,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

tùm fideles, tùm infideles: & qvomodo Epiſcopo vitandi ſint aliena docentes.

Exponitur ergò τὸ πρέπον ſervorum, & Epiſcopi erga falſos Doctores.

Deinde qvid in ſtudio pietatis propriè ac potisſimùm ſpectandum, edisſerit occaſione acceptâ è falſorum Doctorum intentione, qvi pietatem eſſe qvæſtum arbitrantur. Qvibus concedit dictum, ſed ἐπανορθώσει adjecta ſensûs, ſi qvis præſentibus bonis acqvieſcat. Αὐτάρκειαν igitur illam commendat ex ipſius naturæ lege, qvæ ut hominem nudum inducit in mundum, ita nudum emittit è mundo. Qvocirca nihil juſtius meliusq; qvàm victu amictuq; contentum, pietatis verum qvæſtum attendere. Tùm à contrariô avaritiæ mala commemorat, tantò amabiliorem efficiens αὐτάρκειαν, qvantò eſt oppoſitum illi vitium fœdius ac perniciosius. Sic procedit ad alteram propoſitionis partem, & pietatis ſcopum oſtendit eſſe vitam æternam, ad qvam fortiter & generosè contendendum, verſ.11.12. docet *tribus argumentis: Unum* ab antegreſſâ vocatione ducitur, confesſione Timothei comprobata, v.12. *Alterum* à teſtimonio JEſu Chriſti coram Pontiô Pilatô, asſerentis ſe qvidem Regem, ſed non de hoc mundo. Unde conſpicuum, ſubditos ejus ſperare regnum, ſed non hujus mundi, ac proinde vitam ſectari alteram. *Tertium* ducitur à gloriâ cauſæ Efficientis ſeu Autoris vitæ æternæ, qvam congerie variarum ejus laudum illuſtrat, ut hinc excellentiam ſcopi Chriſtiani æſtimandam ingerat, verſ.14.15.16.

Tertiò hinc deducit πόρισμα, qvid præcipiendum divitibus hujus ſeculi, nimirum ut neqvaqvam putent ſe potitos veri illius qvæſtus, propoſiti Chriſtianos, ſed ut contendant ad vitam æternam, futurosq; in cœlis theſauros.

Hisce abſolutis totius Epiſtolæ Epilogus ſubjicitur.

Partes ergò *capitis tres ſunt. Prima* pertinet ad præcedentem inſtitutionem de ſingularium qvorundam ordinum officiis. *Altera*, ut dixi, ſcopum Chriſtianiſmi præclarè demonſtrat. *Tertia* totam Epiſtolam claudit.

Jam ergò qvid ſervis præſcribatur, perpendamus.

1 *Qvicunqve ſunt ſub jugo ſervi,* (non manumisſi,)

Domi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, (ex animo peragentes qvæcunqve jubentur, tanqvam DEO, non hominibus, Epheſ. 6, 5. 6. 7. Col. 3, 22.)

Ratio à fine. *Ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur,* (ne infideles Chriſtum doctrinamq; Chriſtianam blasphement, irritati ſervorum Chriſtianorum inobedientiâ & flagitiis.) *Qvi autem fideles habent dominos, non contemnant, qvia fratres ſunt* (ex communi in Chriſtum fide,) 2
ſed magis ſerviant, qvia fideles ſunt & dilecti, qvi beneficii participes ſunt. (Verſio prava. οἱ τῆς εὐεργασίας ἀντιλαμβανόμενοι, qvi beneficentiam ſuſcipiunt, & vicisſim bonis benefaciunt. Syrus: qvi contenti ſunt miniſterio eorum. Lubentiùs enim promtiusq; amico dilecto, grato, qvàm inimico ingratoq; ſervitur.) *Hæc doce & exbortare.*

Seqvitur *officium Epiſcopi* erga Heterodoxos. Eos primùm deſcribit à doctrinâ, moribus & ſcopô: Ac deinde vitare jubet.

Si qvis aliter docet, (ἑτεροδιδασκαλεῖ) *& non acqvieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri JEſu Chriſti, &* 3
ei, qvæ ſecundùm pietatem eſt doctrinæ, (οὐ προσέρχεται, non accedit. Doctrinæ enim veræ nota eſt, ſi congrua ſit ſermonibus Chriſti, & accommodata ad pietatem.)

Mores falſi Doctoris: *Superbus eſt, nihil ſciens,* (prout 4
decet ſcire, 1. Cor. 8, 2.) *ſed langvens circa qvæſtiones & pugnas verborum, ex qvibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, Conflictationes* 5
(παραδιατριβαί, Nebenübungen) *hominum mente corruptorum, & qvi veritate privati ſunt.*

Scopus: *Exiſtimantium qvæſtum eſſe pietatem.* (Chriſtianiſmum qvæſtus cauſâ profitendum.)

Præceptum Apoſtoli de vitandis ejusmodi omiſit Latinus In-

 ter-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

terpres, ſed perperam. ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων, *declina à ta-*
libus. In verſione Syrâ ſonat: Tu autem elonga te ab iſtis. Conſo-
nat illud Tito mandatum cap. 3, 10. Hæreticum hominem poſt
unam & ſecundam correptionem devita.

Qvintum Inſtitutionis ſpecialioris membrum tribus abſolvitur par-
tibus. Primâ qvæſtus ſtudium ſeu avaritia refellitur. *Alterâ* verus
Chriſtianiſmi ſcopus aſſeritur. *Tertiâ* idem divitibus inculcatur.

6 *Primum* ait: *Eſt autem qvæſtus magnus pietas cum*
ſufficientiâ. (μετὰ αὐταρκείας; cum animo ſuâ ſorte contento.
q.d. ſatis ille lucratus eſt, qvi DEUM cognovit, & ſorte ſuâ acqvi-
eſcit.)

Probatur à Lege naturæ, & contrariæ avaritiæ effectibus per-
nicioſiſſimis.

7 *Nihil enim intulimus in mundum, haud dubium,*
(manifeſtum, δῆλον,) *qvod nec auferre qvid poſſumus.*
(Qvantum qvis infert in hoſpitium aliqvod, tantum effert. Nos in
hujus mundi hoſpitium nihil intulimus. Ergò nec qvicqvam effe-
8 remus.) *Habentes autem alimenta, & qvibus tegamur,*
(σκεπάσματα, tegumenta,) *his contenti ſimus.* (Pſal. 49, 18. Jo-
9 han. 1, 21. Eccleſ. 5, 14.) *Nam qvi volunt divites fieri,* (qvi di-
vitias ſibi ſcopum fixere,) *incidunt in tentationem & la-*
qveum, & deſideria multa inutilia & nociva, qvæ mer-
10 *gunt homines in interitum & perditionem. Radix enim*
omnium malorum eſt cupiditas, (φιλαργυρία, avaritia,)
qvam qvidam appetentes erraverunt à fide, (conſcien-
tiâ pariter fideq; exciderunt,) *& inſeruerunt ſe doloribus*
multis.

Secundò aſſerit verum Chriſtianiſmi ſcopum, docens qvid-
11 nam, qvôq; fine ſectandum. *Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge:*
ſectare autem juſtitiam, pietatem, fidem, patientiam,
man-

manſvetudinem, (geminos Spiritûs DEI fructus, Epheſ. 5, 9.
Gal. 5,22.) *Certa bonum certamen fidei,* (1.Tim.1,18.) *appre-* 12
hende vitam æternam, (tanqvam brabéum & ſcopum cœle-
ſtis vocationis, Phil.3,14.)

Firmat primùm à vocatione jam actu approbatâ. *In qvam vocatus es,* vitam ſcil. *& confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus,* (qvi viciſſim tibi teſtimonium perhibuerunt, ceu fido & inculpato operario DEI, Act.16,2.)

Secundò ab exemplo JEſu Chriſti. *Præcipio tibi coram* 13
DEO, qvi vivificat omnia (in JEſu Chriſto,) *& Chriſto*
JEſu, qvi teſtimonium reddidit (teſtificatus eſt) *ſub Pon-* 14
tio Pilato bonam confeſſionem, (Matth.27,11. Joh.18,36,37.)
ut ſerves mandatum ſine maculâ irreprehenſibile usq;
in adventum Domini noſtri JEſu Chriſti. q.d. Chriſtus
omnium ἐπόπτης, cujus miniſter es, exemplo præivit confeſſionis,
teſtificatus regnum ſuum non eſſe de hoc mundo. Ergò præcipio
tibi ipſius nomine, & in conſpectu ejus, ut æternam futuri mundi
gloriam qværas, revelandam in adventu ejus.

Tertiò à gloriâ DEI vocantis, & eligentis. Ex eâ enim colligere
eſt, qvantum ſit, qvod præparavit diligentibus ſe. *Qvam* (ἣν, 15
qvam ſcil. apparitionem) *ſuis temporibus oſtendet beatus*
& ſolus potens, Rex Regum & Dominus dominantium,
qvi ſolus habet immortalitatem (in ſeipſo, donans eam, cui 16
vult,) *& lucem inhabitat inacceſſibilem, qvem nullus*
hominum vidit, ſed nec videre poteſt, (Joh.1,18. 1.Joh.4,12.
Exod.33,20.) *cui honor & imperium ſempiternum. Amen.*

Tandem vult divitibus hujus mundi eundem Chriſtianiſmi ſcopum demonſtrari, ne in opibus ſummum ſuum bonum collocent. Ubi denuò præſcribit, qvidnam iis, qvôq; fine agendum ſit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

17 Officium eorum per ἄρσιν καὶ θέσιν illuſtrat. *Divitibus*
hujus ſeculi præcipe non ſublime ſapere, neq; ſperare
in incerto divitiarum, ſed in DEO vivo, qvi præſtat
nobis omnia abundè ad fruendum. (Non in creaturâ eâq;
admodum vanâ, ſed in creatore, non in re mortuâ, ſed vivâ, non
18 in donô, ſed datore ſpem ſuam collocare.) *Benè agere,* (ex fide
in DEUM,) *divites fieri in bonis operibus,* (qvæ veræ ſunt opes
19 & certæ,) *facilè tribuere, communicare. Theſaurizare*
ſibi fundamentum bonum in futurum, (Matth. 6,20. Luc.
12,35.) *ut apprehendant vitam æternam,* (finem ſcopumq;
Chriſtianiſmi ultimum, 1. Pet. 1,9. Rom. 6,22.)

EPILOGUS.

E*Pilogus* repetitione conſtat propoſitionis primariæ de doctrinæ
integritate conſervanda, corruptelisq; vitandis. Etenim corruptelis doctrinæ adhæreſcere indicavit conſcientiæ violationem.
20 *O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas*
vocum novitates, (κενοφωνίας, vanitates,) *& oppoſitiones*
falſi nominis ſcientiæ, (ψευδωνύμου γνώσεως, falſum ſibi nomen arrogantis ſcientiæ, qvatenus ſcilicet opponitur ſanis ſermo-
21 nibus JEſu Chriſti.) *Qvam qvidam promittentes circa fi-*
dem exciderunt, (ἠστόχησαν, à ſcopô deerrârunt.) *Gratia te-*
cum. Amen.

Ad Timotheum prima ſcripta fuit è Laodiceâ,
qvæ eſt metropolis Phrigiæ Pa-
catianæ.

JO-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

JOHANNIS CLUVERI, SS. THEOL. D. ejusdémq; olim Profeſſoris Sorani, & poſteà Superintendentis Dithmarſici,

ANALYSIS EPIST. POSTERIORIS S. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM,

Cum epilyſi locorum difficiliorum.

HAnc è cuſtodiâ Romanâ dedit ad Timotheum, cùm jam ad Galatas & Epheſios ſcripſiſſet: ſed ad Philippenſes, Coloſſenſes, Ebræos & Philemonem ſcripſit, cùm Timotheus hiſce literis accitus Romæ ageret, qvemadmodum ex Epiſtolarum prooemiis & clauſulis eſt conſpicuum. Eſt igitur inter poſtrema Novi Inſtrumenti ſcripta hæc Epiſtola, haud diſſimilis aut diverſi à præcedente argumenti. Qvoniam enim ex revelatione Spiritûs Sancti innotuerat Apoſtolo, qvantum defectura eſſet à fide poſteriorum ætatum Eccleſia, placuit munire Timotheum, perq; ipſum alios omnes Doctores, ut tantò faciliùs caverent veritatis corruptelas, atqve è ſacris literis Prophetarum Apoſtolorumq; omnia ad ſalutem neceſſaria depromerent. Cæterùm Timotheus tandem Domitianô Imperatore Epheſi vitam finiit pro gloriâ Chriſti, cùm impura Epheſiorum Catagogia (feſtum id erat Ethnicum) prohiberet, Autor Photius in Bibliothecâ pag. 1402.

Partes iterum *tres ſunt: Exordium, Inſtitutio Epiſtolaris, & Epilogus.*

Exordium amori benevolentiæq; aptum primis qvinqve verſibus comprehenditur.

Inſtitutio verò ipſa *bimembris* eſt, *Generalis & ſpecialis.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Generalis agit de dono DEI excitando recteq; collocando, cap.1,6. nec timendis, qvæ obſtare poſſint uſui ejus, verſ.8.

Specialis qvinqve partes continet.

Prima eſt de formâ ſanorum verborum retinenda, cap.1,13. aliisq; tradenda, cap.2,1.

Altera de conſtantiâ in tribulationibus, cap.2,3.

Tertia de vitandis rixis & inaniloqviis, cap.2,14.

Qvarta de hypocritarum cavendis ſeductionibus, præſertim circa finem ſeculi exorituris, cap.3,1.

Qvinta de præconiô Evangelii graviter, tempeſtivè intempeſtivéq; urgendo, cap.4,1.

Concluſio mandatis qvibusdam & admonitiunculis privatis conſtat, cum conſolatione & ſalutationibus reciprocis, verſ.9.&c.

CAPUT PRIMUM.

CApite primô Exordium, Inſtitutio generalis, & Exhortatio ad retinendam ſanorum verborum formam comprehenditur.

EXORDIUM.

EXordium ſalutatione & inſinuatione conſtat.

Salutatione memoratur, qvis, qvem, qvâ ſalute, & à qvô impertiat.

1 *Paulus Apoſtolus JEſu Chriſti per voluntatem DEI, ſecundùm promisſionem vitæ, qvæ eſt in Chriſto JEſu.* (Qvod eſt objectum Apoſtolatûs primarium, promisſio ſcilicet vitæ in Chriſto JEſu.) *Timotheo charisſimo filio, gra-*
2 *tia, miſericordia, pax à DEO Patre, & Chriſto JEſu Domino noſtro.* (1.Timoth.1,1.2.)

Inſinuatione declarat dilectionem atqve exiſtimationem ſuam de Timotheo, è precibus & cupiditate ejus videndi elucentem, cujus ratio petitur à ſignis amoris, fideiq; ipſius Timothei.

3 *Gratias ago DEO, cui ſervio à progenitoribus in conſcientiâ purâ,* (citra hypocriſin) *qvòd ſine intermis-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſione habeam tui memoriam in orationibus meis nocte ac die. (Gratiâ enim DEI iſtum affectum indui, ac precari didici.) *Deſiderans te videre, memor lachrymarum tuarum,* 4
(qvas fudiſti, cùm ſepararemur ab invicem Epheſi: Nam in Aſiam usqve ſecutus Paulum Timotheus, Act.20,4. nec ulla ejus mentio deinceps, relicti haud dubiè Epheſi, ibidem v.16. qvando in Mileto reliqvit Trophinum ægrotantem, 2. Timoth.4,20. qvod minimè ignorâſſet Timotheus, ſi Paulum Hieroſolymam usqve comitatus fuisſet.) *Recordationem accipiens ejus fidei, qvæ eſt in* 5
te non ficta, qvæ & habitavit primùm in aviâ tuâ Loide, & matre tuâ Eunice. Certus ſum autem, qvod & in te.

INSTITUTIO EPISTOLARIS.

GEneralis miniſtrorum Eccleſiæ *inſtitutio* hæc eſt, ut talentum ſibi creditum benè collocent, neqvaqvam territi mundi hujus odiis atqve inimicitiis, Matth.25. Luc.19. ſic qvoqve Paulus hortatur Timotheum.

Tractatio hujus partis *conſtat Propoſitione geminâ, & utriusqve confirmatione.*

Prima Propoſitio eſt: Exſuſcita donum, qvod in te eſt.

Ratio ab Efficiente ducitur. In qvô non eſt ſpiritus timoris, ſed virtutis, is fortiter utitur donô ſuô. In nobis, teq; ipsô eſt ſpiritus non timoris, ſed virtutis, &c. Ergò fortiter utaris donô tuô.

Altera: Ne erubeſcas teſtimonium ferre de Chriſto ob vincula aut perſecutiones, v. 8.

Confirmatur à gratiâ DEI, effectibus apparitionis Chriſti per Evangelium communicatis, & à Pauli exemplô.

Propter qvam cauſam (qvia tantoperè te diligo, & recordor ſinceræ tuæ fidei) *admoneo te, ut reſuſcites* (ἀναζωπυρεῖν, ſufflando tanqvam vivifices per Spiritum DEI) *gratiam* (χάρισμα, donum) *Dei, qvod eſt in te, per impoſitionem*

ma-

manuum mearum, (& presbyterii, ſuprà cap. 4, 14. qvando
7 Evangeliſta conſtitutus es autoritate publicâ) *Non enim dedit nobis DEUS ſpiritum timoris,* (ut metuamus ſatanam, mundum, carnem, aut deſperemus de ſucceſſu laborum noſtrorum,) *ſed virtutis & dilectionis* (DEI & proximi,) *& ſobrietatis.* (Hujus ergò Spiritus dictamen intrepidè & generosè
8 ſeqvamur.) *Noli itaq; erubeſcere teſtimonium Domini noſtri,* (metu humani judicii, Rom. 1, 16.) *neq; me vinctum ejus,* (qvod turpe videatur captivorum cauſam agere, eorumq; opera imitari,) *ſed collabora Evangelio ſecundùm virtutem DEI,* (συγκακοπάθησον, ſocius eſto vexationum Evangelii, DEO te confortante.)

Ratio prima à gratia jam accepta. Qvi enim gratiâ DEI ſalutem aſſecutus eſt, eum non pudebit confiteri illam gratiam, Dominoq; ſuo teſtimonium perhibere.

9 *Qvi nos liberavit* (ſalvavit, partâ repoſitâq; beatitudine, ut reveletur ſuô tempore, 1. Petr. 1, 4. 5.) *& vocavit vocatione ſanctâ, non ſecundùm opera noſtra,* (qvæ nulla ſunt,) *ſed ſecundùm propoſitum ſuum & gratiam, qvæ data eſt nobis in Chriſto JEſu ante tempora ſecularia,* (qvoad electionem factam in Chriſto ante mundum conditum, Eph. 1, 4.)

Altera ratio ab effectibus adventûs Dominici, qvi per Evangelium distribuuntur mundo. Si enim Chriſtus abolitionem mortis & illuminationem vitæ, atqve incorruptionis per Evangelium prædicatum creditumq; exeqvitur, non debet pudere qvemqvam annunciationis ejus.

10 *Manifeſtata eſt autem nunc* (gratia nobis per electionem data in Chriſto præviſo ante ſecula, patefacta eſt in plenitudine temporum) *per illuminationem* (apparitionem, διὰ τῆς ἐπιφανείας) *Salvatoris noſtri JEſu Chriſti, qvi deſtruxit*

qvi-

qvidem mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem (tanqvam in lucem produxit & cognoſcendam præbuit vitam DEI & immortalitatem) *per Evangelium, in qvo* 11
(εἰς ὅ, in qvod, ut nempe vita & immortalitas per Evangelium illuceſcat) *poſitus ſum ego prædicator & Apoſtolus, & Magiſter gentium*, (1.Timoth. 2,7.)

Tertia ratio ab exemplô Pauli Apoſtoli. Si enim ipſe non erubeſcit carceres & contumelias ſubire, ob depoſitum Chriſto commiſſum, idem Timotheo non erubeſcendum.

Ob qvam cauſam, inqvit, puta qvod meo miniſterio vi- 12
ta & immortalitas illuceſcit gentibus, *etiam hæc patior, ſed non confundor*, (non pudet me pati,) *ſcio enim cui credidi*, (ipſi nimirum DEO & Domino JEſu Chriſto, non hominibus,) *& certus ſum, qvia potens eſt depoſitum meum* (animæ ipſi traditæ) *ſervare in illum diem*, (ut illam glorificatam in corpore glorificatô recipiam, vitamq; & incorruptelam aliis prædicatam ipſus conſeqvar.)

Inſtitutio ſpecialis ſeqvitur, qvâ particulatim explicat Paulus Doctor gentium, qvomodo Timotheus aliiq; Eccleſiarum Rectores donô ſuô rectè uti posſint ac debeant.

Primum præceptum eſt de hypotypoſi ſanorum verborum retinenda, aliisq; commendanda.

Conſtat tribus membris, Propoſitione, Narratione, & Concluſione.

Propoſitio eſt: *Formam habe* (ὑποτύπωσιν, illuſtrem ty- 13
pum & deſignationem) *ſanorum verborum*, (qvibus ſanctè & ſalubriter explicentur myſteria DEI,) *qvæ à me audiſti, in fide & dilectione*, (qvæ eſt) *in Chriſto J Eſu.* (Habenda enim forma in fide, qvâ doctrinam Evangelii credimus, & in dilectione pariter, qvæ Legis eſt impletio. Illis duabus partibus tota Chriſti
doctrina continetur.) *Bonum depoſitum* (doctrinæ) *cuſtodi* 14

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

per Spiritum Sanctum, qvi habitat in nobis, (facturusq; eſt, ut compleas, qvæ præſcribo. Spiritus enim in omnem veritatem ducit, qvem daturus eſt DEUS precantibus ſe, Johan. 16, 13. Luc. 11, 13.)

Narratione commemorat, cui tantoperè cuſtodiri cupiat ſanitatem doctrinæ à Timotheo, multitudinem ſcilicet apoſtatarum jam antè prædictam, cùm iret Hieroſolymam, Act. 20, 29. 30. & teſtatam qvoqve, Apoc. 2, 6. 14. & 3, 4. 15.

15 *Scis hoc, qvòd averſi ſint à me omnes, qvi in Aſia ſunt*, (non adhærentes ampliùs formæ doctrinæ à me traditæ, ſed vel Judaicis commentis, vel Philoſophicis deceptionibus, Coloſs. 2, 8. 19. Gal. 1, 6. & 4, 10. 11. abrepti, niſi qvòd Epheſii tui adhuc perſtant, plus proindè nondum reprehendo de doctrinæ corruptelis,) *qvorum* (apoſtatarum) *eſt Phygellus & Hermogenes.*

16 *Det Dominus miſericordiam Oneſiphori domui*, (qvæ eſt Epheſi, ut patet infrà verſ. 18. & cap. 4, 19.) *qvia ſæpè me*

17 *refrigeravit, & catenam meam non erubuit. Sed qvum Romam veniſſet, ſollicitè me qvæſivit & invenit*, (cùm reliqvi averterentur à me, tanqvam Legis apoſtatâ,) *det illi Dominus invenire miſericordiam à Domino* (JESU) *in illâ*

18 *die. Et qvanta Epheſi miniſtravit mihi, tu noſti*, (biennium mecum commoratus ibidem, Act. 19, 22.)

CAPUT SECUNDUM.

CApite ſecundô finit primum inſtitutionis particularis membrum, & ſecundum tertiumq; exſeqvitur.

Repetit autem Epilogô propoſitionem primæ exhortationis, qvâ depoſitum cuſtodire juſſerat Timotheum per

1 Spiritum Sanctum, & ait ampliùs: *Tu ergò, fili mi, confortare in gratiâ, qvæ eſt in Chriſto JEſu*, (per Spiritum S.)

2 *Et qvæ audiſti à me per multos teſtes*, (tot regionibus mecum

cum peragratis,) *hæc commenda fidelibus hominibus, qvi idonei erunt & alios docere*, (qvales deſcripſi ſuprà priori Epiſtolâ cap. 3.)

Alterum præceptum eſt ſimilitudine illuſtratum. Tolera, qvæ toleranda ſunt, age, qvæ agenda ſunt ceu bonus miles JEſu Chriſti.

Propoſitionem his verbis effert: *Tu autem ſuſtine mala,* 3
(σὺ οὖν κακοπάθησον, Vulgatus habet ſimpliciter, labora,) *ſicut bonus miles JEſu Chriſti.*

Confirmatur triplici allegoriâ, ſpectante tùm finem, tùm formam militiæ Chriſtianæ, in qvâ tanqvam tribuni excellunt Doctores Eccleſiæ. Allegorias non explicat, ſed ad earum ſignificationem expendendam hortatur Timotheum.

Poſt allegoricas probationes adfert exemplarem, petitam à Dominô & ſervô ejus qvôdam eximiô, puta à ſeipſo, verſ. 8. 9. &c.

Primum perſeverat in ſimilitudine militari. *Nemo mili-* 4
tans implicat ſe negotiis ſecularibus, (ſeculi negociationibus, ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις,) *ut ei placeat, cui ſe probavit*, (τῷ στρατολογήσαντι, exercitum conſcribenti, delectus habenti.) Subintellige aſſumtum: Tu es miles JEſu Chriſti. Ergò ne implices te negociationibus ſeculi, ſed tolera militiæ tuæ incommoda, ut Imperatori tuo placeas.

Secundum ſimile petitur à certaminibus publicis. *Nam &* 5
qvi certat in agone, non coronatur, niſi legitimè certaverit, q. d. Tu etiam certas, & coronam ſperas. Ergò per tolerantiam fortiter & generosè certes, 1. Cor. 9, 24. 25. 26.

Tertium deſumitur ab agriculturâ. *Laborantem agrico-* 6
lam oportet primum de fructibus percipere; Subſume: Tu es agricola, aliorum corda excolens, ut DEO fructus ferant, (1. Cor. 3, 6. 9. & 9. 7.) Ergò qvos fructus ab aliis expectas, in te ipsô primus percipe, à te ipsô primus exige. Itaqve addit: *Intellige,* 7

qvæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intelligentiam, (ſi militiam tuam conſtanter exercueris.)

Alterum genus probationis Apoſtolis eſt familiarisſimum, ductum ſcilicet ab eo, qvi Dominus, Præceptor & Dux militiæ noſtræ eſt, JEſu Chriſto, cui ſe asſociat Paulus, tanqvam ſtrenuus Centurio, exemplô etiam ſuô commilitonem animans.

Argumentum tale eſt: Si Chriſtus κακοπαθήσας è mortuis reſurrexit, tu qvoqve ſimilia ſuffer, eandem reſurrectionis gloriam expectans. Subſumit Paulus, & memoriæ Timothei commendat hanc asſertionem: JEſus Chriſtus reſurrexit à mortuis. Sic ſpontè ſeqvitur concluſio. Conſeqventiam majoris & ſuô, & omnium Chriſti militum conſortio roborat.

8 Verba ſunt egregia: *Memor eſto JEſum Chriſtum*
reſurrexisſe à mortuis, ex ſemine David, (verum homi-
nem, ſimilem Davidi Patri ſuo, qvi etiam militavit bella ejus,)
9 *ſecundùm Evangelium meum,* (mihi concreditum,) *in qvo*
laboro (κακοπαθῶ) *usq; ad vincula, qvaſi malè operans,*
(κακοῦργος, maleficus, qvem leges vincire ſolent,) *ſed verbum*
Dei non eſt alligatum, (imò liberrimum, hoc pacto currens
10 & diffundens ſe qvàm maximè, Phil. 1, 12.) *Ideò omnia ſuſtineo*
propter electos, ut & ipſi ſalutem conſeqvantur, qvæ
eſt in Chriſto JEſu, cum gloriâ cœleſti, (exemplô meô con-
firmati & ædificati. Electi enim mediis ſalutis, inter qvæ etiam ex-
empla ſanctorum, & conſtans Evangelii annunciatio, ad gloriam
11 æternam perducendi ſunt.) *Fidelis ſermo. Nam ſi commor-*
12 *tui ſumus,* Chriſto JEſu ſcilicet, *& convivemus. Si ſuſti-*
nebimus (cum ipſo,) *& conregnabimus. Si negaverimus,*
& ille negabit nos. (Matth. 10, 32. 33. Mar. 8, 38. Luc. 9, 26. & 12, 8.)
13 *Si non credimus,* (ἀπιστοῦμεν, infideles ſumus,) *ille fidelis per-*
manet, negare ſeipſum non poteſt. (Infidelitas hominum

fidem

fidem Chriſti non evacuat, Rom.3,3. qvi eſt ipſa veritas, Joh.14,6. ac proinde verum manet, qvicqvid ipſe prolocutus eſt, etiamſi id nullus hominum crederet.)

Tertia inſtitutio ſeu præceptio *ſpecialis* eſt de vitandis rixis verborum & inaniloqviis, rectéq; ſecando verbo Dei.

Propoſitionem hanc confirmat à pernicioſo rixarum profanarum, idq; pernicioſum exemplô declarat defectorum qvorundam. *Tùm* illuſtrat ſimili œconomicô, probatq; à neceſſariô ſervorum Dei reqviſitô, verſ.19.&c. *Tertiò* ab effectu qvæſtionum ineptarum, pugnante cum propriô ſervorum Dei officiô, verſ.22.23. &c.

Propoſitio eſt gemina, vitandorum & faciendorum.

Hæc, inqvit, *commone*, (ὑπομίμνησκε,) *teſtificans co-* 14
ram Domino, (mortuo illo & reſuſcitato,) *non contendere*
verbis, (μὴ λογομαχεῖν, non contendere de verbis.) *Sollicitè* 15
cura te ipſum probabilem exhibere DEO, operarium
inconfuſibilem, (ἀνεπαίσχυντον, minimè pudendum,) *rectè*
tractantem (ὀρθοτομοῦντα, rectè ſecantem. Syrus: דְמַכְרֵז תְרִיצָאִית
prædicantem rectè, emendatè, ſuô qvidq; locô ac ſenſu) *verbum*
veritatis. Profana autem inaniloqvia devita, (qvum 16
multa dicuntur qvidem, ſed vanè præter mentem & intelligentiam Spiritûs Sancti, cujus verba perperam ſecta torqvent imperiti ad proprias cupiditates & vanitates ſuas, 2.Petr.3,16. non attendentes, qvid, qvô locô, qvôq; fine prolatum ſit.)

Confirmatio ab inutili & pernicioſo huic ſyllogiſmo includi poterit: Qvæ non faciunt ad converſionem audientium, ſed ad augendam impietatem, ea ſunt devitanda. Rixæ verbales & inaniloqvia præter mentem Spiritûs Sancti agitata, nihil faciunt ad converſionem audientium, ſed potiùs ad augendam impietatem. Ergò devitanda.

Minor eſt Apoſtoli. Λογομαχεῖν, inqvit, *ad nihil utile eſt*, 14
niſi ad converſionem (ἐπὶ καταστροφῇ, pro converſione) *audi-*
entium. Et profana inaniloqvia multum proficient 16

ad impietatem, (ἐπὶ πλεῖον προκόψουσιν ἀσεβείας. Rectè Sy-
rus Interpres: multum adjiciunt ad improbitatem illorum, qvi oc-
cupantur in eis.)
17 Declarat ſimili & exemplis. *Et ſermo eorum, ut cancer,*
(γάγγραινα gangræna) *ſerpit*, (ſanas corporis Eccleſiaſtici partes
18 inficiens ac corrumpens,) *ex qvibus eſt Hymenæus & Phy-
letus, qvi à veritate exciderunt*, (à ſcopo veritatis aberrâ-
runt, non rectè ſecantes verbum, de reſurrectione mortuorum,
conſignatum in ſacris literis, nec reſurrectionem carnis & ſpiritus
diſtingventes,) *dicentes reſurrectionem eſſe jam factam*,
(perſvaſi de animarum illuminatione & reſurrectione ſpirituali,)
& ſubverterunt qvorundam fidem.

Alterum argumentum à domeſticorum Dei proprietate ſic for-
mo: Domeſtici Dei nomen Chriſti nominantes, diſcedant ab ini-
qvitate. Logomachia & inaniloqvium eſt iniqvitas, abuſio qvippe
verbi & nominis divini. Ergò qvi nominant nomen Chriſti, à Lo-
gomachiis & inaniloqviis diſcedant.

Majorem aſſerit, & ſimilitudine domeſticâ illuſtrat Apoſto-
19 lus. *Sed*, inqvit, *firmum fundamentum Dei ſtat, habens
ſignaculum hoc: Cognovit Dominus qvi ſunt ejus*,
(benè novit fideles domeſticosq; ſuos, ſpernit abutentes myſte-
riis ſuis.) *& diſcedat ab iniqvitate omnis, qvi nominat
nomen Domini.* (Si qvis nomine DEI utitur, iniqvitate omni,
20 ipsôq; abuſu nominis abſtineat.) *In magnâ autem domô*
(qvalis eſt Eccleſia) *non ſolùm ſunt vaſa aurea & argen-
tea, ſed & lignea & fictilia. Et qvædam qvidem in
honorem, qvædam autem in contumeliam.* h. e. In Eccle-
ſiâ ſunt qvidam præſtantes & egregii, qvidam minoris precii ſer-
21 vi. Et qvidam honori DEI, qvidam dedecori ſerviunt. *Si qvis
ergò emundaverit ſe ab iſtis* (contumeliæ vaſis,) *erit vas*
in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

in honorem, ſanctificatum & utile Domino, ad omne opus bonum paratum. Subintellige, vaſa ignominiæ ſunt, qvi profanis inaniloqviis ſtudent. Ergò ab iis ſecedendum.

Tertia ratio ab effectibus qvæſtionum litigioſarum ita ſonabit: Servus Dei ſectabitur pacem & manſvetudinem, vitabit, qvæcunqve paci & manſvetudini obſiſtunt. Qvæſtiones ſtultæ & ineruditæ de verbis, non de rebus ad ſalutem æternam pertinentibus, paci & manſvetudini obſiſtunt, lites contentionesq; generant. Ergò qvæſtiones de verbis omnis Dei ſervus vitabit.

Majori adduntur etiam alia ſervo Dei ſectanda præter pacem & concordiæ ſtudium, ſed cum eâ cohærentia. *Juvenilia* 22
autem deſideria fuge, (inter qvæ etiam contendendi ſtudium,) *ſectare verò juſtitiam, fidem, charitatem, & pacem cum iis, qvi invocant Dominum* (JESUM) *de purô corde.*

Minor: *Stultas autem & ſine diſciplinâ qvæſtiones* 23
(ex merâ vanitate & æmulatione motas) *devita, ſciens, qvia generant lites.*

Approbatio Majoris ab officiô ſervorum Dei. *Servum* 24
autem Domini non oportet litigare, ſed manſvetum
eſſe ad omnes, (exemplô Chriſti Matth. 11, 28. & 12, 19.) *docibi-* 25
lem, (διδακτικὸν, docere aptum,) *patientem,* (ἀνεξίκακον, malorum tolerantem,) *cum modeſtiâ corripientem eos, qvi reſiſtunt,* (τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, contrariâ acie diſpoſitos,)
ne qvando (μήποτε, ſi fortè) *DEUS det illis pœnitentiam* 26
(qvi ſolus poteſt) *ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqveis, à qvo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* q.d. Ebriis multa condonanda. Impii & inſipientes inebriati ſunt poculis Diaboli, & ab ipsô vivi in poteſtatem redacti, ἐζωγρημένοι. Ergò patienter expectandum, donec

ſobrii fiant, ἀνανήψωσιν, erroresq; ebrietate commiſſos agnoſcant emendentq;.

CAPUT TERTIUM.

QVarta *præceptio* de vitandis hypocritarum ſeductionibus circa finem ſeculi exuberaturis, hôc capite expeditur.

Eſtq; tripartita. Primô membrô deſcribuntur, qvi vitandi ſunt. *Alterô* ſors & fortuna tùm ipſorum, tùm fidelium in hoc ſeculo. *Tertiô* modus ratioq; eos vitandi.

In deſcriptione hypocritarum ponit congeriem vitiorum, qvæ poſtremis mundi temporibus invalitura ſint. *Deinde* eadem jam ſuâ ætate incipere demonſtrat. *Porrò* ſortem eorum ac fortunam hanc eſſe indicat, qvòd inſipientia ipſorum manifeſta fiat omnibus, verſ.9. ipſi verò proficiant in deterius, ſeducentes & ſeducti. *Piorum contrà* hanc, qvòd inſiſtentes doctrinæ ſanæ & Chriſti veſtigiis, perſecutionem qvidem patiantur, ſed ex omnibus tamen liberentur ad extremum.

Modus vitandi ſeductiones eſt permanere in ſacrarum literarum ſtudiô obſervantiâq;, verſ.14.&c.

Primum membrum conſtat vaticiniô de improbitate mundi noviſſimis futurâ temporibus, additô præceptô de ejus vitatione. *Tùm* accommodatione illius vaticinii ad Apoſtolici ævi conditionem, qvô jam pullulare incipiebat iniqvitas, verſ.6.

1 *Hoc autem ſcito, qvòd in noviſſimis diebus inſta-*
bunt tempora periculoſa, (difficilia, καιροὶ χαλεποί.)
Enumerat undeviginti vitia ſupremis diebus prævalitura.
2 *Erunt enim homines ſeipſos amantes,* (φίλαυτοι,) *cupidi*
(pecuniarum & opum, φιλάργυροι,) *elati,* (ἀλαζόνες, jactabundi,)
ſuperbi, blaſphemi, (nominis divini profanatores,) *parenti-*
3 *bus non obedientes, ingrati, ſceleſti. Sine affectione*
(naturali, ἄστοργοι,) *ſine pace,* (ἄσπονδοι, irreconciliabiles,) *cri-*
minatores, (διάβολοι, calumniatores,) *incontinentes, im-*
4 *mites, ſine benignitate,* (ἀφιλάγαθοι.) *Proditores, pro-*
tervi,

tervi, tumidi, voluptatum amatores magis qvàm
DEI. Habentes ſpeciem qvidem pietatis (in exteriori re- 5
ligionis profesſione,) *virtutem autem ejus abnegantes,*
(in verá fide dilectioneq; verſantem.) *Et hos devita,* (qvos jam
nunc tales deprehendis.) *Ex his enim ſunt, qvi penetrant* 6
domos, & captivas ducunt mulierculas, oneratas pec-
catis, qvæ ducuntur variis deſideriis, (modò harum, mo- 7
dò illarum voluptatum appetentes,) *ſemper diſcentes, &*
nunqvam ad ſcientiam veritatis pervenientes, (ἐλθεῖν
δυνάμενα: pervenire valentes.)

Deſcribit ergò ſeductores ab effectis, exemplis, ſimilibus, & adjunctis. Nam *primùm* ait eos perreptare domos, & mulierculis peccatorum cumulô onuſtis inſidiari, earumq; inconſtantiâ, qvòd variis deſideriis rapiantur, uti ad ſuas artes, adeóq; eas ſibi obnoxias reddere. Nam mulierculæ ejusmodi certam ſolidamq; veritatis notitiam nunqvam asſeqvuntur, proinde ad dolos fraudesq; oportunæ. Tales in primitivâ Eccleſiâ leguntur fuiſſe Nicolaitæ & Simonis Magi asſeclæ, poſteà dicti Gnoſtici, Apoc. 2, 20. 21. Epiphanius hæreſi xxxi. Irenæus lib. 1. cap. 20. 24.

Qvemadmodum autem Jannes & Jambres (Magi 8
Ægyptiaci, Exod. 7, 11. qvorum nomina hæc fuiſſe ferunt)
reſtiterunt Moyſi, (miracula ejus fraudibus æmulantes,) *ita*
& hi reſiſtunt veritati, (ſic ab exemplis ſimilium eos deſcri-
bit. Ab adjunctis ita:) *homines corrupti mente* (per excæca-
tionem Satanæ, ſicut iſte Elymas Act. 13, 10.) *reprobi circa fidem,*
(nec intellectu ſanô, nec fide præditi.)

Secundò ſortem tùm ſeductorum, tùm pietatis Doctorum deſcribit.
Illorum his verbis: *Sed ultrà non proficient:* (non pro- 9
ficient nimiùm, οὐ προκόψουσιν ἐπὶ πλεῖον.) *inſipientia enim*
eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

(cùm cogerentur fateri, impotentiam ſatanæ ſuccubuiſſe digito DEI, Exod. 8, 18. 19.)

10 Horum iſtis: *Tu autem aſſecutus es* (proſecutus, παρη-
κολούθηκας) *meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum,*
fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, (ſed
11 qvâ ſorte ornatam in hoc mundo?) *perſecutiones, pasſiones,*
qvalia mihi facta ſunt Antiochiæ, Iconii, Lyſtris, (Act.
13. & 14.) *qvales perſecutiones ſuſtinui; & ex omnibus*
eripuit me Dominus. (Hæc ſors piorum, prout Pſalm. 34, 20.
ſcriptum eſt: Multæ tribulationes juſtorum, & ex omnibus eruit
12 illos Dominus.) *Et omnes, qvi piè volunt vivere in Chri-*
13 *ſto JEſu, perſecutionem patientur.* (Contrà verò:) *Mali*
homines & ſeductores proficient in pejus errantes, &
in errorem mittentes, (πλανῶντες, καὶ πλανώμενοι. Nimirum,
qvi ſordet, ſordebit ampliùs, Apocal. 22, 11. impius impiè aget ampliùs, Dan. 20, 10.)

Modus ratioq; vitandi ſeductiones eſt permanſio in ſacris literis, qvæ ſufficienter hominem DEI erudiunt ad ſalutem. Illis qvicqvid adverſatur, conſpuendum: qvicqvid non continetur, reſpuendum eſt.

14 *Tu verò permane* (inqvit) *in iis, qvæ didiciſti, & cre-*
dita ſunt tibi, ſciens, à qvô didiceris; (à DEO nimirum, qvi
ipſa veritas, ſuprà cap. 1, 12. qvi in Scripturis loqvitur, & per os Prophetarum ac Apoſtolorum ſuorum, qvos in omnem veritatem du-
15 cit.) *Et qvia ab infantiâ ſacras literas noſti,* (à Chriſtianis natus, ſacrâq; doctrinâ imbutus à teneris, ſuprà cap. 1, 5.)
qvæ te posſunt inſtruere (σοφίσαι, ſapientem efficere) *ad*
ſalutem, per fidem, qvæ eſt in Chriſto JEſu. (Hinc igitur
certus es, cui credas, & à qvo didiceris.)
16 Ratio ab autore ac fine Scripturarum. *Omnis Scriptura*

(ſa-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

(ſacra) *divinitùs inſpirata,* (Ergò qvi ei credit, Deo credit: qvi ex eâ diſcit, ab ipſo Deo diſcit,) *eſt utilis ad docendum, ad arguendum* (errores τῶν πλανώντων καὶ πλανωμένων,) *ad corrigendum* (ἀποπεσόντας, lapſos,) *ad erudiendum in juſtitiâ* (regni Dei,) *ut perfectus ſit homo Dei,* (vir Dei, alios do- 17
cens, Scripturis innutritus,) *ad omne opus bonum inſtructus.* (Si igitur hanc perfectionem præſtat Scriptura, permanendum in illâ, & ſic facilè evitabuntur deceptiones poſtremorum temporum. Attendant hæc, qvi traditiones non ſcriptas, erroribus ſcatentes, inculcant.)

CAPUT QVARTUM.

CApite qvartô *qvinta* ultimaq; *inſtitutionis* Apoſtolicæ *pars* abſolvitur, cum totius Epiſtolæ concluſione.

Poſtqvam enim de formâ ſanorum verborum, de conſtantiâ in tribulationibus, de vitandis rixis & inaniloqviis, de ſeductionibus hypocritarum elidendis admonuit Timotheum, hoc reſtabat maximè, ut officio evangelizandi graviter eum incumbere juberet. Hoc autem facit verbis omninò gravisſimis, ductis *argumentis à venturâ retributione, à necesſitate, à ſuô exemplô.*

Teſtificor ergò coram DEO & JEſu Chriſto, qvi 1
judicaturus eſt vivos & mortuos per adventum ipſius (κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ, ſecundùm apparitionem ſuam) *& regnum ſuum.* (Hôc argumentô maximè commoveri omnes debent, ut audiant tunc, euge ſerve fidelis, in modico fidelis fuiſti, ſuper multa te conſtituam, Matth. 25. Luc. 19.)

Propoſitio ipſa eſt: *Prædica verbum, inſta oportunè,* 2
importunè, (ſive tempeſtivum videatur audientibus, ſive intempeſtivum,) *argue, increpa, obſecra in omni pietate & doctrinâ.* (Noli vel malos vereri, vel bonos negligere. Illis in patientiâ omni, his in doctrinâ ſervi.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Altera ratio à neceſſitate, qvandoqvidem ſi hominum deſide-
riis qvis morem gerere velit, fortè rarò aut nunqvam auſculta-
rent veritati.
3 *Erit enim tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſti-
nebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magi-
ſtros prurientes auribus*, (ut novi aliqvid audiant, Scriptu-
4 ris nusqvam traditum, ſed ſuis deſideriis conforme.) *Et à veri-
tate qvidem auditum avertent, ad fabulas autem con-
vertentur*, (fabuloſas narrationes & traditiones præ divinâ ve-
ritate amplectentur, qvemadmodùm fecerunt Gnoſtici, Montani-
5 ſtæ, Manichæi, & alii Antichriſto viam præparantes.) *Tu verò
vigila in omnibus, labora*, (κακοπάθησον, ſuſtine mala, ſu-
prà cap.2,1.) *opus fac Evangeliſtæ*, (non tantùm uni Epheſo,
ſed aliis qvoqve civitatibus & Provinciis concionare id, qvod mu-
neris eſt Evangeliſtarum, teſte Euſebiô Hiſtor. lib. 5. cap. 9. 10.)
miniſterium tuum imple.

Subjungit *tertiam rationem à ſuô exemplô*, jamjam conſum-
6 mando. *Ego enim jam delibor*, (σπένδομαι, immolor, Phil.
2,17. tanqvam ſacrificium mactabor, meq; DEO ſiſtam ultrò ut
holocauſti inſtar juguler pro gloriâ ejus,) *& tempus reſolu-
7 tionis meæ inſtat*, (qvam etiam deſidero, Phil.1,23.) *Bonum
certamen certavi, curſum conſummavi*, (1.Cor.9. ſup.c.2.)
8 *fidem ſervavi*, (ſummo Imperatori JEſu Chriſto.) *In reliqvo
repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*, (immarceſſibilis, qvæ per-
fectam mihi juſtitiam addet, & vitæ, qvâ vitam æternam adipi-
ſcar, 1.Pet.5,4. Apoc.2,10. Gal 5,5.) *qvam reddet mihi Domi-
nus* (JEſus) *in illâ die, juſtus judex. Non ſolùm autem
mihi, ſed & omnibus iis, qvi diligunt adventum ejus*,
(& ſic etiam tibi expectanti & deſideranti illuſtrationem adventûs
ejus, atqve hâc ſpe bonum certamen decertanti.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

EPILOGUS.

EPilogus conſtat admonitionibus privatis, Conſolatione, & Salutationibus reciprocis.

Admonitiones ſunt *qvatuor.* *Una* de maturando ad ſe adventu Timothei, qvam repetit verſ. 21. cujus aſsignat rationem hanc, qvòd cæteris cooperariis ad varia loca digreſsis, ſolum Lucam habeat Romæ ſocium. *Feſtina,* inqvit, *ad me venire citò.* 9
Demas enim me reliqvit, diligens hoc ſeculum, & abiit 10
Theſſalonicam. (Reverſus tamen poſteà, ut apparet ex Epiſtolâ ad Philemonem, cui ſubſcripſit Timotheus, jam agens Romæ, Philem. v. 1. 24.) *Creſcens in Galatiam,* (ad eos in integrum reſtituendos,) *Titus* (relictâ Cretâ, qvam anteà curaverat) *in Dalmatiam.* *Lucas ſolus eſt apud me,* (qvi Romam venit 11
mecum, ut patet ex Act. cap. 20. 21. &c. Hi omnes erant Evangeliſtæ, ac proinde Apoſtolorum æmulatione & juſſu varias terras obibant.)

Altera admonitio eſt de Marco, Barnabæ conſobrino adducendo, qvi olim diſceſſerat à Paulo, Act. 15, 37. 38. *Marcum aſſu-* 12
me & adduc tecum. Eſt enim mihi utilis ad miniſterium. Tychicum autem miſi Epheſum, (ut illam Eccleſiam pro te curet, Eph. 6, 21. 22.)

Tertia de utenſilibus qvibusdum adferendis. *Penulam,* 13
inqvit, *qvam reliqvi in Troade,* (proficiſcens Hieroſolymâ, Act. 20, 6. ante triennium,) *veniens adfer tecum, & libros, maximè autem membranas,* (ſi non omnes ferre tecum poſsis.)

Qvarta de cavendo Alexandro ærario. *Alexander æra-* 14
rius multa mala mihi oſtendit. Reddat illi Dominus ſecundùm opera ejus. Nam tradidi illum Satanæ, ut diſcat non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

15 blaſphemare, 1. Timoth. 1, 20.) *Qvem & tu devita. Valdè*
enim reſtitit verbis noſtris.

Porrò *conſolationem* præbet Timotheo ex narratione rei ge-
ſtæ, & fiduciæ futuræ ſalutis.

16 *In primâ meâ defenſione nemo mihi adfuit, ſed*
omnes me dereliqverunt, (qvos putâram mihi præſidio a-
17 pud Cæſarem eſſe potuiſſe.) *Dominus autem mihi adſti-*
tit & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur,
(πληροφορηθῇ, plenâ fiduciâ perageretur,) *& audiant omnes*
gentes, (ſi qvæ nondum audiverunt.) *Et liberatus ſum ex*
ore Leonis, (Neronis Cæſaris, homines ad Leonis inſtar devo-
rantis. Itaqve Judæi nihil obtinuerunt, ſed remiſſus ſum in cu-
18 ſtodiam, in qvâ adhuc ago, ſicut hactenus egi.) *Liberabit au-*
tem me Dominus ab omni opere malô, (ne qvid mali fa-
ciam, ſed intrepidè ipſum confitear,) *& ſalvum faciet in*
regnum ſuum cœleſte, (ubi finis eſt omnis certaminis, & per-
fecta atqve optatiſſima reqvies,) *cui gloria in ſecula ſecu-*
lorum.

Salutationes vel mandat Timotheo, vel mandatas ſibi, obſe-
qvitur, intermiſcet autem narratiunculam de Eraſto & Trophi-
mo, haud dubiè eâ de causâ, ne miretur Timotheus, cur ab iis ſa-
lutationem nullam accipiat.

19 *Saluta Priſcam & Aqvilam,* (Româ nunc Epheſum re-
verſos,) *& Oneſiphori domum,* (qvi beneficiis me affecit
20 qvàmplurimis, ſuprà cap. 1, 16.) *Eraſtus* (œconomus civitatis
Corinthiorum, Rom. 10, 23. tuus olim comes ex Aſiâ in Macedo-
niam, Act. 19, 22.) *manſit Corinthi,* (nec revocavi eum ad me,
aut aliorſum, niſi à qvô tempore tecum in Macedoniam profectus
eſt,) *Trophimum autem* (Epheſium, Act. 21, 28.) *reliqvi infir-*
mum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

mum Mileti. Feſtina ante hyemem venire, (ne ſit periculoſa tibi navigatio.) *Salutat te Eubulus, & Pudens & Linus,* (poſteà Romæ Epiſcopus,) *& Claudia, & fratres omnes.* 21

Claudit Epiſtolam benedictione: *Dominus JEſus Chri-* 22
ſtus cum ſpiritu tuô, (qvem regat, ducat, illuminet, ſervetq; in æternum.) *Gratia vobiſcum. Amen.*

Ad Timotheum (primum Epheſiorum Eccleſiæ Epiſcopum delectum. Ea verba extant Græcè τῆς Ἐφεσίων ἐκκλησίας πρῶτον ἐπίσκοπον χειροτονηθέντα. Sed neqve Syrus, neqve Latinus Interpres, neqve Arabs ea habent. Et in qvibusdam exemplaribus Græcis deſunt. Rectè meô judiciô. Nam Timotheus non fuit Epiſcopus alicujus certæ Eccleſiæ, ſed Evangeliſta, qvi alios Eccleſiis Epiſcopos conſtituit, ut patet 1. Tim. 3, 2.) *ſcripta fuit è Româ, qvum Paulus iterum ſiſteretur Cæſari Neroni.*

JOHANNIS CLUVERI, SS. THEOL. D. ejuſdemq; olim Profeſſoris Sorani, & poſteà Superintendentis Dithmarſici,

ANALYSIS EPISTOLÆ S. PAULI APOSTOLI AD TITUM, Cum Epilyſi difficiliorum verborum breviſſimâ.

TITUS origine Græcus fuit, non Judæus, qvem Paulus annô ſui miniſterii decimô ſeptimô, Chriſti LII. comitem & comminiſtrum aſſumpſit Antiochiæ, qvum Hieroſolymam proficiſcerentur ipſe & Barnabas, Collega ei datus à Spiritu Sanctô ad gentium converſionem, prout narrat Galatis cap. 2, 1. poſtmodum eôdem Titô uſus eſt apud Corinthios in corrigendis Eccleſiæ illius erroribus, qvam ille operam fideliter feliciterq; executus, qvemadmodum apparet 2. Corinth. 7, 7. & 14, 15. qvid actum eſſet, ad Paulum tunc in Macedoniâ agentem retulit. Deinde cum Lucâ, (ut 2. Cor. 8, 18. liqvet,) & aliô qvôdam fratre legatus ivit ad Corinthios colligendarum causâ eleëmoſynarum pro pauperibus in Judæâ Chriſtianis. Sed anteà in animo habens Hieroſolymam proficiſci Apoſtolus, ob inſidias Judæorum conſilium ceperat revertendi per Macedoniam. Igitur in Cretam appulſus haud dubiè, cùm è Græciâ navigationem inſtituiſſet verſus Syriam, reliqvit ibi Titum Eccleſias ordinaturum, ipſe verò in Macedoniam tendens, (Act. 20, 3.) & Nicopoli in Coloniâ Romanorum hybernaturus, ut ait hujus Epiſtolæ cap. 3, 12. exponere ei miſsô hôc libellô voluit, qvid in Cretâ eum docere agereq; oporteat, donec ſubmiſſô Artemâ aut Tychicô ad ſe redeat. Reverſus ergò Titus, colligendiſq; ſymbolis operatus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

fortè Cretam reviſit, donec ad Apoſtolum Romæ jam in vinculis agentem profectus, ab ipsô in Dalmatiam ablegaretur, ſicut 2. Timoth. 4,10. memorat. Fuit ergò Evangeliſta, dilectus à Paulo frater, ſociusq; & coadjutor appellatus, 2. Cor. 2,13. & 8,23. eôdemq; cum ipsô ſpiritu iisdem veſtigiis ambulans, ibidem cap. 12, 18. peragravit Aſiam plerumqve, Macedoniam, Achaiam, Cretam, Italiam, Dalmatiam. De morte ejus nihil conſtat.

Cæterùm *Epiſtolæ* ad Titum *partes ſunt qvatuor. Exordium, Propoſitio, Enarratio, & Concluſio.*

Exordium ſalutatione conſtat.

Propoſitione breviter inſinuat, qvid facere velit Titum, cap. 1,5. nimirum corrigere qvæ deſunt Cretenſibus, & oppidatim conſtituere Presbyteros.

Sunt autem *tres Enarrationis partes*, qvibus propoſitionem explicat. *Primùm* docet, qvales conſtituendi Presbyteri, cap. 1, 6. &c. *Deinde* qvomodo Cretenſium defectus corrigendi, tùm qvoad doctrinam, verſ. 10. &c. tùm qvoad mores, cap. 2. Mores verò præſcribit, primò ſecundùm ætatum & functionum differentias, à verſu primô capitis ſecundi usqve ad verſ. 11. Poſteà ſecundùm univerſalem omnium vocationem ab inde usqve ad verſum nonum capitis tertii. *Tertiò* qvid ſingulariter Tito obſervandum, à verſu 9. cap. 3. usqve ad ultimum perſeqvitur.

Epilogus mutuis ſalutationibus abſolvitur.

CAPUT PRIMUM.

CApite primô Exordium, Propoſitio, & prima Enarrationis pars expeditur.

Exordium ſalutatorium ex more *qvadrimembre* eſt, indicans, qvis, qvem, qvâ ſalute, & à qvô impertiat. Sed in primô membrô præter morem ferè copioſior eſt, Apoſtolatûs ſui objectum declarans, cauſamq; efficientem, finem ac formam. Objectum circa qvod eſt, fides electorum Dei, & cognitio veritatis, qvæ ſecundùm pietatem eſt. Finis ſpes vitæ æternæ, qvam deſcribit à priſcâ promisſione DEI, & ſecutâ manifeſtatione. Autorem vocat JEſum Chriſtum & Salvatorem DEUM.

Forma eſt præceptum & commisſio verbi Dei prædicandi in-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

1 ter gentes & populos. Verba textûs hæc ſunt: *Paulus ſervus*
DEI, Apoſtolus JEſu Chriſti, ſecundùm fidem electo-
rum Dei, (omnibus electis communem,) *& agnitionem ve-*
ritatis, quæ ſecundùm pietatem eſt, (pietatem procreans
2 & conſervans.) *In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui*
non mentitur DEUS, ante tempora ſecularia, (jam in-
de à conditu ſeculi, ante hæc ſecula, per Moſen & Prophetas.)
3 *Manifeſtavit autem temporibus ſuis verbum ſuum in*
prædicatione (univerſali inter omnes gentes,) *quæ credita*
eſt mihi, ſecundùm præceptum Salvatoris noſtri DEI
(JEſu Chriſti.)
4 Qvem ſalute impertit, Titus eſt. *Tito,* inqvit, *dilecto filio,*
ſecundùm communem fidem, (non ſecundùm carnem.)

Salus ipſa eſt, *Gratia, miſericordia, & pax.*

A qvo, *A DEO Patre & Domino JEſu Chriſto Salvatore noſtro.*

PROPOSITIO.

5 P*ropoſitio* Epiſtolæ planisſima eſt: *Hujus rei gratiâ reliqui*
te Cretæ, (ἐν Κρήτῃ, in Cretâ, inſulâ celeberrimâ, centum ur-
bibus freqventatâ,) *ut quæ deſunt, corrigas, & conſtituas*
per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.

ENARRATIO.

P*ars prima Enarrationis* de conſtituendis Presbyteris recenſet re-
qviſita & mores boni Epiſcopi ſeu Presbyteri. Nam Presbyte-
ros & Epiſcopos pro iisdem habet Apoſtolus. Vult enim conſtitui
6 Presbyterum, *Si qvis eſt ſine crimine,* (planè ſicut ſcribit
Timotheo 1. Epiſt. cap. 3, 2.) *unius uxoris vir, filios habens fi-*
deles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos,

(ἀνυ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

(ἀνυπότακτα, inobedientes. Si qvis enim propriæ neqvit domui præesſe, Eccleſiam Domini qvomodo gubernabit?)

A virtutibus domeſticis & privatis transit ad communes, & ipſis tandem Epiſcopis, qvatenus ſunt Epiſcopi, proprias. Communes ſunt per ἄρσιν καὶ θέσιν expoſitæ.

Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, 7
tanqvam Dei diſpenſatorem. (Si reliqvos Dei domeſticos ſine crimine vivere decet, qvantò magis diſpenſatorem, conſervis præſidentem;) *non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percusſorem, non turpis lucri cupidum. Sed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum,* 8
ſanctum, continentem. Propriæ ſunt: *Amplectentem* 9
eum, qvi ſecundùm doctrinam eſt, (doctrinæ orthodoxæ conformem,) *fidelem ſermonem,* (certum, non dubium aut fabuloſum,) *ut potens ſit & exhortari in doctrinâ ſanâ, & eos, qvi contradicunt, arguere.*

Altera pars Enarrationis continet ea, qvæ ad corrigendos Cretenſium defectus ſpectant. Inter qvos præcedunt ii, qvi doctrinam contemnunt. Docet ergò *primùm*, qvi & qvales ſint Cretæ pravorum dogmatum Magiſtri. *Secundò*, qvomodo tractandi. *Tertiò*, qvid de illorum profesſione ſentiendum.

Qvinam ſint, his verbis exponit: *Sunt enim multi etiam* 10
inobedientes, (DEO & hominibus,) *vaniloqvi,* (ματαιόλογοι, non θεόλογοι) *& seductores,* (Φρεναπάται, mentium deceptores,) *maximè qvi de circumciſione ſunt,* (Judæi & Prophetæ Cretam incolentes,) *qvi univerſas domos ſubvertunt,* 11
docentes, qvæ non oportet, turpis lucri gratiâ. Dixit 12
qvidam ex illis proprius ipſorum Propheta, (Epimenides Cretenſis: Cres ſemper mendax, mala beſtia, venter iners eſt.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pi-
13 *gri. Teſtimonium hoc verum eſt.*

Qvaliter tractandi, tùm *generatim*, tùm *ſpeciatim* indicat;
Generatim ait: *Qvos oportet redargui.* (Græcè ἐπιστομίζειν,
os oppilare, ſcil. per doctrinam ſanam, ne habeant contradicere.)
Speciatim: *Qvam ob cauſam increpa illos durè*, (ἀποτό-
14 μως, præcisè,) *ut ſani ſint in fide, non attendentes Judai-*
cis fabulis, (Rabbinicis commentis & traditionibus) *& man-*
datis hominum, avertentium ſe à veritate.

15 Qvid de iis ſentiendum, γνωμικῶς enunciat: *Omnia mun-*
da mundis, (& nulla creatura fideli ac mundo impura,) *conta-*
minatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, (etiam
ea, qvæ in ſe munda ſunt, contaminantur abuſu illorum,) *ſed in-*
qvinatæ ſunt eorum & mens (mendacio diaboli corrupta)
16 *& conſcientia*, (offenſionis DEI gnara,) *confitentur ſe noſſe*
DEUM, (præſertim Judæi, Rom. 2, 17. 18. 19.) *factis autem*
negant: qvum ſint abominabiles & incredibiles,
(ἀπειθεῖς, infideles,) *ad omne bonum opus reprobi.*

CAPUT SECUNDUM.

HOc capite *ſecundùm correctionis membrum*, qvod ad mores pertinet, proſeqvitur, *primùm* juxta hominum claſſes ſermonem disponens, *poſteà* univerſim omnibus officium ſuum præcipiens.

Partes tres ſunt: *Propoſitio, propoſitionis Explicatio, & Peroratio.*
1 *Propoſitio* hæc eſt: *Tu autem loqvere, qvæ decent, ſa-*
nam doctrinam; (cuilibet hanc doctrinam profitenti τὰ πρέ-
ποντα præcipe, doctrinæ ipſi hominem ſananti congrua.)

Explicatio bimembris eſt, ut dixi. Nam primùm certis claſſibus: poſteà in univerſum omnibus τὰ πρέποντα præſcribit.

Claſ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Claſſes ſunt Senum, Anuum, Juvencularum, Juvenum, Do-
ctoris ipſius, Servorum.

I. *Senes ut*(1.) *ſobrii ſint*,(2.) *graves*, Græcè σεμνὰς, Vul- 2
gatus vertit pudici, (3.) *prudentes*, σώφρονας, (4.) *ſani in*
fide, (5.) *in dilectione*, (6.) *in patientiâ.*

II. *Anus ſimiliter* (puta ſobriæ ut ſint, pudicæ, temperan- 3
tes, ſanæ in fide, dilectione, patientiâ,) *in habitu ſanctô*, (ἱερο-
πρεπεῖς, ſanctitatis decoræ,) *non criminatrices*, (διαβόλους, ca-
lumniatrices,) *non multo vino ſervientes*, (ut ſolens Creten-
ſibus,) *benè docentes*, (καλοδιδασκάλους, bona docentes.)

III. *Juvenculæ* inſtituuntur, additâ ratione à fine ducta. 4
Juvenculis autem ſeptem virtutes præcipiendas ait ab ipſis profe-
ctioris ætatis matronis. *Ut prudentiam doceant adoleſcen-
tulas*, (τὰς νέας σωφρονίζωσι, ad temperantiam componant no-
vas nuptas,) *ut viros ſuos ament*, *filios* (liberos) *ſuos dili-* 5
gant, *prudentes*, σώφρονας, *caſtas*, (caſtæ ſubintellige ſint,
vel caſtas eſſe doceant. Eſt qvarta hæc virtus.) *domûs curam
habentes*, (οἰκουροῦς, qvinta.) *benignas*, *ſubditas viris ſuis*,
(hæc ſeptima. Confer Epheſ. 5,22. Coloſs. 3,18. 1. Petr. 3,1.) Ratio:
Ut non blaſphemetur verbum DEI, (ſed glorificetur po-
tiùs, tanqvam ſanans hominum animos, ipſasq; mulieres ad
omnem ſanctimoniam prudentiamq; componens. Sic per mulie-
rum converſationem aliqvi inobedientes ſine verbô acqvirentur,
1. Pet. 3,1.)

IV. *Juvenes ſimiliter hortare, ut ſobrii ſint.* 6

V. *Doctoris* ipſius officium: *In omnibus te ipſum præbe* 7
exemplum bonorum operum, in doctrinâ integritatem,
(ἀδιαφθορίαν,) *gravitatem*, (σεμνότητα. Additum in fonte,
qvod omiſit Vulgatus: ἀφθαρσίαν, incorruptelam, nempe ut non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

tantùm doctrina, ſed & Doctor ſit incorruptus, nec lingva pura
cor impurum, ſed ut habeat doctrinam ἐν ἀφθάρτῳ τοῦ πνεύματος, 1. Pet. 3, 4. Eph. 6, 24.) *verbum ſanum, irreprehenſibile,*
8 (ἀκατάγνωστον, indamnabile.) Ratio ab effectu ſeu fine utili:
ut is, qvi ex adverſo eſt, vereatur, (ἐντραπῇ, in ſeipſum
converſus erubeſcat,) *nihil habens malum dicere de vobis.*

9 VI. *Servos dominis ſuis ſubditos eſſe,* Eph. 6, 3. Coloſs.
3, 22. 1. Pet. 2, 18.) *in omnibus placentes,* (qvæ ſecundùm DEUM
10 ſunt,) *non contradicentes. Non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes.* Ratio à fine: *Ut doctrinam Salvatoris noſtri* (JESU CHRISTI) *DEI ornent in omnibus.*

Progreditur ad *officium omnium Chriſtianorum in genere,* docens qvid facere eos, qvid omittere oporteat: Argumentisq; perſvadens efficaciſſimis, à cauſâ Efficiente & fine Chriſtianiſmi ductis. In contextu autem ipsô rationes hortatorio ſermoni permiſcet.

12 *Propoſitio* eſt ἄρσει καὶ θέσει exornata hôc modô: *Omnes homines abnegent impietatem, & mundanas concupiſcentias, contrà autem ſobriè & juſtè & piè vivant in*
13 *hôc ſeculô, expectantes beatam ſpem & illuſtrationem gloriæ JEſu Chriſti.*

Ratio prima à cauſâ Efficiente Chriſtianiſmi bifariam propo-
11 nitur, confuſiùs & diſtinctiùs. Confuſiùs cùm inqvit: *Apparuit enim gratia DEI ſalutaris omnibus hominibus.* (Hæc enim ſalutifera gratia illuceſcens hominibus, facit eos Chriſtianos. Sed nondum declaravit, qvæ, qvalis, qvanta ſit illa gratia. Dixit tantùm eſſe ſalutiferam, & omnibus illuxiſſe.) Diſtinctiùs
14 ergò ſubdit. *Magnus DEUS & Salvator noſter JEſus Chriſtus dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniqvitate, & mundaret ſibi populũ acceptabilem.*

(πεϱι-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

(περιούσιον, proprium, peculiarem, tanqvam ſingularem ſubſtantiam.)

Cui autem talis gratia illuxit, eum decet abnegare impietatem, & piè ſanctéq; vivere. Illuxit autem omnibus hominibus. Ergò decet omnes abnegatâ impietate Redemptori ſuo vivere.

Altera ratio à fine petita rectè *gemina* conſtituitur, prout eſt finis vel intermedius, vel ultimus. *Finis intermedius* Chriſtianiſmi eſt, *ut* homines *ſint* CHRISTO *proprii*, *bonorum operum zelotæ.* Ideò gratia illa ſalutaris eſt παιδεύουσα, erudiens, tanqvam filios, non caſtigans aut puniens, tanqvam ſervos, ut gratiam adoptionis in Chriſto conſecuti ferveant bonorum operum ſtudio, qvæ ſciunt grata eſſe acceptaq; DEO Salvatori ſuo.

Finis ultimus eſt illuſtratio gloriæ magni DEI & Salvatoris noſtri JEſu Chriſti, qvi beatam ſpem noſtram implebit, ut cum ipsô glorificemur. Qvi autem eô fine redempti ſunt, ut bona opera æmulentur, & beatâ ſpe æternæ gloriæ fruantur, eos utiqve convenit abnegare impietatem & deſideria ſecularia. Qvid enim illi cum pravis perverſisq; hujus ſeculi cupiditatibus, qvi futuri ſe-
culi gloriam expectat? *Ergò ſobriè*, (ea vox opponitur carnis 12
cupiditatibus & jactantiæ vitæ,) *& juſtè*, (opponitur cupiditati oculorum ſeu avaritiæ,) *& piè* (opponitur impietati adverſus DEUM) *vivamus omnes in hôc ſeculô.*

Peroratio pondus addit inſtitutioni præcedenti, oſtendens ſe-
riò & exactè peragenda, qvæ præcipiuntur. *Hæc loqvere &* 15
exhortare, & argue cum omni imperiô (ſpirituali.) *Nemo te contemnat*, (contemtorem ſpiritûs gladiô ulciſcere.)

CAPUT TERTIUM.

CApite tertiô pertexit, qvod de univerſali Chriſtianorum omnium officiô occepit diſſerere, & nominatim qvid magiſtratibus, qvidq; aliis hominibus, qvi proximi nomine cenſentur, debeant, proponit. *Tùm* confirmat iterum præcepta hæc ab honeſtô, neceſſariô, utili. *Poſteà* Tito ſingulariter

præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

præcipit, duo qvidem ſemper obſervanda, alia verò duo pro tempore. Semper obſervanda intelligo, ſtultarum qvæſtionum ac hæretici hominis evitationem. Temporaria verò mandata, qvod Nicopolin accitur, & Zenam legisperitum atqve Apollon accuratè deducere jubetur. *Deniqve* ſalutationibus Epiſtola finitur.

Porrò officium Chriſtianorum, cùm ab honore divinô deſcenderis ad inferiora hæc, aut ſuperiores, aut pares, aut inferiores concernit.

1 *De ſuperioribus* inqvit Paulus: *Admone illos Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne bonum opus* (ab ipſis imperatum) *paratos eſſe.*

2 *De paribus: Neminem blaſphemare, non litigioſos eſſe, ſed modeſtos.*

De inferioribus, atqve univerſim omnibus: *Omnem oſtendentes manſvetudinem ad omnes homines.*

Confirmatur *primùm* ab honeſtô. Honeſtum eſt enim atqve decorum, ſi qvis divinâ gratiâ ad pœnitentiam mutatus eſt prioris vitæ, peccatorumq; remisſionem conſecutus, ut non redeat ad priſtinam vitiorum cloacam. Commemorat ergò, qvi olim fuerimus ante Baptiſmum & converſionem, & qvalem qvantamq; gratiam in Chriſto ſimus adepti.

3 *Eramus enim aliqvando & nos inſipientes*, (ſicut cæteri nondum renati,) *increduli, errantes, ſervientes deſideriis & voluptatibus variis*, (deſideriis carnis, oculorum, libidinibus, pompis ſeculi,) *in malitiâ & invidiâ agentes, odibiles*, (ϛυγητοὶ, odiô digni,) *odientes invicem*, (odiô nos invicem proſeqventes.) q.d. Et mente eramus & voluntate corrupti olim, ac proinde moribus reprobi. Sic Rom.1,3. Eph.4. 1.Corinth.6. 1.Pet,4,3.

Porrò ſtatum gratiæ & reparationis, in qvo nunc verſamur, præclarè depingit, notans cauſam Efficientem primariam, removens falſam, *dein* media, *tùm* mediorum vim atq; efficaciam, *quartò* formam ipſam, ac *tandem* finem ejus ultimum. Cau-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Cauſam Efficientem his verbis exprimit: *Qvum autem* 4
benignitas & humanitas (Φιλανθρωπία, dilectio humani ge-
neris) *apparuit Salvatoris noſtri DEI. Non ex operi-* 5
bus juſtitiæ, qvæ fecimus nos, (ſic removet cauſam alienam
falſamq́;, & ponit veram προκαταρκτικὴν,) *ſed ſecundùm ſuam
miſericordiam ſalvos nos fecit,* (i.e. è regnô perditionis eri-
puit, atqve in ſuum transtulit, Col.1,13.) Subjungit media & mo-
dum, cùm ait: *Salvavit per lavacrum regenerationis,*
(h.e. lavacrum aqvæ in verbô per Baptiſmum, Eph.5,26. 1. Pet.3,21.
Col.2,12. ex qvô renaſcimur, qvia eſt aqva in eo ſalvifica, non ex ſe,
ſed per Spiritum Sanctum, ex qvô, tanqvam Patre, miniſteriô Ba-
ptiſmi ſeu vulvæ ſpiritualis regeneramur, Joh.3,5. ut videamus &
ingrediamur regnum DEI. Unde appellatur lavacrum regeneratio-
nis) *& renovationis Spiritûs Sancti.* (Is enim regenerat &
renovat per lavacrum illud aqveum, cui adeſt & unitur, 1.Joh. 5, 8.
Joh.3,6.) *Qvem effudit in nos abundè,* (abundantiùs qvàm 6
olim Chriſto nondum exhibito, aut nondum glorificato, Johan.
7,39. Eſa.12,3. & 44.3.4. & 49,10. Joël.2,28.)

Patefacit etiam *cauſam meritoriam,* cujus interventu ſpiritûs
gratiam ad regenerationem & renovationem conſeqvimur. Is
autem eſt JEſus Chriſtus, qvi ſuâ ad Patrem profectione Spiritum
nobis paracletum obtinuit, Johan.16,7. unde ab ipſo & in nomine
ejus, à Patre miſſus dicitur, Joh. 14,26. & 15,26. Act. 2,33. *Itaqve
effuſus eſt à Patre per JEſum Chriſtum Salvatorem
noſtrum.*

Forma hujus ſtatus eſt, juſtificatio per gratiam JEſu Chriſti ab
operibus malis. *Ut,* inqvit, *juſtificati gratiâ ipſius hære-* 7
des ſimus ſecundùm ſpem (qvâ jamnunc ſalvi ſumus, Rom.
8,24.) *vitæ æternæ.* (Is finis eſt Chriſtianiſmi, hæreditas, inqvam,
vitæ æternæ. Qvi igitur tantæ gratiæ ſunt potiti, eos æqvum eſt, ſe-
riam impendere pietati juſtitiæq́; operam, ut placeant Patri, Filio,

 & Spi-

& Spiritui Sancto, in cujus nomine baptizantur, & regeniti in filios adoptantur, Matth.28,19.)

Neceſſitatem porrò ex certitudine hujus præceptionis immu-
8 tabili coarguit. *Fidelis* (indubitatæ fidei) *ſermo eſt, & de*
his volo te confirmare, (διαβεβαιοῦσθαι.) *ut curent bonis*
operibus præeſſe, (ut ſolliciti ſint ac ſtudioſi ad faciendum
opera bona. Ita Syrus,) *qvi credunt DEO.* h. e. Tanqvam im-
motam DEI veritatem hoc prædica, neceſſe eſſe credentibus bonis
operibus incumbere.

Tertiò id non honeſtum ſolùm, ſed utile etiam aliis affirmat.
Hæc ſunt bona & utilia hominibus.

Tertia Enarrationis pars privatim Titum attingit, & ejus tali in officiô ſucceſſores.

Primò qvoad doctrinam illi eadem præcipit, qvæ anteà Timotheo, 1. Timoth.1,4. & 4,7. & 2. Epiſt.1,13, & 2,23. Nimirum ut & ipſe caveat inaniloqvia, & hæreticos falſosq; Doctores devitet.

9 *Stultas autem qvæſtiones* (de rebus frivolis,) *& genea-*
logias, & contentiones, & pugnas legis devita, ſunt
enim inutiles & vanæ. (Noli te immiſcere Judaicis contro-
verſiis, qvia nihil proſunt, nec certis ſolidisq; fundamentis nitun-
10 tur.) *Hæreticum hominem* (opiniones fidei adverſas eligen-
tem ac pertinaciter defendentem) *poſt unam & ſecundam*
correptionem (privatam & publicam, Matth.18,15.16.17.) *devi-*
11 *ta, ſciens, qvia ſubverſus eſt,* (ἐξέστραπται, everſus averſusq;
à viâ,) *qvi hujusmodi eſt, & delinqvit, qvum ſit propriò*
judicio condemnatus. (ὢν αὐτοκατάκριτος, ſuopte judicio con-
victus, & nihilominùs in errore permanens. In tali ergò conver-
tendo fruſtrà ponitur opera. At erroris neſcius ex infallibili JEſu
Chriſti teſtimoniô redarguendus eſt, qvòd contemnens αὐτοκατά-
κριτος cenſendus.)
12 *Seqvuntur monita temporaria: Qvum miſero ad te Ar-*

teman

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

teman vel Tychicum (cooperarios noſtros,) *feſtina ad me*
venire Nicopolin. Ibi enim ſtatui hyemare. Zenam Le- 13
giſperitum & Apollo (Alexandrinum Doctorem, virum diſer-
tum, & potentem in Scripturis, Act. 18,24.) *ſollicitè præmitte,*
(προπέμψον, deducito,) *ut nihil illis deſit,* (ſuppeditantibus
diſcipulis Cretenſibus, qvæ ad iter illis neceſſaria.) *Diſcant au-* 14
tem & noſtri (non Judæi tantùm ſuis proſpicere, ſed & Chri-
ſtiani ſuis,) *bonis operibus præeſſe, ad uſus neceſſarios*
(peregrinantium, pauperum, præſertim Doctorum,) *ut non ſint*
infructuoſi.

EPILOGUS.

CLaudit Epiſtolam ſvetis ſalutationibus, iisqvè reciprocis.
Salutant te, qvi mecum ſunt omnes. Saluta eos, 15
qvi nos amant in fide. Gratia DEI cum omnibus vo-
bis. Amen.

Scripta ex Nicopoli Macedoniæ.

Additur in Græcis qvibusdam exemplaribus: πρὸς Τίτον τῆς Κρητῶν ἐκκλησίας πρῶτον ἐπίσκοπον, χειροτονηθέντα. Sed neq; Syrus, neq; Latinus, neq; Arabs Interpres iſta habet, nec antiqviſſima Græca exemplaria. Titum autem non fuiſſe Epiſcopum, Cretenſium Eccleſiæ ſingulariter præpoſitũ, tota Epiſtola hæc, vitaq; ipſius ex actis Apoſtolicis ſuperiùs annotata, & ipſa revocatio ad Apoſtolum ſatis comprobant. Syrus addit, miſſam eſſe per manus Zenæ & Apollo. Sed vetuſtum exemplar Græcum, qvod apud me, ſimpliciter: ἐγράφη ἐκ Νικοπόλεως τῆς Μακεδονίας.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

JOHANNIS CLUVERI, SS. THEOL. D. ejusdémq; olim Profeſſoris Sorani, & poſteà Superintendentis Dithmarſici,

ANALYSIS ATQVE EPILYSIS BREVISSIMA EPISTOLÆ S. PAULI APOSTOLI AD PHILEMONEM.

PHILEMON Aſiaticæ cujusdam Eccleſiæ, crediderim Hierapolitanæ aut Laodicenæ Doctor, prout apparet ex Collega ejus Archippo, cujus in Epiſtolâ ad Coloſſenſes, Laodicenis qvoqve & Hierapolitanis ſcripta, mentio, cap 4,7. ſervum amiſerat Oneſimum. Is Romam profugerat ad Paulum Apoſtolum, à qvo converſus remittitur ad dominum, eâ conditione, ut vel recipiatur in gratiam, tanqvam frater per Chriſtianiſmum, vel ad Paulum reverti jubeatur, ipſi in vinculis ſerviturus. Scripta eſt eôdem ferè tempore, qvó iſta ad Coloſſenſes. Nam utriq; Timotheus tunc Romæ agens ſubſcripſit, utramqve Oneſimus attulit, utraq; Epaphræ & Archippi meminit. Perſvadeo tamen mihi Oneſimum Paulo remiſſum, Comite Tychicô Coloſſenſibus illam tuliſſe, unde ejus honeſta mentio ad Coloſſenſes, cap. 4, 9.

Partes Epiſtolæ ſunt qvatuor, Exordium, Propoſitio, Confirmatio, & Concluſio.

Exordium bimembre eſt: Nam poſt ſalutationem laudat Philemonis pietatem, atqve hôc pactô amori ſe ejus inſinuat.

Propoſitio eſt petitoria, cùm eſſe potuiſſet epitactica, verſ. 8.9.10. hôc ſenſu: Recipe Oneſimum ſervum tuum, aut mihi ſerviturum remitte.

Confirmationis argumenta ſunt lectiſſima, ab autoritate precantis, ab Oneſimi adjunctis præteritis ac præſentibus, à Pauli judiciô, v.13.

v.13.14. à divino conſilio, v.15. à petentis ac petiti conjunctione, v.17. à juſtitiâ & æqvitate, v.18. ab utili in precantem redundaturo, v.20. Sunt itaqve numerô *ſeptem*.

Concluſio ſignificat *primò* fiduciam rogantis, *dein* ſpem reditûs, ac *tandem* ſalutationes ſuperaddit conſvetas.

Primum Exordii membrum, qvis, qvid, cui, à qvo precetur, memorat.

Paulus vinctus Chriſti JEſu, & Timotheus frater. 1
Hi ſunt ſalutantes.

Philemoni dilecto & adjutori noſtro, & Appiæ ſo- 2
rori cariſſimæ, & Archippo commilitoni noſtro, & Ecclesiæ, qvæ in domo tua eſt. Hi ſalutantur.

Gratia vobis & pax. Hæc ſalus. 3
A DEO Patre noſtro & Domino JEſu Chriſto.
Hic autor ſalutis.

Alterô membrô ſuam de Philemone exiſtimationem, cum amore & deſideriô ſalutis ejus æternæ exponit, eaq; ad parem erga ſe affectum invitat.

Gratias ago DEO meo, ſemper memoriam tui fa- 4
ciens in orationibus meis, audiens charitatem tuam & 5
fidem, qvā habes in Domino JEſu, & in omnes ſanctos, (fidem ſcilicet in Domino, amorem erga ſanctos, qvibus in rebus vis eſt univerſa veri Chriſtianiſmi, Galat.5,6. Eph.1,15. & 6,23. Col. 1,4. 2.Theſs.1,3. 1.Tim.1,4.5.19. & 3,9. 2.Tim.1,13. Jac.2,17.18. 2. Petr.
1,5. 1.Joh.3,23.) *Ut communicatio fidei tuæ evidens* (ἐνεργὴς, 6
efficax) *fiat in agnitione omnis boni in vobis* (τȣ͂ ἐν ὑμῖν, qvod eſt in vobis) *in Chriſto JEſu.* (Paraphraſis Syra: ut ſit communicatio fidei tuæ, reddens fructus in operibus, & in cognitione omnium bonorum, qvæ ſunt vobis in Chriſto JEſu.) Inprimis charitatem Philemonis commendat. *Gaudium enim ma-* 7
gnum habui (ἔχομεν, habemus, ſcil. ego & Timotheus,) *& con-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſolationem in charitate tuâ, qvia viſcera ſanctorum
reqvieverunt per te, frater, (refecta & refota ſunt benigni-
tate tuâ.)

Propoſitio modeſtiâ ac gravitate temperata declarat volunta-
tem Pauli, permixtis argumentis tribus prioribus, qvibus ſvadet
aut recipere Oneſimum, aut ad ſe remittere.

8 *Propter qvod multam fiduciam habens in Chriſto*
imperandi tibi, qvod ad rem pertinet, (τὸ ἀνῆκον; qvod de-
9 cet,) *propter charitatem magis obſecro. Qvum ſim ta-*
lis, ut Paulus ſenex, nunc autē & vinctus JEſu Chriſti.
Præmunit ſibi viam hôc argumentô, ne repulſam ferat à Phile-
mone. Qvi enim poteſtatem habet imperandi, tanqvam Apoſto-
lus, tanqvam ſenex, tanqvam vinctus JEſu Chriſti, ejus interceſſio
neutiqvam aſpernanda.

10 *Obſecro te* (hæc ipſiſſima Propoſitio) *pro meo filio, qvem*
12 *genui in vinculis meis, Oneſimo, qvem remiſi. Tu au-*
tem illum, id eſt, mea viſcera, ſuſcipe. Hîc inſerit *alterum*
argumentum, ductum ab attributis Oneſimi, qvem vocat filium
ſuum, per Evangelium qvippe genitum in Chriſto JEſu, 1. Cor. 4, 15.
11 *Qvi tibi* (inqvit) *aliqvando inutilis fuit,* (minas & verbe-
ra promeritus,) *nunc autem & mihi & tibi utilis.* Adeóq;
jam verè ὀνήσιμος. Vocat eundem viſcera ſua. Qvi autem talis eſt,
is utiqve in gratiam recipiendus.

Tertium argumentum interponit, judicium nempe de Oneſi-
mô ſuum, qvô pariter inſinuat, qvid maximè eo fieri præoptet, ut
ſcilicet ad ſe remittatur. Id qvod & contigiſſe, ex Coloſſenſium
13 Epiſtolâ annotavimus. *Qvem ego volueram mecum deti-*
nere, ut pro te mihi miniſtraret in vinculis Evangelii,
14 (qvæ Evangelii causâ patior,) *ſine conſiliô autem tuô* (ſenten-
tiâ tuâ) *nihil volui facere, uti ne velut ex neceſſitate bo-*
num tuum eſſet, ſed voluntarium. (Nolui alienum ſervum

mihi

mihi retinere, & te deinde qvaſi cogere, ut mihi eum relinqveres, ſed voluntati eum tuæ permitto, ſic ſpontaneum erit beneficium, qvando illum mihi redonaveris, non coactum, qvô nec DEUS delectatur, nec homines.)

Qvartum confirmationis argumentum à divinâ capitur provi-
dentiâ, è malis bonum eliciente. *Forſitan enim ideò diſceſ-* 15
ſit ad horam à te, ut æternùm illum reciperes, jam non 16
ut ſervum, ſed pro ſervô (ὑπὲρ δȣ̃λον, ſupra ſervum) *cha-*
riſſimum fratrem, maximè mihi, qvantò autem ma-
gis tibi, & in carne & in Domino. Hoc eſt, nolui illum a-
pud me detinere, cùm hoc divini eſſe conſilii posſit, ut qvi anteà
fuit ſervus, ad tempus ſeparatus rediret, factus frater in Chriſto
JEſu per communem fidem, ſemperq; adhæreret tibi tùm in hôc
ſeculô, tùm in futurô. Firmat ex ſuô amore, qvi jam eum pro fra-
tre habeat, & à minori ad majus arguens, tantò chariorem ipſi fo-
re, ſignificat, qvod præter ſpiritualem conjunctionem, carnis
etiam neceſſitudine ipſum attingat.

Qvintum argumentum à paribus ducitur, qvaſi dicat: Perinde
habeo Oneſimum ſuſcipi, ac ſi meipſum ſuſciperes. At me utiq;
ſuſcipies, cujus communione gaudes. Ergò & illum. *Si ergò* 17
me habes ſocium, ſuſcipe illum ſicut me.

Sextum προληπτικῶς proponitur, & ab æqvô bonôq; arguit. Pro qvo enim alius ſatisfacere paratus eſt, is veniam petens recipiendus. Pro Oneſimo Paulus ſatisfaciet. Ergò recipiet illum Philemon.

Si autem aliqvid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi 18
imputa. Ego Paulus ſcripſi meâ manu, ego reddam, 19
h.e. hâc qvaſi ſyngrapha me tibi obligo damnum illud præſtitum.

Ornat ἐπανορθώσει ἢ ἀποδιώξει, ſubinnuens multò ſibi plus ab ipsô Philemone deberi, qvàm debeat ipſi Oneſimus. *Ut non dicam tibi, qvod & te ipſum mihi debes,* (meâ ſcil. operâ fide Chriſti indutus.)

Deniqve utilitatem ſuam ex hâc re pendere aſſerit, refectio-

nem

nem ſcilicet viſcerum ſuorum, gaudium & alacritatem in Domi-
20 no. *Ita frater, ego te fruar in Domino, refice viſcera mea in Domino.* (Id qvod tàm mihi, qvàm tibi expedit. Mihi, ut refoveatur ſpiritus in hiſce vinculis, tibi, ut teſtimonio ſit in die Domini, qvi juſtum in nomine juſti receperis, Matth. 10, 41.)

Concludit nunc Epiſtolam, ſuam pro more fiduciam oſtendens, non caſuras eſſe in caſſum preces: qvin & alteram ſuperaddit, de vinculorum, qvibus teneatur, evaſione. Sic ſalutatione ſuâ & aliorum finit.

21 *Confidens in obedientiâ tuâ, ſcripſi tibi, ſciens, qvo-*
22 *niam & ſuper id, qvod dico, facies. Simul autem & para mihi hoſpitium. Nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis.* (Phil. 1, 25. Et hoc confidens ſcio, qvòd manebo, & permanebo ſimul omnibus vobis, ad profectum veſtrum & gaudium fidei. Unde Epiphanius hæreſi 27. ſcribit, Paulum qvoqve in Hiſpaniam pervenisſe. Qvod ſi verum eſt, oportuit illum eſſe libertati reſtitutum, poſteáq; iterum Romam reverſum, juſſu Ne-
23 ronis jugulum præbuisſe.) *Salutat te Epaphras* (Coloſſenſium & Hierapolitanorum Apoſtolus, Coloſs. 1, 7. & 4, 12. 13.)
24 *concaptivus meus in Chriſto JEſu, Marcus,* (Col. 4, 10. 2. Tim. 4, 11.) *Ariſtarchus, Demas & Lucas adjutores mei,* (eosdem memorat in Epiſtolâ ad Coloſſenſes, cap. 4, 10. 12. 14.)
25 *Gratia Domini noſtri JEſu Chriſti cum Spiritu veſtrô. Amen.*

Ad Philemonem miſſa fuit è Româ per Oneſimum ſervum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

JOHANNIS CLUVERI, SS. THEOL. D. ejuſdémq; olim Profeſſoris Sorani, & poſteà Superintendentis Dithmarſici,

ANALYSIS ET EPILYSIS EPISTOLÆ S. PAULI APOSTOLI AD HEBRÆOS.

HÆc ἀνεπίγραφος eſt, verè tamen Paulo aſſerta à vetuſtiſſimis. Id qvod præter illorum autoritatem duobus præcipuè argumentis approbatur.

Nam primùm Petrus 2. Epiſt. 3,15. affirmat, Paulum ſcripſiſſe iisdem electis advenis diſperſionis, Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ & Bithyniæ, qvibus ipſe utramq; ſuam miſit. Nulla autem inter Paulinas generatim illis inſcripta legitur, niſi iſta ſit ad Hebræos. Qvare cùm Petrus illam Epiſtolam & reliqvas Pauli, cæteris ſacris Scripturis annumeret, non potuit intercidiſſe, (Scripturæ enim ſacræ, ut DEI conſiliô ſcriptæ, ſic qvoq; conſervatæ ſunt,) nec alia eſſe, qvàm qvæ nunc Hebræorum nomen præfert.

Præterea ſe vinctum ſignificat fuiſſe, pariterq; Timotheum, Hebr. 10,34. & 13,23. & ſubſcriptione ex Italiâ datam Epiſtolam notatur.

Qvibus accedit, qvod planum ipſe autor facit, ſcriptam eſſe ſtantibus adhuc Hieroſolymis, ac vigentibus ibidem ſecundùm legem ſacrificiis, cap. 8,4. & 9,9. At neminem, cui ita familiaris fuerit Timotheus, in Italiâ vinctum novimus, ſtante adhuc politiâ Moſaicâ, niſi Paulum Apoſtolum, qvi paſſim illius ſuis in Epiſtolis meminit tanqvam fratris, cooperarii, & tribulationum Chriſti participis. Proinde cùm certum ſit, ante exciſam Hieroſolymam ab eminenti qvódã Dei virô, propter Evangelium in Italiâ captivô,

& Timotheo familiari, ſcriptam eſſe Epiſtolam, pondere verborum ac ſapientiâ, qvin etiam methodô atqve ordine Paulinis ſimillimam, nihil eſt cauſæ, cur eam Apoſtolo Paulo attribuere dubitemus.

Nec obſtat nominis omiſsio, cùm illud per Timotheum ſatis pateſcat, & Paulo, ad Hebræos præſertim ſuo nomini infenſiores ſcripturo, nihil conſultius occurrere potuerit, qvàm plures Epiſtolæ ſuffragatores, & tanqvam ſubſignatores aſſumere. Sic enim adverſus Judaicas traditiones Galatas firmaturus, omnes fratres in ſcriptionis conſortium vocatos, indicat, Gal.1,2. qvantò magis nunc, qvando omnes pariter Hebræos publicè alloqvi conſtituit. Non ergò ſuam ſolius, ſed omnium, qvi Romæ & in Italiâ erant, Doctorum hanc Epiſtolam cenſeri voluit.

Minus obſtat, qvod ſalutem ab iis, qvi audierant Dominum, in ejus ſeculi Chriſtianos confirmatam aſſerit, cap.2,3. Nam qvandò ait, in nos confirmata eſt, non tàm ſe, qvàm illos, ad qvos ſcribit, indigitat. Qvomodò, inqvit, nos effugiemus tantam negligentes gratiam? Nos, inqvit, non ſe ſolum, nec præcipuè, ſed eos, ad qvos ſcribit, intelligens. Sic Hebr.10,26. voluntariè precantibus nobis, cap.12,25. ſi illi non effugerunt, multò minùs nos. Qvid verò? c.1,2. ſcribit, locutus eſt nobis in Filio. Ergò ipſum Filium audivit.

Minimum obſtat cap.6,4. & 10,26. abjudicata illis ſalus, qvi ſemel illuminati, Spiritum gratiæ afficiunt contumeliâ. Nam iisdem Filius DEI Matth.12,31. Marci 3,30. Luc.12,10. & Johan.1.Epiſt. 5,16. ſalutem abjudicant.

Qvod phraſin aliqvi Paulinæ diverſam ſcriptitant, id contrà eſſe, annotatio ſimilium locorum in Epilyſi ipſâ patefaciet clariſſimè. Cæterùm totus Epiſtolæ ſermo eſt cohortatorius, teſte ipsô Autore cap.13,22. Rogo vos, inqvit, ſufferte verbum cohortationis. Etenim paucis ſcripſi vobis.

Hortatur autem ad duo: Primum, ut attendant iis, & credant, qvæ audiunt de JEſu Chriſto, revelata à DEO per ipſum temporibus noviſſimis, nec gratiam ſibi in illo oblatam negligant. Alterum, ut in ſtadio Chriſtianiſmi ſtrenuè decurrant, deponentes peccatum omne & tumorem, ſtudenteſq; ſe probare acceptos DEO in omni opere bonô, cap.12,1.&c.

Par-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Partes qvatuor ſunt, Exordium, Propoſitio, Enarratio, & Peroratio.

Exordium attentioni accommodatur à rerum dicendarum Autore ductô argumentô.

Propoſitio eſt cap. 2, 1.

Enarratio bimembris eſt, juxta duo Chriſtianiſmi capita, fidem & bona opera. Etenim Evangelii obſervantiam fide operibusq; declarandam confirmat.

Epilogus incipit verſ. 18. capitis extremi, votisq; & benedictionibus maximam partem conſtat.

CAPUT PRIMUM.

CApite primô Apoſtolus ſibi viam ſternit ad orationem attentiùs accipiendam. Idq; unô argumentô qvidem, ſed ponderoſiſſimô perficit, cujus vis eſt iſta: Filius DEI ab omnibus attentisſimè audiendus eſt. Filius DEI eſt Autor eorum & Orator, qvæ poſtremis hisce temporibus annunciamus. Ergô ea attentisſimè audienda ſunt.

Majorem nihil attinebat probare. Illuſtrat tamen eam, & confirmat Apoſtolus ab excellentiâ JEſu Chriſti divinâ, qvâ omnes Angelos anteit. Si igitur Angelum lubentes & pronis auribus audiremus, qvantò magis iſtum?

Minorem aſſerit verſ. 1. 2. & exornat enumeratione & collatione patefactionum anteriorum. Nam priſcis qvidem temporibus per Prophetas locutus eſt DEUS generi mortalium, at poſtremis per ipſum Filium.

Partes ergò *capitis duæ ſunt:* Aſſertio revelationis N. Teſtamenti & deſcriptio revelatoris.

In priori membrô confert inter ſe priſcas revelationes & novas.

Multifariam (πολυμερῶς, per multa membra, membratim qvaſi procedens ad totius corporis conſtitutionem) *multisq; modis* (per allocutionem ab ore ad os, per ſomnia, per viſiones, per raptus, per Urim & Thummim, & ſimiles formas, Num. 12, 6.) *olim DEUS loqvens Patribus in Prophetis,* (Moſe, Sa-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

muele, & reliqvis prioribus, deinde Eſaiâ, Jeremiâ, Ezechiele, &
2 cæteris poſterioribus usqve ad Malachiam.) *Noviſſimè die-*
bus iſtis (noviſſimis hisce diebus, poſt qvos pleniores revelatio-
nes non ſunt expectandæ) *loqvutus eſt nobis in Filiô.*

In poſteriori membrô excellentiam Chriſti JEſu demonſtrat argumentis primùm *ſimplicibus*, deinde *comparatis*.

Simplicia ſunt attributa ejus & effecta. Commemorat enim jus filiorum præ ſervis, qvòd eſt hæreditas; tùm effecta, qvalia ſunt conditio & conſervatio mundi, purgatio peccatorum, ſeſſio in dextrâ DEI; item propria perſonalia tropicè indicata, qvod eſt ſplendor gloriæ, & character perſonæ Patris. Ex qvibus omnibus æterna veraq; JEſu Chriſti divinitas eluceſcit.

Comparata voco, qvòd eum confert cum Angelis, iisq; præponit (1.) ex nomine, v.4. (2.) ex cultu, qvem ei deferunt Angeli, v.6. (3.) ex officio & regimine, v.7. (4.) ex operibus, v.10. (5.) ex gloriâ, v.13. qvibus omnibus eum Angelis præpollere, Pſalmorum inprimis Davidicorum teſtimoniô evincit.

Primùm igitur ait: *Qvem conſtituit hæredem uni-*
verſorum, (Pſal.2,8. Hæreditas autem omnium ſolis filiis com-
petit,) *per qvem fecit & ſecula*, (qvoniam in ipſo condita
ſunt univerſa, qvæ in cœlis & in terrâ, & ipſe eſt ante omnia, Col.
1,16.17. omnia per illum fecit, Eph.3,9. ſine ipſo factum eſt nihil,
3 qvicqvid factum eſt, Joh.1,3.) *Qvi qvum ſit ſplendor gloriæ*,
(ἀπαύγασμα, ſicut Sol parelium ſibi prorſùs ſimilem radiorum
emiſſione format,) *& figura ſubſtantiæ ejus*, (ὑποστάσεως,
perſonæ ejus character, imago. Col.1,15. unius qvidem ejusdemq;
ſubſtantiæ, ſed perſonæ character, Patri ſimilis Filius per omnia,)
portansq; omnia verbô virtutis ſuæ, (omnia enim in ipſo
conſiſtunt, Col.1,17. & qvando præcipit ipſe, fiunt, conſervantur,
vel intercidunt, Pſal. 33, 9. prout in miraculis ad oculum patuit,)
purgationem peccatorum faciens, (ποιησάμενος δι' ἑαυτοῦ,
operatus per ſeipſum, propriâ ſuâ virtute & meritô, non alienô,)

ſedit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſedit ad dexteram (ἐν δεξιᾷ, in dextrâ, i. e. in ſupremâ maximâq; virtute regnavit) *majeſtatis* (divinæ) *in excelſis.* (elevatus ſupra omne nomen, qvod nominari poteſt in hôc & venturô ſeculô, Eph.1,21. qvam gloriam & poteſtatem non eſſet conſecutus, niſi DEI eſſet verus Filius.)

Jam *porrò* excellentiam arguit ex Angelorum comparatione.
Tantò melior Angelis effectus, (etiam qvà hominis Filius 4
eſt,) *qvantò differentius præ illis nomen hæreditavit,*
(proprium atqve hæreditarium obtinuit.) *Cui enim dixit ali-* 5
qvando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodiè genui te, (Pſal.2,7.) *Et rurſus: Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium?* (Pſal.89,27. 2. Samuel.7,14. 1. Paral.17,13. & 22,10. Qvantum ergò filius genitus differt à ſervô, & filiô adoptivô, tantum præſtat Chriſtus omnibus Angelis.)

Alterum argumentum à cultu & honore. Qvem omnes Angeli adorant, is immenſum præſtat adorantibus. Filium omnes Angeli adorant, teſte Pſalmographô Pſal. 97, 8. ergò immenſum præſtat
adorantibus. *Et qvum iterum introducit primogenitum* 6
(omnis creaturæ, Col.1,15. antè introductum, cùm crearet omnia, iterum qvando reparat omnia) *in orbem terræ, dicit: Et adorant eum omnes Angeli Dei,* (אֱלֹהִים appellati, ob fortitudinem & imperium à DEO ipſis attributum. Sic enim eſt in fonte.)

Tertium contentione illuſtratur. Si Angeli miniſtri appellantur, Filius verò DEUS, cujus thronus eſt æternus, ergò tantum illo differt ab Angelis, qvantum à creatura Creator; Verum prius è Pſalmis 104,4. & 45,7. Ergò & poſterius.
Et ad Angelos qvidem dicit: Qvi facit Angelos 7
ſuos ſpiritus, (carnibus & mole carentes,) *& miniſtros ſuos*
flammam ignis, (inſtar ignis coruſcantes & expeditos.) *Ad* 8
Filium autem: Thronus tuus DEUS in ſeculum ſeculi.

 Vir-

9 *Virga æqvitatis virga regni tui,* (ſceptrum regni tui dire-
ctiſſimum,) *dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniqvitatem.*
Propterea (propter hoc, eò qvòd) *unxit te, Deus, Deus tuus*
(Pater te, qvi DEUS & homo es, in humanitate tuâ conſecravit &
replevit) *oleô exultationis præ participibus tuis.* (Reliqvis
hominibus ſecundùm menſuram tribuit ſpiritum, 1. Cor. 12, 7. 11.
Rom. 12, 3. tibi verò ſine menſurâ, Johan. 3, 34. ut ex tuâ plenitudine
omnes accipiant, Joh. 1, 16. Col. 1, 19. & 2, 9.)

Qvartum ex operibus firmiſſimum ita habet: Qvi ab initio cœlum terramq; formavit, & in fine deſtruet, manens ipſe immutabilis, is tanqvam Creator omnes creaturas antecellit: At Chriſto hæc adſcribit Pſaltes Regius, Pſal. 102, 26. qvô Chriſtum invocari, verſus qvoqve antecedentes 14. 15. &c. convincunt.

10 *Et tu* (inqvit) *in principiô, Domine, terram fundâſti, &*
11 *opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu au-*
12 *tem permanebis: & omnes ut veſtimentum vetera-*
ſcent, & velut amictum involves eos (in poſtremô adven-
tu tuô, Apoc. 20, 11, 12.) *& mutabuntur. Tu autem idem ipſe*
es, (infrà cap. 13, 8.) *& anni tui non deficient.*

Deniqve ex gloriâ perpetuâ & æternâ Chriſti divinitatem ejus oſtendit, comparatô iterum Angelorum officiô miniſteriali.

13 *Ad qvem autem Angelorum dixit unqvam, ſede*
à dextris meis, qvoadusqve ponam inimicos tuos ſca-
bellum pedum tuorum? q. d. Nullus Angelorum unqvam re-
gnavit, nec regnare poteſt in ipſâ potentiæ divinæ gloriâ. Hoc enim
eſt ſedere ad dexteram DEI interprete Paulô 1. Cor. 15, 25. ſic autem
Chriſtus regnat, ſecundùm tenorem Pſalmi 110, 1. donec qvicqvid
obſiſtit regno ejus, penitùs evertatur, etiam mors ultima hoſtium.
Angeli verò non regnant cum DEO, participes ſupremæ virtutis &
gloriæ ejus, ſicut Filius σύνθρονος Patri, ſed & ipſi & hominibus
14 miniſtrant, qvotqvot ſunt, univerſi. *Nonne omnes ſunt ad-*
mini-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

miniſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qvi hæreditatem capient ſalutis? Pſal.34,8. & 91,11. Daniel. 7,10. Zach.3,7. Geneſ.32,1. 2.Cor.6,17.

CAPUT SECUNDUM.

CApite ſecundô Propoſitio Epiſtolæ cum Enarrationis prioribus duobus argumentis continetur.

Propoſitio planiſſima eſt: *Propterea* (qvia ſcilicet ipſe 1
Filius nos extremis hiſce temporibus eſt allocutus) *abundantiùs oportet obſervare* (attendere, προσέχειν) *nos ea, qvæ audivimus, ne fortè pereffluamus*, (παραῤῥυῶμεν, præterfluamus, ſicut undæ aliorſum labentes, Proverb. 3,21. υἱὲ μὴ παραῤῥυῇς. Hebr. לוז divertere, deflectere ab inſtitutô, faſtidiô ſeu negligentiâ. Sic Proverb. 4,21. & 14,2. Syrus דְלָאנֶפֶּל ne decidamus, excidamus.)

Hæc Propoſitio generalis eſt. *Qvæ autem attendenda*, ſunt *duplicia*, partim ad fidem, partim ad mores pertinentia.

Qvæ ad fidem pertinent, primô Enarrationis membrô pertractantur, qvemadmodum antè monui. Ideò mox verſ.3. ait, qvomodo nos effugiemus tantam negligentes ſalutem? ſalvamur autem fide, non operibus, Eph.2,8.9. damnamur incredulitate.

Argumenta autem, qvibus perſvadere vult Hebræis, ut gratiæ ſalutis oblatæ fidem adhibeant, & qvotqvot crediderunt, perſeverent, ſunt numerô ac pondere maxima.

Primum ducitur à dignitate & autoritate Evangelizantium, nimirum Chriſti ipſius Domini, Patris ſigna addentis verbo, & Spiritûs Sancti de cœlo miſſi, v.2.3.4.

Secundum à pretiô modóq; ſalutis, qvæ paſſionibus & morte omnium Domini pro nobis incarnati comparata eſt, ideóq; tantò minùs negligenda, verſ.5. usqve ad finem capitis.

Hæc duo argumenta capite ſecundô abſolvuntur, alia decem ſeqventibus, qvæ ſuis locis memorabuntur.

Primum ſic informo: Verbum certum, à Domino prolatum, ſignis confirmatum, & Spiritûs Sancti diviſionibus teſtatum, nemini

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

mini eſt aſpernandum. Verbum de ſalute in JEſu Chriſtô potiun-
dâ ab ipſo Domino prolatum, ſignis DEI Patris ſtabilitum, ac Spiri-
tûs Sancti donis teſtatum eſt. Ergò nemini id aſpernandum.
2 Major probatur collatione minoris. *Si enim qvi per
Angelos dictus eſt ſermo,* (de Ceremoniis & ſtatutis legali-
3 bus, Gal.3,19. Act.7,38.) *factus eſt firmus, & omnis præva-
ricatio & inobedientia accepit juſtam mercedis retri-
butionem ; qvomodo nos refugiemus,* (effugiemus, ἐκφευ-
ξόμεθα.) *ſi tantam neglexerimus ſalutem?*
Minor aſſeritur his verbis: *Qvæ qvum initium acce-
piſſet enarrari per ipſum Dominum* (JEſum, DEI Filium,
unigenitum, Joh.1,18.) *ab eis qvi audierunt* (ab ipſo Domino,
qviq; ab initiô αὐτόπται & miniſtri fuerunt ſermonis, Luc.1,2.)
in nos confirmata eſt, (qvi nunc vivimus, & Apoſtolos à Do-
4 mino emiſſos novimus, Marci 16,20.) *Conteſtante Deo ſignis
& portentis, & variis virtutibus* (per manus Evangelizan-
tium,) *& Spiritûs Sancti diſtributionibus* (variis, 1. Cor.
12,11. ſecundûm voluntatem ſuam.)
Alterum tale eſt: Salus morte omnium Domini parata, promtâ
fide accipienda eſt. Salus, qvam nos annunciamus, morte omnium
Domini parata eſt. Ergò promtâ omnium fide accipienda.
Propoſitio claret. Aſſumptioni probandæ incumbit Apoſto-
lus. Et probat primò eſſe omnium Dominum eum, cujus paſſione
redempti ſumus. Deinde paſſionibus eum morteq; ſuâ mercatum
eſſe ſalutem noſtram, v.10. &c. Omnium Dominum eſſe auto-
rem ſalutis noſtræ demonſtrat teſtimonio Pſalmi 8. qvem & addu-
cit, & explicat de Salvatore noſtro JEſu Chriſto, qvippe cujus tùm
exinanitionem, tùm exaltationem idem Pſalmographus eviden-
tiſſimè teſtificatus eſt.
5 *Non enim Angelis* (inqvit) *ſubjecit orbem terræ fu-
turum, de qvo loqvimur,* (cœlum terramq; novam, de qvibus
etiam

etiam ipſe Pſalmus verſ.4.) *Teſtatus eſt autem in qvôdam* 6
locô qvis (David) *dicens: Qvid eſt homo, qvod memor*
es ejus, aut filius hominis, qvoniam viſitas eum? (qvi
adeò vilis & contemptus eſt, ut vermis videatur ſimilior qvàm ho-
minis, Pſal.22,7.) *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis,* 7
(imminuiſti eum pauxillum præ Angelis. Hic eſt ſenſus verborum
planisſimus: ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ᾽ ἀγγέλους, qvæ Apo-
ſtolus retinuit ex verſione LXX. Chriſtus enim pauliſper infra
omnes Angelos humiliatus & abjectus eſt, & tenebrarum pote-
ſtati expoſitus. Deſertus qvippe à DEO, ſicut eſt in fonte Hebræô,
& ſic ab Angelis qvoqve, ac injuriis malorum ſpirituum obnoxius,
ſicut in deſertô, Matth.4,11. in hortô, Luc.22,43.44.53. & in cruce,
Marci 15,34. palàm eſt,) *Gloriâ & honore coronaſti eum,*
(divinâ eminentiâ. Nam הוד וְהָדָר ſemper de divinâ magnificen-
tiâ uſurpantur,) *& conſtituiſti eum ſuper opera manuum*
tuarum, (cœlum, terram, & omnia, qvæ in eis ſunt.) *Omnia* 8
ſubjeciſti pedibus ejus, (etiam peccatum & mortem, qvæ non
creaſti,) *in eo enim, qvod omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit*
non ſubjectum ei. (Qvi dicit omnia, nihil excludit.) *Nunc au-*
tem necdum videmus omnia ſubjecta ei. (Ergò futurum
orbem ſubjecit ei, qvum deletâ morte, ſubjugato hoſte Satanâ, de-
ſtructis omnibus imperiis adverſantibus, perſpicuam ſtatuet
omnium oculis hujus prophetiæ veritatem, 1. Corinth. 15,27.28.)
Eum autem, qvi modico qvàm Angeli minoratus eſt, 9
(modicum præ Angelis deminutum,) *videmus JESUM,*
(abſolutum ejus ab omni adverſitate regnum nondum cernimus,
humiliatum eum cernimus) *propter pasſionem mortis,*
(omnibus notam & conſpicuam,) *gloriâ & honore corona-*
tum (divinô,) *ut gratia Dei pro omnibus* (ὑπὲρ παντὸς,
pro qvolibet, pro ſingulis) *guſtaret mortem.* (Niſi enim glo-

riâ honoreq; divinô coronatus fuiſſet, pro omnibus mortem guſtare non potuiſſet. Gloria enim honorq; divinus pondus addit morti ejus, ut pro omnibus valeat ad redemptionem.)

Hactenus probavit Redemptorem noſtrum omnium eſſe Dominum, qvantumvis id oculis mortalium nondum pernotuerit. Nunc pergit oſtendere, qvod morte is ſuâ ſalutem nobis compararit. Id decuiſſe ita fieri affirmat, tùm Dei, tùm noſtri reſpectu.

10 *Decebat enim eum, propter qvem omnia, & per qvem omnia,* (Deum omnia per ſe & ad ſuam gloriam operantem decuit,) *qvi multos filios in gloriam adduxerat,* (multos filios in gloriam adducentem) *autorem ſalutis eorum per paſſiones conſummare.* (Ad demonſtrationem ſcilicet juſtitiæ ſuæ, Rom. 3,25. decuit Deum omnia ad gloriam ſuam operantem, pœnam exigere ab Autore ſalutis aliorum, eò qvòd impuri erant gloriâq; indigni, qvos ſalutis capaces efficiebat,)

11 *qvi enim ſanctificat* (Chriſtus,) *& qvi ſanctificantur,* (ab immundiciâ purgantur,) *ex unô omnes,* (Deo creatore, cujus conſiliô & beneplacitô totum ſanctificationis opus per paſſiones peragitur. Homo enim unus pro omnibus moritur, & ſic in uno omnes mortui reputantur, 2. Cor. 5,14. ſic Deo creatura ſua reconciliatur.))

Reſpectu hominum decuit ita fieri, qvia à fratre eis per omnia ſimili propitiationem perfici oportebat, qvi pati ac mori poſſet, veriq; ſacerdotis munus obire. Nam redemptio per alienum præſtita nihil ad homines pertinuiſſet. *Demonſtrat* ergò *primùm,* redemptorem & redemptos fratres eſſe oportuiſſe. *Deinde* cauſam, ob qvam fratres eſſe oportuerit, adfert triplicem, nimirum ut moriendo mortem deſtrueret, ut morti obnoxios liberaret, ut miſericors ac fidelis Pontifex eſſet. Fratres eſſe ſanctificatorem & ſanctificatos, Pſalmorum ac Prophetarum teſtimoniô docet. *Propter qvam cauſam* (qvia ſcilicet ex uno omnes ſunt,) *non confunditur fratres eos vocare, dicens:*

12 (Pſal. 22,23.) *Nunciabo nomen tuum fratribus meis, in me-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

medio Eccleſiæ laudabo te. Et iterum: Ego ero fidens in 13
eum, (Eſa.8,17. ſicut reliqvi fratres & diſcipuli mei.) *Et iterum:* 14
(Eſa.8,18.) *Ecce ego, & pueri mei, qvos dedit mihi Deus*,
(ut ſint cohæredes mihi & fratres.) *Qvia ergò pueri commu-*
nicaverunt carni & ſangvini, (participes ſunt carnis & ſan-
gvinis, & ipſe ſimiliter participavit eisdem,) *ad eundem mo-*
dum carnis & ſangvinis conſors factus eſt, (ſeu, qvia
fratres erant homines, caro & ſangvis, ipſe itidem caro factus
eſt, Johan.1,14.) Qvare verò? *Ut per mortem deſtrueret*
eum, qvi mortis habebat imperium, id eſt, diabolum.
(Satanas poteſtatem mortis acceperat in homines per peccatum,
ex ſententiâ DEI, Geneſ.2,17. Qvâcunq; die de arbore comederis,
morte morieris. Satanas illa poteſtate erat privandus. Id factum
per abuſum poteſtatis erga innocentem Dominum, qvem occi-
dendo mortis poteſtatem amiſit ipſiq; obnoxius factus eſt. Chri-
ſtus autem mori non potuiſſet, niſi carnem & ſangvinem ſimiliter
nobis aſſumſiſſet.) Altera cauſa eſt: *Ut liberaret eos, qvi* 15
timore mortis per omnem vitam obnoxii erant ſervi-
tuti. Qvi ſemper cogitur metuere carnificem, ſervituti miſeræ
per omnem vitam eſt obnoxius. Peccator homo ſemper cogitur
metuere carnificem ſatanam, mortis & damnationis vi armatum.
Ergò miſerrimæ ſervituti per omnem vitam eſt obnoxius. Ab hôc
autem mortis metu liberatur, qvando peccati veniam in morte
Chriſti conſeqvitur. Aculeus enim mortis peccatum, 1 Cor. 15,56.
cui abolendo Chriſtus eſt mortuus. Ut autem mori poſſet, carnem
noſtram induit. Ideò pergit: *Nusqvam enim Angelos ap-* 16
prehendit, (ἐπιλαμβάνεται, aſſumit,) *ſed ſemen Abrahæ*
apprehendit. (Nuſpiam ſcriptum legimus de Meſſiâ, qvòd An-
gelos accepturus ſit, i.e. eorum ſubſtantiam induturus, & conſe-
qventer eos redempturus: ſed ubivis Scripturarum ſemen Abrahæ
aſſumit. Abrahæ ſemen, Jacobi, Iſaaci, Judæ, Davidis ſemen qvi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

omnes filii fuerunt Abrahæ, paſſim appellatur. Ergò deſtruendis malis Angelis, ſalvandis hominibus, qvorum ſubſtantiam aſſumſit, mortuus eſt.)
17 *Unde debuit per omnia fratribus ſimilari,* (planè ſimilis atqve ejusdem ſubſtantiæ fieri,) *ut miſericors fieret & fidelis Pontifex* (τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, in iis qvæ) *ad DEUM, ut repropitiaret* (expiaret) *delicta populi.* (Niſi enim homo eſſet, Pontifex eſſe neqviret, infrà cap. 5, 1. Niſi per omnia fratribus ſimilis, de miſericordiâ ejus & fide in propi-
18 tiandis peccatis eſſemus incerti.) *In eo enim, in qvo paſſus eſt, ipſe tentatus, poteſt iis, qvi tentantur, auxiliari.* (Verè enim, qvæ noſtra erant, patiendo poteſtatem adeptus eſt peccata expiandi, qvotiescunqve ad eum confugimus, etiam tentatis ſubveniendi, Eſa. 53, 4. 5.)

Concludamus ergò tanta ſalus, tanto emto pretio promtisſimâ fide accipienda eſt.

CAPUT TERTIUM.

POſtqvam ex præſtantiâ Autoris Evangelii, & preció redemptionis oſtendit, non eſſe negligendam novi fœderis gratiam, pergit id ipſum evincere per comparationem Moſis, qvem Judæi maximi faciebant, & Chriſti. Et *qvartum* deinde adjungit *argumentum*, petitum ab utili & inutili. Secundùm hæc duo argumenta *duo capitis* hujus *membra* ſunt. Initiò tamen præfatiunculâ qvâdam invitat ad horum ac ſeqventium argumentorum conſiderationem, qvæ à naturâ atqve attributis Meſſiæ, qvem Legatum DEI, i. e. Prophetam ſeu Apoſtolum maximum, & Sacerdotem ſummum à DEO conſtitutum eſſe demonſtrat, deducuntur.

1 *Unde*, inqvit, *fratres ſancti, vocationis cœleſtis participes,* (Phil. 3, 14.) *conſiderate Apoſtolum & Pontificem confesſionis noſtræ JEſum,* (cujus legatione & Pontificatu confesſio tota Chriſtianiſmi nititur.)

Argumentum ipſum tale foret: Si Moſis ſervi, ergò multò magis Chriſti Domini communio retinenda. Verum prius ex ſententiâ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

rentiâ Hebræorum. Ergò & poſterius. Connexio propoſitionis
comprobatur ex Moſis & Chriſti comparatione. Chriſtus enim
non tantùm fidelitate Moſi par eſt, ſed etiam ratione creationis &
dominii ſuperior.

Qvi fidelis eſt ei, qvi fecit illum (Legatum & Pontifi- 2
cem:) *ſicut & Moyſes in omni domô ejus*, (non ſuam do-
ctrinam, ſed mittentis, non ſuam voluntatem, ſed illius faciens,
Joh. 8,49. & 4,34. & 5,30. & 6,38. & 7,16. & 14,24. adeóq; fidelis te-
ſtis, Apoc. 1,5.) *Amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe di-* 3
*gnus eſt habitus, qvantò ampliorem honorem domus,
qvi fabricavit illam.* (Fabricatoris domus propria eſt, ſervi
non eſt propria.) *Omnis namq; domus fabricatur ab a-* 4
liqvô, (ac proinde ad fabricatorē honor ſpectat, non ad ſervum,)
qvi autem omnia creavit, (fabricatus eſt,) *DEUS eſt.*
(Honorem itaqve divinum habet Chriſtus domûs ſpiritualis, qvæ
eſt Eccleſia, fabricator.) *Et Moyſes qvidem fidelis erat in* 5
totâ domô ejus, (Num. 12,7.) *tanqvam famulus, in teſti-
monium eorum, qvæ dicenda erant*, (per Prophetam ei ſi-
milem, Deut. 18,18.19.) *Chriſtus verò tanqvam filius in do-* 6
mô ſuâ (propriâ,) *cujus domus ſumus nos*, (ab illô fabrefa-
cti & conditi in principio, & reparati hoc tempore, Joh. 13.4.5. &c.)
*ſi fiduciam & gloriam ſpei usq; ad finem firmam re-
tineamus.* (Nam ſi deficiamus, egredimur è domo, imò ejicimur
tanqvam mortui, Apocal. 11,2. Matth. 22,13. & 25,30. 1. Johan. 2,19.
Apoc. 3,12.)

Qvartum argumentum dixi petitum eſſe ab utili & inutili in
hanc ſententiam: Qvâ re ingredimur in reqviem Domini, ea con-
ſtanter retinenda: qvâ excludimur, ea vitanda eſt. Fide Chriſti in-
gredimur in reqviem Domini: duritiâ cordis & incredulitate ex-
cludimur eâ. Ergò fides conſtanter induenda, incredulitati renun-
ciandum eſt.

Minor aſſeritur adductô primùm teſtimoniô Davidis è Pſalmô 95,8.9.10.11. deinde eôdem explicatô. Explicatione teſtimonii indicatur, qvid per vocem, hodiè, intelligat Pſalmographus, & qvòd infidelitas obſtet ingreſſui in reqviem Domini, verſ.18. fideiq; conſtantia eum promoveat, v.24.

7 *Qvapropter ſicut dicit Spiritus Sanctus* (per os Da-
8 vidis 2.Sam.23,1.2.) *Hodiè ſi vocem ejus audieritis, nolite
obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione, ſecundùm diem tentationis in deſerto,* (Exodi 17,2. Num.14,22.)
9 *ubi tentaverunt me patres veſtri: probaverunt & vi-*
10 *derunt opera mea. Propter qvod infenſus fui generationi huic, & dixi: Semper errant corde, ipſi autem*
11 *non cognoverunt vias meas. Qvibus juravi in irâ
meâ, ſi introibunt in reqviem meam.* Hactenus teſtimonium Spiritûs Sancti de Chriſti factoris noſtri voce non aſpernandâ. Ipſe enim, ut præmittitur ibidem, fecit nos, qvemadmodum & montes, maria & reliqva univerſa. Fecit nos oves ſuas, populum
12 paſcuæ ſuæ. Nunc explicat oraculum Hebræis: *Videte fratres,
ne fortè ſit in aliqvô veſtrûm cor malum incredulitatis, diſcedendi à DEO vivo,* (qvi nos omnes fecit,) *ſed ad-*
13 *hortamini vosmetipſos per ſingulos dies, donec hodiè
cognominatur.* (Qvotidiè enim DEUS nos invitat ad fidem. Ergò ſemper durat hodiè, donec vox illa nos alloqvitur. At qvando duritiâ & obſtinatione DEUM exacerbamus, abjurat tandem reqviem noſtram, nec ampliùs medetur malis noſtris.) *Itaq; videndum, ne qvis ex vobis obduretur fallaciâ peccati.* (Sic ei inſveſcendo, ut nihil tandem penſi habeat, perfrictâ fronte
14 & conſcientiâ.) *Participes enim effecti ſumus Chriſti,* (tanqvam vivi lapides ei ſuperſtructi, & tanqvam membra coagmentati, 1. Pet. 2,5.) *ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus*

(uſq;

(ὑποστάσεως, qvâ in Chriſto ſtamus fide,) *usqve ad finem fir-*
mum retineamus, (non effluentes, non excidentes, non ſub-
ducentes nos, Hebr.10,38. ſuprà cap.2,1.) Dum dicitur: *Hodiè* 15
ſi vocem ejus audieritis, (Chriſti factoris veſtri,) *nolite ob-*
durare corda veſtra, qvemadmodum in illâ exacer-
batione. (Si enim nulli forent tales, qvi exacerbationem iſtam
imitarentur, non diceret Hodiè, nec his verbis qvotidiè nos com-
pellaret.) *Qvidam enim audientes exacerbaverunt, ſed* 16
non univerſi, qvi profecti ſunt ex Ægypto per Moſen.
(Multò tamen plures exacerbaverunt Chriſtum, qvàm ingresſi
ſunt terram, 1.Cor.10,5. in pluribus eorum beneplacitum non fuit
DEO. Nam proſtrati ſunt in deſertô.) *Qvibus autem infenſus* 17
eſt qvadraginta annis? (προσώχθισε, offenſus eſt tanqvam
ſcopulis. Eſt enim ὄχθη, ὄχθος, ripa, collis, rupes. In fonte eſt קוט
tanqvam diſcindi dolore & faſtidiô. Syrus: באילין מאנת לה
in qvibus faſtidium fuit ei?) *Nonne illis qvi peccaverunt*,
(impatientiâ, murmurationibus, aliisq; incredulitatis fructibus,
1.Cor.10.) *qvorum cadavera proſtrata ſunt in deſertô*,
(Num.14,29.32.33. פגר Hebræum LXX. verterunt κῶλα, qvam vo-
cem Apoſtolus retinet.) *Qvibus autem juravit non intro-* 18
ire in reqviem ipſius, niſi illis, qvi increduli fuerunt?
Et videmus, qvia non potuerunt introire per incre- 19
dulitatem. (Ergò cavendum, ne ſimiliter iis excludamur fruitio-
ne reqviei Dominicæ.)

CAPUT QVARTUM.

QVartô capite pertexit argumentum hoc è Pſalmo XCV. de-
promtum, oſtendens verba Pſalmi ad ipſum hoc tempus
Novi Teſtamenti pertinere, qvô æterna in cœlis reqvies
promisſa expectatur. Deinde ſubjungit *qvintum argumen-*
tum

tum ab attributis Pontificis noſtri deſumptum, verſ. 14. qvod poſteà cap. 5. proſeqvitur.

In priori membrô adhuc probat, fide ingrediendum eſſe in reqviem Domini, qvod ut faciat, adſtruit promisſam eſſe nobis aliqvam reqviem, ac repetit, non patere ingresſum in eam, niſi per fidem,

1 Propoſitio plana eſt: *Timeamus ergò, ne fortè relictâ pollicitatione introeundi in reqviem ejus, exiſtimetur aliqvis ex vobis deeſſe,* i. e. Cùm reliqva ſit promisſio de ingresſu in reqviem Chriſti, cavendum, ut ne qvis deſit gratiæ. Confirmat eſſe reliqvam promisſionem, ſed fide percipiendam.

2 *Etenim nobis nunciatum eſt,* (ἔσμεν εὐηγγελισμένοι, annunciatum eſt nobis Evangelium de reqvie,) *qvemadmodum & illis,* (id poſteà probat latiùs,) *ſed non profuit illis ſermo auditûs,* (ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς, ſermo auditionis,) *non admiſtus fidei ex iis, qvæ audierunt,* (τοῖς ἀκούσασιν, iis, qvi audiverunt. Nudus ſermo auribus tantùm acceptus fidei audientium non commixtus, & ſic fide captus & contentus in præcordibus, nihil juvat audientes ſolummodò,) *ingrediemur enim in reqviem, qvi credidimus, qvemadmodum dixit, ſicut juravi in irâ meâ, ſi introibunt in reqviem meam,* puta infideles & refractarii. Si enim infideles non introeunt: Ergò fideles introeunt in reqviem.

3

Jam progreditur ad probandum latiùs, eſſe reliqvam etiamnum promisſionem reqvietis. Idq; diſtinctione qvietum conficit, qvarum tres ſpecies profert. *Unam,* qvâ DEUS reqvievit ab operibus, qvæ fecerat. *Alteram,* qvâ Iſraëlitæ reqvieverunt à peregrinationibus deſerti, & certaminibus cum incolis Paleſtinæ. *Tertiam,* de qvâ agit Pſalmus, qvæq; adhuc expectanda, verbum Dei qvotidiè audientibus.

Primam non intelligi hôc Pſalmô, niſi per aliqvam convenientiam, ex eô arguit, qvòd iſta dicuntur per Davidem, *& qvidem ope-*

operibus in inſtitutione (à fundatione) *mundi factis.*
Non ergò intelligit reqviem pridem ſumtam, ſed aliam hominibus
illis, qvos alloqvitur, donandam. *Dixit enim qvôdam locô* 4
Spiritus Sanctus de die ſeptimâ ſic: Et reqvievit DEUS
die ſeptimâ ab omnibus operibus ſuis. (Gen.2,23. Deut.5,14.)
Et in iſto rurſum, (Pſalmô ſcilicet,) *ſi introibunt in re-* 5
qviem meam. Qvoniam ergò ſupereſt, introire qvos- 6
dam in illam, & ii, qvibus prioribus annunciatum
(evangelizatum) *eſt, non introierunt propter incredulita-*
tem, iterum terminat diem qvendam, Hodiè in David 7
(per Davidem) *dicendo, poſt tantum temporis interval-*
lum, ſicut ſuprà dictum eſt: Hodiè (ἀναφορὰ, propter em-
phaſin vocis hodiè) *ſi vocem ejus audieritis, nolite obdu-*
rare corda veſtra. (Ergò nec alteram qvietem Iſraëlitarum in-
telligi, planum eſt ex temporis intervallô.) *Nam ſi eis Jeſus* 8
(filius Nun) *reqviem præſtitisſet, nunqvam de aliâ lo-*
qveretur poſthac die. (Qvare enim diceret hodiè, niſi alia re-
qvies ſuperesſet, ad qvam fide intraretur.) *Itaqve relinqvitur* 9
ſabbatiſmus populo Dei, (de qvo etiam Eſa.66,23. 2.Sam.7,11.
Pſal. 116,7.)

Accommodat ad reqviem Dei poſt opera creationis. *Qvi* 10
enim ingresſus eſt in reqviem ejus, etiam ipſe reqvie-
vit ab operibus ſuis, ſicut à ſuis DEUS. (Qvemadmodum
DEUS non fecit ampliùs mundum, ſed reqvievit ab operibus
illi factis: ſic qvoqve homo reqvie Dei potitus non facit ea am-
pliùs, qvæ fecit in hoc mundo, ſed ab omnibus hujus vitæ labori-
bus reqvieſcit, Apoc.14,13. Matth.11,19.) Finit tùm hoc argumen-
tum, tùm proximè antecedentia, qvæ ab excellentiâ Legati, per
qvem fidem hauſimus, deſumſerat. *Feſtinemus ergò,* inqvit, 11

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

(σπȣδάσωμεν, intentiſſimus) *ingredi in illam reqviem, ut ne in id ipſum qvis incidat incredulitatis exemplum.* (ἵνα μὴ ἐν τῷ αὐτῷ τις ὑποδείγματι πέσῃ τῆς ἀπειθείας, ne qvis cadat eôdem exemplô incredulitatis, nimirum ſicut illi cecide-
12. runt.) *Vivus eſt enim ſermo DEI & efficax*, (Syrè סערא דכל & omnium effector, qvia per eum omnia ſunt condita, Joh.1,3.) *& penetrabilior omni gladio ancipiti*, (qvi totam hominis ſubſtantiam penetrare poteſt, Apoc.19,13.15. cùm μονόστομος cæſim, non punctim feriat,) *& pertingens usqve ad diviſionem animæ ac ſpiritûs*, (dividens animæ & ſpiritûs cupiditates. Alia enim homo ſecundùm animam corruptam, alia ſecundum ſpiritum cogitat & concupiſcit, Galat. 5,17. Hanc verò diviſionem Chriſtus in homine efficit,) *compagum qvoqve & medullarum* (diviſionem operans, ut aliud homo compagibus membrorum ſuorum peragat, qvàm intimis ejus medullis dulce gratumq; accidit. Tantopere ſibi obnoxium reddit hominem Chriſtus, intima cordis ejus penetralia ſubeundo,) *& diſcretor cogitationum* (κριτικὸς, dijudicator) *intentionum cordis*, (revelabit conſilia cordium, 1.Cor.4,5. qvâ qvisq;
13. intentione, qvod egit, egerit, aperiet.) *Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus, omnia autem nuda & aperta ſunt* (τετραχηλισμένα, reſupinata) *oculis ejus, ad qvem nobis ſermo*, (ὁ λόγος, ratio exponitur à Syro h.l. דלה יהבין פתגמא cui reddunt rationem, ſcil. omnia. Qvæ poſtrema verba cogunt textum de Verbo ſubſtantiali Patris, non de ſermone Evangelii accipere. Cohærent enim ambo verſiculi, nec niſi violentiori interpretatione divelluntur. Sic ergò planum fit, qvantum Apoſtolo confesſionis noſtræ ſit deferendum, qvi tantam in homine ſibi poteſtatem vendicat.)

Nunc procedit ad Pontificatûs ſeu ſacerdotii Chriſti explanationem, ſitq; *argumentum* cohortationis *qvintum*, ſenſus ejusmodi:

modi: Qvi habent Sacerdotem magnum cœlis ſuperiorem, DEI Filium, eumq́; fidelem, compatientem ſuis infirmitatibus, illis cum fiduciâ accedendum ad thronum gratiæ, miniméq; à fide recedendum eſt. Hebræi omnesq́; Chriſtiani habent ejusmodi Sacerdotem JEſum. Ergò illis cum fiduciâ accedendum eſt.

Proponitur ἐνθυμηματικῶς. Antecedens ἄρσει καὶ θέσει exornatur.

Habentes ergò Pontificem magnum, (vivum illum 14
DEI Sermonem,) *qvi penetravit cœlos*, (non iis includitur, ſed
dominatur,) *JEſum Filium DEI* (de qvo ſuprà cap.1.) *te-*
neamus confesſionem. Seqvitur ἄρσις καὶ θέσις: *Non enim* 15
habemus Pontificem, qvi non posſit compati infirmita-
tibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitu-
dine (noſtri, Phil.2,7. Roman.8,3. Hebr.2,17.) *absqve peccato*,
(à qvo purisſimus ſemper permanſit, infrà cap.7,26. 1. Johan.3,5.
2.Cor.5,21. in qvibus autem tentatus eſt ipſe, poteſt utiqve compa-
ti iis, qvi tentantur.) Conſeqvens: *Adeamus ergò cum fi-* 16
duciâ ad thronum gratiæ, (ἱλαστήριον, Rom.3,25. cui inſidet
DEUS, precum ſuſceptor, ac deſideriorum expletor,) *ut miſeri-*
cordiam conſeqvamur, & gratiam inveniamus, in au-
xiliô opportunô, (εἰς εὔκαιρον βοήθειαν, in auxilium oportu-
num, juſtô tempore ſublevans mala noſtra.)

CAPUT QVINTUM.

HOc capite probat antecedens Enthymematis præcedentis, habere nimirum Hebræos Sacerdotem magnum Filium DEI valentem auxiliari & volentem. Et probat allatis proprietatibus Pontificum, iisq́; ad Chriſtum JEſum accommodatis.

Poſteà incipit *novum* tractare *argumentum*, ductum à periculo defectorum, tanti Sacerdotis gratiam deſerentium.

Qvoad *primum membrum* commemorat officium ſummi Sacerdotis, & vocationem. At in ἀποδόσει & accommodatione, per

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ὕϛερον πρότερον præponit poſterius, in qvo Chriſtus Pontifici Le-
vitico eſt ſimillimus. In officii enim partibus ſimilis partim, par-
tim diſſimilis eſt.

1 Primùm inqvit: *Omnis namq; Pontifex ex homini-
*bus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, qvæ
ſunt ad DEUM. (Sic qvoqve Chriſtus ex hominibus aſſum-
tus, pro hominibus miniſtravit Deo, ſicut ait verſ.7. in diebus car-
nis ſuæ preces & ſupplicationes obtulit.) Secundò, *ut offerat
dona & ſacrificia pro peccatis,* (ſic Chriſtus ſemetipſum
2 cum precibus & ſupplicationibus obtulit, verſ.7.) Tertiò, *qvi
condolere poſſit* (μετριοπαθεῖν, commenſurando ſemet pati,
Syrus: דנמך נפשׁה ונחשׁ deprimere, humiliare ſeipſum, &
conjectare cum ignorantibus) *iis qvi ignorant & errant,
qvoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate.* (Sic qvo-
qve Chriſtus qvanqvam eſſet Filius, tamen ex iis, qvæ paſſus eſt in
carne, didicit obedientiam, ut poſſit compati aliis tentatis.)
3 Addit: *Et propterea* (διὰ ταύτην, ſcilicet ἀσθένειαν, propter
hanc infirmitatem) *debet, qvemadmodum pro populo, ita
etiam pro ſemetipſo, offerre pro peccatis.* (Id planum ex
Leviticô, cap. 4,3. & 8,14. & 9,8. & 16,6. item Exodi 29,14. Non au-
tem ita Chriſtus, Hebr.7,27. Lex enim homines conſtituit Sacer-
dotes, habentes infirmitatem; ſermo autem iſte jurisjurandi, qvi
4 poſt legem, Filium in æternum perfectum.) Qvartò: *Nec qvis-
qvam ſumit ſibi honorem, ſed qvi vocatur à DEO,
tanqvam Aaron,* (ſicut etiam Aaron, Num.17.)

5 Seqvitur applicatio ad Chriſtum: *Sic & Chriſtus non
ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret,* (Johan. 8,53.)
*ſed qvi locutus eſt ad eum, Filius meus es tu, ego hodiè
genui te.* (Pſal. 2,7. ſuprà cap. 1,5. Chriſtus enim homo ſummum
ſacerdotium eſt adeptus ex gratiâ unionis cum perſona Filii Dei.

Ita-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Itaqvè ejus autoritate habet ſacerdotium, qvi dixit ei, Filius meus
es tu. Niſi hoc ei dici potuiſſet à Patre, ſummus Sacerdos non eſſet.)
Qvemadmodum & in alio loco dicit, (Pſal. 110, 4.) *Tu es* 6
Sacerdos in æternũ, ſecundùm ordinem Melchizedech.
Hactenus ultimum προϑέσεως *membrum* de vocatione ſummi
Sacerdotis: *Seqvuntur jam priora*, qvarum accommodatio ex an-
tedictis patet.
Verba Apoſtoli ſunt: *Qvi in diebus carnis ſuæ* (qvan- 7
do infirmitatem carnis è nobis aſſumtæ portabat, nondum in ſpi-
ritu glorificatus, Joh. 7, 39. & 16, 14. & 17, 1. Phil. 2, 5. 6. 7.) *preces &*
ſupplicationes ad eum, qvi poſſet illum ſalvum facere
à morte, (dolores mortis & inferni ſolvere, Luc. 23, 42. 43. Act.
2, 24.) *cum clamore validô* (præſertim in cruce, Matth. 27, 46.
inclamans voce magnâ, Eli Eli lama ſabachthani,) *& lachrymis*
offerens, & (etiam) *exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ*,
(ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, pro reverentiâ, è pietate, ut infrà cap. 12, 28.
Nam ἀπὸ χαρᾶς, eſt præ gaudio, Matth. 13, 44. ἀπὸ τοῦ φόβου, ob ti-
morem, præ timore, Matth. 14, 26. ἀπὸ λύπης, ex dolore propter
mœſtitiam, Luc. 22, 45. ἀπιστούντων ἀπὸ τῆς χαρᾶς, diffidentibus præ
gaudiô, Luc. 24, 41. Ita hoc loco exauditus eſt ob reverentiam & ti-
morem Dei, qvem tanta obedientia venerabatur in extremis mor-
tis atqve inferni cruciatibus. Preces & ἱκετηρίας Domini in ſpiritu
prævifas, deſcripſit David Pſal. 16. 20. 22. 31. 35. 40. 41. 55. 109. 69. &c.)
Et qvidem cùm Filius eſſet, didicit ex iis, qvæ paſſus 8
eſt, obedientiam. (Syrus verba illa, ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, compin-
git in hunc verſiculum, hunc ſenſum reddens: Et qvamvis Filius
eſſet, ex metu & paſſionibus, qvas ſuſtinuit, didicit ipſam obedien-
tiam; Sed plana eſt ſententia, qvam è fonte hauſimus, ut rivulo
hîc parum opus ſit. Occupat autem Apoſtolus objectionem taci-
tam hôc verſiculô, per qvam non videtur Chriſto competere infir-
mitatum ſimilitudo & compaſſio, eò qvòd Filius Dei fuit, etiam
cùm pateretur; Sed reſpondet Apoſtolus, ſe qvidem concedere,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

qvòd Filius DEI fuerit; Veruntamen ex iis, qvæ paſſus eſt ſecundùm carnem, in diebus illis carnis ſuæ, qvâ homo verus fuit nobis ὁμοιοπαθὴς, didiciſſe obedientiam: didiciſſe nimirum, qvomodo ſe homo DEO cum reverentiâ & patientiâ animi ſubjiceret, in qvem tantam iræ ſuæ molem haberet exonerare. Ac proinde novit, qvid animi ſit homini extremis anguſtiis conflictanti, poteſtq; fratribus ſuis eadem patientibus condolere.)
9 *Et conſummatus*, (per paſſiones in gloriam ingreſſus,) *factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi* (per fidem) *cauſa ſalutis æternæ*,
10 (qvam nullus reliqvorum Sacerdotum largiri poteſt.) *Appellatus à DEO Pontifex juxta ordinem Melchizedek*, (in ſempiternum, Pſal. 110, 4.)

Alterô hujus capitis membrô orditur *ſextum* enarrationis *argumentum*, à conſeqventi eorum pernicie tractum, qvi ſummi Pontificis JEſu Chriſti gratiam ſemel perceptam aſpernantur, in hanc ſententiam: Impoſſibile eſt ſemel illuminatos, ſi rurſus ſibi crucifigant Filium DEI & oſtentui habeant, renovari ad pœnitentiam: ſed certa iis imminet pernicies. Vos eſtis ſemel illuminati. Ergò pernicies vobis certa imminet, ſi iterum Chriſtum JEſum crucifigatis tanqvam blaſphemum & ſeductorem, ſicut anteà eum crucifixiſtis in ignorantiâ & incredulitate. Nam ignaris, qvid facerent, remitti illud peccatum potuit: at ſcientibus, ſe DEI Prophetam aut Meſſiam crucifigere, non poterit, ut Spiritum Sanctum blaſphemantibus.

Tractatio eſt artificioſa, *conſtans* primùm *Exordiô*, tùm *reprehenſione* tarditatis Hebræorum, cùm dicendum fuiſſet, vos eſtis illuminati, participes Spiritûs Sancti, &c. *Poſteà* recenſione judicii divini in voluntarios apoſtatas & Spiritûs Sancti blaſphematores. *Qvartò* aſſertione ſpei ac fiduciæ, de Hebræorum illuminatione & conſtantiâ in fide. *Deniqve* concluſione, qvæ cum generali Epiſtolæ Propoſitione, cap. 2, 1. & ſimilibus hortamentis, ſuprà cap. 3, 6. & 4, 11. & 16. propoſitis concordat. Atqve hoc eſt ſvetum & ſolens Paulo artificium, ut qvando perterruit & increpavit, emolliat rurſus ſermonem, ne animos auditorum ad iram, ἀθυμίαν ſeu deſperationem adigat, ſed in timore ac caſtigatione Domini, ſicut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

pater filios ſuos erudiat: ſic de Judæorum reprobatione & receptione diſſerit, Rom.9,10.11. ſic Corinthios tractat,1.Cor.4,14.&c. item cap.11,2.17.&14,36.37.& 15,33,34.57.58.2.Cor.1,23.24.& 29. & 3,2.3.&10,1.2.& 13,7. ſic Galatas cap.4,14.15.&c.

Porrò *Exordium* capit ex occaſione verborum præceden-
tium de ſacerdotio Chriſti ſecundùm ordinem Melchizedeck.
De qvo (inqvit) *nobis grandis* (multus, πολὺς) *ſermo &* 11
ininterpretabilis (δυσερμήνευτος, difficilis explicatu) *ad dicen-*
dum, qvoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum,
(νωθροὶ ταῖς ἀκοαῖς, tardi, hebetes, pigri auribus. Sic νωθροκάρ-
διος, piger, hebes corde, Proverb.12,8. νωθρὸς, degener, obſcurus,
Prov.22,39. ſic Siracides cap.4,32. Ne ſis νωθρὸς, (piger,inutilis) &
remiſſus in operibus tuis. cap.11,13. eſt homo νωθρὸς, (marcidus
vertit Interpres vulg.) egens auxiliô.) Pergit reprehendere He-
bræorum hebetudinem. *Etenim cùm deberetis Magiſtri* 12
eſſe propter tempus, (ab infantiâ nimirum docti ſacras lite-
ras, & per omne Sabbatum audientes Legem & Prophetas, Rom.2,
17.18. Actor.15,21.) *rurſum indigetis, ut vos doceamini,*
(ut qvis doceat vos,) *qvæ ſint elementa exordii ſermonum*
DEI, (principia prima eloqviorum DEI, nimirum Legem omni-
bus hominibus, tanqvam peccatoribus maledicere, in ſolô Meſſiâ
benedictionem omnibus populis repoſitam, illum peccata delere,
tanqvam veram hoſtiam, tanqvam unicum & perpetuum Sacer-
dotem, &c.) *& facti eſtis, qvibus lacte opus ſit, & non*
ſolidô cibô, (tanqvam infantes in Chriſto, 1.Corinth.3,1.2.)
Omnis enim, qvi lactis eſt particeps, expers eſt ſermo- 13
nis juſtitiæ. Parvulus enim eſt, (cui lac præbetur, id eſt, qvi
prima elementa verborum DEI docetur, imperitus eſt ſermonis
juſtitiæ. Nam ſi peritus eſſet, non doceretur rudimenta.)
Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, eorum qvi pro 14
conſvetudine (διὰ τὴν ἕξιν, propter habitum) *exercitatos*
ha-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

habent ſenſus ad discretionem boni & mali. (Qvi continuâ exercitatione confirmati ſunt in omnibus fidei articulis, posſuntq; velut adultâ & virili ſcientiâ diſtingvere verum à falſo, bonum à pravo, non ampliùs pueri, qvi circumferri ſe patiantur omni vento doctrinæ, Rom.16,19. 1.Cor.14,20. Epheſ. 4,14. Coloſs. 3,16. Hebr.13,9. 1.Petr.2,2.)

CAPUT SEXTUM.

HOc capite pertexit *ſextum argumentum*, qvod oportunè gravi illi & ſublimi de ſacerdotio JEſu Chriſti diſſertationi interponit, ut perterreat Hebræos ab ejusmodi discurſibus alieniores & patriarum traditionum tenaces. Additq; *ſeptimum* ab immotâ promiſſionum Evangelicarum veritate ductum, exemplôq; Abrahæ (more Paulinô Rom.3.4. Gal.3.4.) conſtabilitum. Tandem ad ſacerdotii Chriſti explanationem antè cæptam plenô paſſu procedit, verſ.19.20.

In primô capitis hujus membrô ita mitigat Hebræorum allatam reprehenſionem, ut ad ſyllogiſmi dati Majorem, ut vocant, viam ſibi ſternat: ſignificans Hebræos tantô jam tempore imbutos doctrinâ Evangelii, ut Magiſtri meritò audire debeant. Si qvi verò reſiliant à perceptâ hauſtâq; ſemel doctrinâ, ac rurſus ſpontaneâ malitiâ blaſphement agnitam veritatem, nolle ſe in iis convertendis operam oleumq; perdere.

1 *Qvapropter* (inqvit) *intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem* (qvo qvis primùm Chriſtianiſmo initiatur) *ad perfectiora*, (τελειότητα, perfectionem feramur,) *non rurſum jacientes fundamentum* (1.Cor.3,10.11.12.) *pœnitentiæ ab operibus mortuis.* (Doctrina enim pœnitentiæ ex Lege procedit, ſi qvis Chriſtianiſmo imbuendus eſt. Nam niſi intelligat omnia ſua opera eſſe mortua, ſeq; ipſum in peccatis mortuum, & maledictioni obnoxium, non vertitur in melius. Lex autem eſt

2 pædagogus ad Chriſtum, Rom.1,2.3. Gal.3.) *Et fidei ad DEUM* (qvæ ex Evangelio concipitur, Rom.1,16.17.) *Baptiſmorum doctri-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſtrinæ, (tùm legalium, tùm Evangelicarum, ut conſtet aſperſiones legales & Leviticas eſſe umbraticas, Baptiſmum autem Evangelicum Novi Teſtamenti abluere peccata in ſpiritu, per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, Tit. 3,5.) *impoſitionis qvoqve manuum* (in clavium adminiſtratione, 1. Tim. 5,22.) *ac reſurrectionis mortuorum, & judicii æterni*, (qvi articuli inprimis urgendi, Act. 10,42.43. prout ſignificat Petrus, & Symbolum Apoſtolorum, præter ſingularia beneficia trium perſonarum Trinitatis, rudioribus inculcanda, addit remisſionem peccatorum, reſurrectionem carnis, & vitam æternam, cui opponitur judicium æternum, ſeu damnatio æterna. Hæc eſt doctrina fundamentalis, qvæ tanqvam lac inſtillanda eſt regeneratis aut regenerandis in Chriſto infantibus, qvos vocant Catechumenos,) *& hoc facie-* 3
mus, (ad perfectionem ſcilicet feremur,) *ſiqvidem permiſerit DEUS*, (à qvo omne donum bonum.)

Jam ſubnectit ipſam ſyllogiſmi propoſitionem Majorem:
Imposſibile eſt enim eos, qvi ſemel illuminati, guſta- 4
verunt etiam donum cœleſte, (corpus & ſangvinem Domini,) *& participes facti ſunt Spiritûs Sancti*, (teſtimonium reddentis ſpiritui eorum, qvòd vera ſint, qvæ credunt ac ſtatuunt,
Rom. 8,16. 1. Joh. 5,6.) *& guſtaverunt* (nihilominùs delendum) 5
bonum Dei verbum, (experti, qvod ſvavis eſt Dominus, 1. Pet. 2,2.3. & dulcius omni melle & favo verbum ejus, Pſalm. 19, 119.) *virtutesq́ venturi ſeculi*, (efficaciam gaudiorum cœleſtium,
Epheſ. 1,18.) *Et prolapſi ſunt*, (recidentes in priſtinas ſordes & 6
blaſphemias, 2. Pet. 2,18.20.) *rurſus renovari ad pœnitentiam*, (ἀνακαινίζειν, renovare.) *Rurſus crucifigentes ſibimet ipſis Filium Dei, & oſtentui habentes*, (παραδειγματίζοντας, ad inſtar facinoroſorum, de qvibus exempli causâ ſupplicium ſumitur, Matth. 1,19. ſic Judæi Chriſtum ceu anathema, execratio-

nem & περίψημα è medio tollendum curârunt. Et qvicunqve Hebræorum per malitiam recedebant à fide, colludentes incredulis, iterumq; Chriſtum tanqvam anathema crucifigentes ore ſpurcô & maledicô, ob amorem hujus ſeculi, nullô adacti metu & periculo, ii, qvod in Spiritum Sanctum peccabant, reſiſtendo illuminationi ejus introrſum expertæ, omni veniâ excludebantur. Nam qvia impoſſibile erat eos renovari ad pœnitentiam, tanqvam contemptores ſpiritûs in corda eorum agentis, neqvibat etiam fieri, ut remiſſionem conſeqverentur.)

Reddit rationem hujus aſſertionis Apoſtolus, illuſtratq; pro-
7 poſitionem allatam à ſimili. *Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à qvibus colitur, accipit benedictionem à Deo,*
8 (omnibus ei benè precantibus.) *Proferens autem ſpinas ac tribulas, reproba eſt, & maledicto proxima, cujus conſummatio in combuſtionem.* (Nemo ei curam impendit ampliùs, ſed tanqvam maledicta negligitur, donec extremô mundi die comburatur. Sic qvoqve homo culturam DEI ſpernens, cùm omnia ei præſtò ſint, ex qvibus bonos procreare fructus poſſit, ipſe verò blaſphemias meras & iniqvitates progerminet, relinqvitur velut maledictus, & æterno gehennæ incendio deſtinatur, Eſa. 55, 10. 11. & 27, 4. Matth. 7, 17. 18. 19. Luc. 13, 6. 7. 8.)

Mitigat nunc reprehenſionem antè poſitam, & bona præſumit
9 de Hebræis, ratione etiam allatâ præſumtionis ejusmodi. *Confidimus autem de vobis dilectiſſimi, meliora & viciniora*
10 *ra ſaluti; tametſi ita loqvimur.* Ratio: *Non enim injuſtus DEUS, ut obliviſcatur operis veſtri & dilectionis,* (τȣ͂ κόπȣ, laboris, 1. Theſs. 1, 3.) *qvam* (qvem) *oſtendiſtis in nomine ipſius, qvi miniſtrâſtis ſanctis & miniſtratis.* (Nam & vinculis meis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, infrà cap. 10, 34. Qvi autem DEO inſervit, & inſervire porrò cupit, non eſt tam injuſtus, ut eum deſerat.

Non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Non enim pœnitet ipſum donorum & vocationis ſuæ, 2. Cor.15,
2.3. Rom.11,29.)
Concluſio hujus argumenti: *Cupimus autem unum-* 11
qvemq; veſtrûm eandem oſtentare ſollicitudinem ad
expletionem (πρὸς τὴν πληροφορίαν, plenam agitationem)
ſpei usq; in finem, (ut initium hujus fidei ac ſpei inconcusſum
teneatis usqve ad mortem.) *Ut non ſegnes,* (νωθροὶ, vide ſuprà 12
cap.5,11.) *verùm imitatores eorum, qvi fide & patientiâ*
hæreditabunt (κληρονομούντων, hæreditate adeunt) *promis-*
ſiones.

Septimum argumentum ita habet: Qvicqvid DEUS cùm verbo,
tùm juramento promiſit, id firma conſtantiq; fide eſt acceptan-
dum. At ſpem ingrediendi cœlum verbo juramentoq; promiſit
DEUS. E. ea firmâ conſtantiq; fide eſt acceptanda. Illuſtrat Ma-
jorem exemplô Abrahæ. *Abrahæ namq; promittens Deus,* 13
qvoniam neminem habuit, per qvem juraret, majorem,
juravit per ſemetipſum, dicens: Niſi benedicens bene- 14
dicam te, & multiplicans multiplicabo te, (juravi per me-
ipſum, Gen.22,16.17.) *Et ſic longanimiter ferens,* (patienter 15
in fide expectans,) *adeptus eſt repromisſionem.* (Teſtis eſt
hiſtoria Geneſeos à cap.11. usqve ad 25.) *Homines enim per* 16
majorem ſe jurant, & omnis controverſiæ eorum finis
ad confirmationem eſt juramentum, (comprobante id ipſâ
Lege Exodi 22,11. 1.Reg. 8,33.) Firmat Minorem his verbis:
In qvo abundantius volens DEUS oſtendere pollicita- 17
tionis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit
jusjurandum, (non tantùm Abrahamo, ſed & omnibus filiis
ejus, ut Ezech.33,11. Eſa.45,22.23.) *ut per duas res immobiles,* 18
(promisſionem ipſam & additum juramentum,) *qvibus impos-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſibile eſt mentiri DEUM, fortisſimum ſolatium habeamus, qvi confugimus ad tenendam propoſitam
19 *ſpem,* (conſeqvendæ benedictionis æternæ.) *Qvam ſicut an-*
choram habemus animæ tutam ac firmam, (cui innititur navis Chriſtianiſmi in pelago hujus ſeculi,) *& incedentem usq; ad interiora velaminis,* (tanqvam in portum ipſum reqvietis æthereæ.)

Nunc *tandem* percommodè redit ad ſacerdotii explicatio-
20 nem, adjungens: *Ubi præcurſor pro nobis introiit JEſus ſecundùm ordinem Melchizedek, Pontifex factus in æternum.* (Qvomodo introierit, inferiùs explicabitur.)

CAPUT SEPTIMUM.

O*ctavum* Exhortationis *argumentum* hôc capite proponitur, omniumq́; latisſimè per hoc & ſeqventia capita ad verſum usqve viceſimum qvintum capitis decimi ſpargitur. Eſt autem petitum à facilitate & certitudine ingresſûs in regnum cœlorum per ſacerdotium Domini noſtri JEſu Chriſti, atq; hôc ſyllogiſmô rectisſimè induitur. Per eum Sacerdotem verus facilisq; ingresſus eſt ad DEUM, qvi ſecundùm ordinem Melchizedek promisſus, legali ſacerdotio adumbratus, melioris Teſtamenti Mediator conſtitutus, cœleſte tabernaculum ingresſus, unôq; oblatô ſacrificiô pro peccatis æternæ redemptionis autor & largitor eſt. Talis Sacerdos eſt JEſus Chriſtus. Ergò per eum certus facilisq́; eſt ingresſus ad DEUM, in interiora cœleſtis tabernaculi, qvô ipſe tanqvam præcurſor præcesſit. Et per conſeqvens accuratè advertenda mens promisſionibus per eum datis, ne præterfluamus.

Major Minorq́; hujus ſyllogiſmi *membratim probantur* ab Apoſtolô. Sunt enim *membra qvinqve.*

Primum continet comparationem Chriſti & Melchizedeci.

Alterum Chriſti & ſacerdotum legalium, cap. 8.

Tertium Veteris & Novi Teſtamenti, ibidem verſ. 6. &c.

Qvar-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Qvartum tabernaculi manufacti & cœleſtis, cap.9.

Qvintum ſacrificiorum legalium & expiatorii illius, qvod obtulit ſummus Sacerdos JEſus Chriſtus, cap.9,12. &c.

Primum membrum hôc capite pertractatur, cujus hæc ſententia: Per eum Sacerdotem datur ingreſſus in æterna tabernacula, qvi eſt ſecundùm ordinem Melchizedeci. Is Sacerdos eſt JEſus Chriſtus. Ergò plana eſt concluſio.

Apoſtolus *primò aſſumptum* firmat, allatâ comparatione Chriſti & Melchizedeci. *Deinde Majorem*, oſtendens Sacerdotium illud Melchizedecianum longè eſſe Leviticô præſtantius, adeóq; per illud aditum ad cœleſtia patere. *Porrò* collationem Chriſti & Melchizedeci non ornat plenâ παραστάσει καὶ ἀποδόσει, ſed capita ſimilitudinis proponit ſaltem, unôq; verbo ait, aſſimulatus eſt Filio DEI. Item, JEſus intravit interiora velaminis, factus Pontifex in
æternum. *Hic enim* (inqvit) *Melchizedech Rex Salem*, 1
Sacerdos DEI ſummi, (verba ſunt Moſis Geneſ. 14,18.) *qvi*
obviavit Abrahæ, regreſſo à cæde Regum, & benedixit
ei. Cui & decimas omnium diviſit Abraham, primùm 2
qvidem interpretatus Rex juſtitiæ, (id ſonat Hebræis Mel-
chizedech,) *deinde autem & Rex Salem, qvod eſt Rex*
pacis. (Talis Rex Chriſtus eſt, juſtitiam & pacem adferens ſuis,
Jer.23,6. & 33,16. Eſa. 9,6.7.) *Sine patre, ſine matre, ſine ge-* 3
nealogiâ. (nam neqve patrem neqve matrem Melchizedeci, neqve genealogiam ullam refert Moſes,) *neqve initium dierum, neq; finem vitæ habens*; (nec ætatem, nec ortum, nec mortem memorat,) *aſſimulatus autem filio DEI, manet ſacerdos in perpetuum.* (Succeſſor ejus nemo indicatur. Aſſimulatus autem filio DEI, qvi ſine patre eſt, qvà homo, ſine matre, qvà DEUS, neqve initium dierum, neqve finem habens, cujus generationem nemo poteſt enarrare. Eſa. 53, 8. ſacerdos æternus, cui nemo ſuccedit.) Hactenus confirmatio aſſumti.

Jam per Melchizedecianum ſacerdotium dari ingreſſum in

cœlos adſtruit, qvippe qvod multum antecellat Levitico. Id qvod
evincit ex effectis Melchizedeci *primùm, poſteà* ex divino teſtimonio
v. 11. *tertiò* & innumerabilitate & æternitate ſacerdotii iſtius, &
deniq; ex neceſsitate & indigentiâ noſtrâ.

Qvod Effecta attinet, decimavit Melchizedecus Abrahamum
& benedixit ei. Ergo fuit major Abrahamo, & per conſeqvens
omnibus ſacerdotibus ex Abrahamo ortis.

Intuemini, ait, *qvantus ſit hic, cui & decimas dedit*
4 *de præcipuis* (ἐκ τῶν ἀκροθινίων, è ſpoliis. ἀκροθίνια τὰ λάφυρα
λέγει ſcribit Chryſoſtomus in H. locum.) *patriarcha.* (Moſes
dicit, decimas ei dediſſe Abrahamum ex omnibus Gen. 14, 20. ideò
Syrus vertit: dedit ei decimas & primitias.) Hinc argumentatur
Apoſtolus: Qvi ipſum Levin decimavit & benedixit, potior eſt
ſacerdotio qvàm poſteri ejus. Melchizedecus decimavit & benedi-
xit ipſum Levin exiſtentem adhuc in lumbis Abrahami. Ergo præ-
ſtat ſacerdotio. Verba plana ſunt: *Et qvidem de filiis Levi*
5 *ſacerdotium accipientes mandatum habent, decimas*
ſumere à populo, id eſt à fratribus ſuis, qvanqvam &
6 *ipſi exierint de lumbis Abrahæ. Cujus autem generatio*
non annumeratur ex eis, decimas ſumſit ab Abraham,
7 *& hunc qvi habebat promisſiones benedixit. Sine ulla*
autem contradictione, qvod minus eſt, à meliore bene-
dicitur.

Attollit argumentum etiam ex eo, qvod Melchizedecianum
Sacerdotium competit alicui æternùm viventi: *Et hic qvidem*
8 *decimas morientes homines accipiunt, ibi autem conte-*
ſtatus (teſtimonium adeptus, μαρτυρούμενος) *qvia vivit.* (Ergo
præclarius ſacerdotium ſemper viventis, qvàm mortalis.) *Et ut*
9 *ita dictū ſit* (ὡς ἔπος εἰπεῖν, ut verbo dicam,) *per Abraham*
& Levi qvi decimas accipit, decimatus eſt. Adhuc enim
10

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

in lumbis patris erat, qvando ei obviavit Melchize-
dech.

Alterum argumentum pro præſtantiâ ſacerdotii JESU CHRI-
STI, ex divino ducitur Pſalmorum teſtimonio. Si enim ſuffecit
Leviticum ſacerdotium ad parandum cœlorum ingreſſum, nihil
opus fuit alium ſecundum ordinem Melchizedeci excitare ſacer-
dotem. At negatur conſeqvens, ex vi divini teſtimonii. Ergo
Antecedens. *Si ergo conſummatio* (inqvit) *per ſacerdo-* 11
tium Leviticum erat; populus enim ſub ipſo legem ac-
cepit; (Populus ad illud lege adſtrictus eſt;) *qvid adhuc ne-*
ceſſarium fuit alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecun-
dum ordinem Aaron dici? Translato enim ſacerdo- 12
tio, neceſſe eſt ut & legis translatio fiat. (Unde nec per le-
gem illam obtineri perfectionem, palàm eſt.) *In qvo enim hæc* 13
dicuntur de aliâ tribu eſt, de qva nullus alteri præſto
fuit. Manifeſtum eſt enim, qvod ex Juda ortus ſit Do- 14
minus noſter (filius qvippe Virginis de domo David) *in qva*
tribu (εἰς ἣν φυλὴν, in qvam tribum) *nihil de ſacerdotio Moy-*
ſes locutus eſt. (Ac proinde ſecundum legem Moiſis ſacerdos
eſſe non poſſet. Num. 17, 2. Chronic. 26, 18.)

Tertium ſumitur ab immutabili ſacerdotii æternitate, elucen-
te tum ex ipſius ſacerdotis æternitate, tum ex inſtituentis jura-
mento. Qvi enim ſacerdos æternùm vivit, & adjuncto juramento
DEI conſecratus eſt, ejus ſacerdotium præeminet morientibus, &
absqve juramento inſtitutis. *Et amplius*, ait, *manifeſtum* 15
eſt, ſi ſecundum ſimilitudinem Melchizedek exſurgat
alius ſacerdos, qvi non ſecundum legem mandati car-
nalis (fragilitati carnis attemperati) *factus eſt, ſed ſecun-* 16
dum virtutem vitæ inſolubilis, Conteſtatur enim, Qvo- 17
niam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

niam tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem
18 *Melchizedech. Reprobatio qvidem fit præcedentis*
mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem.
(Si enim efficax fuiſſet atqve idoneum ad ſalutem homini donan-
dam ejus ſacerdotium, non ſubſtitutum ei foret aliud æternum.)
19 *Nihil enim ad perfectum adduxit lex, introductio verò*
(ἐπεισαγωγή, ſuperadditio, Rom.5,20. Gal.3,19.) *melioris ſpei,*
per qvam proximamus ad DEUM. (per qvam ingredi-
mur interiora veli non manufacti, ſicut Abrahamus fide intravit
nondum latâ lege, qvæ ſuperacceſſit fidei, demonſtrandæ iniqvi-
20 tatis, non donandæ ſalutis gratia.) *Et qvantum eſt* (Καθ' ὅσον,
in qvantum) *non ſine jurejurando.* (Etiam eo nomine me-
lior ſpes eſt, qvod jurejurãdo firmatur ſicut qvondam Abrahamo,
ut ſupra c.6,13.18.19. diſſeruit, ſic deinceps Davidi, & omnibꝰ ſacer-
21 dotii hujus veneratoribus.) *Alii qvidem ſine jurejurando*
ſacerdotes facti ſunt: Hic autem (ſecundum ordinem
Melchiſedech) *cum jurejurando per eum qvi dixit ad il-*
lum: Juravit Dominus, & non pœnitebit eum.
Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchi-
22 *zedech. In tantum melioris teſtamenti ſponſor eſt*
JESUS. (qvod nimirum immutabili juramento ſancitum eſt,
cùm illud Moſaicum careat tali ſanctione.)
Redit ad æternitatem ſacerdotis aſtruendã comparatis Leviticis
23 morti obnoxiis. *Et alii qvidem plures facti ſunt ſacer-*
dotes, idcirco qvod morte probiberentur permanere:
24 *Hic autem eò qvod maneat in æternum, ſempiternum*
25 *habet ſacerdotium* (ἀπαράβατον, non tranſiens ad alios.)
Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per
ipſum ad DEUM, ſemper vivens ad interpellandum
pro

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

pro eis, (atqve ex æternâ ſacrificii ſui efficaciâ remiſſionem eis peccatorum perpetuam impetrans donansqve.)

Deniq; talis ſacerdotis indigos fuiſſe mortales aſſerit, hoc modo: Qvi infirmi ſunt ipſi, ac pro peccatis propriis ſacrificare coguntur, ii non poſſunt ſalvare alios: ſed qvi ipſe ſanctus, perfectus atqve æternus eſt, is alios non ſanctos, infirmos, mortales ſalvare poteſt. Sacerdotes legales infirmi & peccatores ſunt, CHRISTUS verò olim promiſſus, nunc exhibitus, ſanctus, perfectus & æternus DEI filius eſt. Ergo ipſe ſalvare ſolus poteſt, reliqvi nunqvam.

Verba ſic ſonant: *Talis enim decebat ut nobis eſſet* 26
Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à
peccatoribus, & excelſior cœlis factus, (utpote DEUS,
qvem cœli cœlorum non comprehendunt, 1. Reg. 8, 27.) *Qvi non* 27
habet neceſſitatem qvotidie qvemadmodum ſacerdotes
(Levitici) *priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre*, (Exodi 29.
v. 36. 38. & 30. v. 7.) *deinde pro populi: Hoc enim* (pro populi ſcilicet peccatis ſacrificium) *fecit ſemel ſeipſum offe-*
rendo. Lex enim homines conſtituit ſacerdotes 28
(tantùm homines) *infirmitates habentes:* (Nullus enim hominum, qvi purè homo eſt, peccatis & infirmitatibus caret.) *ſermo autem jurisjurandi* (Evangelicus & ad N. Teſtamentum ſpectans) *qvi poſt legem eſt, Filium* (conſtituit ſacerdotem, non hominem ſolummodò, ſed etiam verè DEUM, Filium DEI unigenitum) *in æternum perfectum.* (Semel oblata hoſtia ita perfectum, ut nihil addi meritis ejus in omnem æternitatem valeat.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

CAPUT OCTAVUM.

HOc capite *ſecundum & tertium membrum* ſyllogiſmi principalis, id eſt, ſecunda tertiaqve ratio exponitur, ob qvam ſacerdotium CHRISTI JESU verè expiatorium, & ſalutis æternæ meritorium cenſendum eſt. Ac jam ſuprà dictum, comparatione legalis & æterni ſacerdotii, item Veteris ac Novi Teſtamenti, hoc qvoqve conficere Apoſtolum. Qvod autem in unum faſciculum compingenda ſint membra probationis hujus non tantùm concluſio una eademqve, qvæ extat verſ. 19. &c. Cap. X. verùm etiam hujus capitis Octavi initium demonſtrat. Nam eo in unam velut ſummam redigit, qvæ de ſacerdotio CHRISTI, qvatuor hiſce capitibus diſſeruntur.

Sunt itaqve *tres hujus capitis partes. Prima* dicendorum propoſitio generalior. *Altera* legalium ſacerdotum & CHRISTI collatio. *Tertia* Veteris, Noviq; Teſtamenti comparatio.

Propoſitio complectitur eximiam ſacerdotis JESU CHRISTI
1 deſcriptionem. *Capitulum* (κεφάλαιον, caput, ſumma,) *autem ſuper ea qvæ dicuntur. Talem habemus Pontificem, qvi conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cœlis*, i.e. qvi regnat in ſolio majeſtatis & gloriæ divinæ in ſupernis, adeóqve Rex & ſacerdos eſt ſempiternus.
2 *Sanctorum miniſter* (Syrè: דְּבֵית קוּדְשָׁא domus ſanctæ ſanctuarii, qvod Græcè appellatur τὰ ἅγια, illius ſanctuarii λειτουργὸς, ſacerdos, miniſter, qvod DEUS ipſe paravit.) *& tabernaculi veri* (non umbratici) *qvod fixit DEUS & non homo.* (Qvemadmodum capite nono decimoqve uberiùs exponitur.)

Seqvitur jam ipſa *collatio ſacerdotii Levitici & Spiritualis*, cujus hæc illatio ſyllogiſtica: Sacerdotes terreni & umbræ ſervientes neminem poſſunt in cœlum introducere: cœleſtis autem poteſt introducere. Sacerdotes Levitici ſunt terreni, & umbræ ſerviunt, CHRISTUS cœleſtis & in cœlo: Ergò non illi, ſed CHRISTUS in cœlum potuit introducere. *Major* ſua luce ſplendet.

As-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Aſſumptum ſtabilit Apoſtolus, oſtendens & CHRISTUM eſſe
ſacerdotem cœleſtem, & Leviticos terreſtres, umbrę & ſimilitudi-
ni deſervire. CHRISTUM ſacerdotem eſſe cœleſtē ex abſurdo contra-
dictoriæ ſententiæ arguit. Si enim terrenus foret, ne qvidem ſacer-
dos foret, cum ſunt ſacerdotes ſecundum legem munera offeren-
tes qvotidiè, neqvaqvam talia, qvale CHRISTUS obtulit. Qvale mu-
nus, talis ſacerdos. Ratio: *Omnis enim Pontifex ad offe-* 3
rendum munera & hoſtias conſtituitur, unde neceſſe eſt
& hunc habere aliqvid qvod offerat. CHRISTI munus &
hoſtia non ſunt terrena. Ergo nec ſacerdos ipſe terrenus. Ratio
minoris, qvia ſacerdotes Legales alia ſecundum legem munera of-
ferunt, qvàm CHRISTUS obtulit, ac proinde CHRISTUS ſacerdos
non foret, ſi terrenus cenſeretur viciſſim. Qvi non miniſtrat in
terrâ, non eſt ſacerdos terrenus, ſed cœleſtis. CHRISTUS non mi-
niſtrat in terrâ. Ergo non eſt ſacerdos terrenus. Aſſumtio claret,
qvia ſi in terrâ ſacerdos eſſet, ne qvidem eſſet ſacerdos, qvia ſunt
alii alia in terris munera offerentes ſecundum legem, qvalia ipſe
nec obtulit unqvam, nec vult offerre. Verba Apoſtoli: *Si enim* 4
eſſet ſuper terram, nec eſſet ſacerdos, qvum eſſent
(ſint, ὄντων) *qvi offerunt ſecundum legem munera.*

Porrò ſacerdotes Leviticos in terrâ umbræ deſervire, ex ipſo
Moſe evincit: Si enim totum tabernaculum cum univerſis inſtru-
mentis ac ritibus ſecundum typum cœleſtium rerum adornatum
eſt, Ergò ſacrificationes ſacerdotum legalium typis & imaginibus
deſerviunt. At illud eſt, teſte oraculo Moſi dato. Ergo & hoc.

Qvi (inqvit) *exemplari & umbræ deſerviunt cœ-* 5
leſtium, ſicut reſponſum eſt Moſi, qvum conſummaret
(conſummaturus eſſet) *tabernaculum: vide, inqvit, omnia*
facito ſecundum exemplar, qvod tibi oſtenſum eſt in
monte. Ergo ad cœleſtium rerum typum omnia tabernaculi fir-
mata ſunt, Exodi 25, 9. 40, ſicut & poſtea templi Salomonici uni-
verſa, 1. Paralipom. 28, 19. *Nunc autem melius ſortitus eſt* 6

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

miniſterium, qvantò & melioris teſtamenti mediator eſt, qvod in melioribus promiſſionibus eſt ſancitum.

Hæc eſt altera ratio, qvâ probatur CHRISTI ſacerdotium præſtare Levitico, & pariter ad ſeqvens membrum generalioris probationis tranſitur. Qvantò enim præſtat Teſtamento veteri novum, tantò miniſterium ſeu ſacerdotium CHRISTI præſtat Levitico. At Novum Teſtamentum longè præſtat Veteri, qvippe melioribus promiſſionibus ſancitum, ut mox patebit. Ergo & ſacerdotium CHRISTI longè præſtat Levitico.

Tertium igitur *probationis membrum* in Teſtamenti utriusqve comparatione poſitum ita habet: Cui Teſtamento aliud ſubſtitui oportuit, per id hæreditas non impetratur. At Veteri Teſtamento aliud ſubſtitui oportuit. Ergo per Vetus Teſtamentum hæreditas non impetratur, & conſeqventer non Veteris ſed Novi Teſtamenti ſacerdotio aditus ad cœleſtia conceditur.

Propoſitio iterum ſatis plana eſt. *Aſſumptio* probatur adverſus Hebræos malè informatos, Hebræi Prophetæ teſtimonio, Jeremiæ
7 ſcilicet cap. 31, 31. &c. *Nam ſi illud prius* (Teſtamentum, per Moſen promulgatum) *culpâ vacaſſet* (reprehenſione caruiſ-
8 ſet) *non utiq; ſecundo locus inqvireretur. Vituperans enim eos* (qvibus conditum erat, non teſtamentum ipſum Rom. 7, 12. 13.) *dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo* (antea promiſſum complebo) *ſuper domum Iſrael*
9 *& ſuper domum Juda teſtamentum novum. Non ſecundum teſtamentum, qvod feci patribus eorum in die, qvâ apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti.* (Cum eductis potentiâ meâ legem promulgarem de monte Sinai.) *Qvoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo.* (Id qvod Moſes ipſe, omnesqve prophetæ anteriores teſtantur.) *& ego neglexi eos, dicit Dominus.* (Ergo reprehenſibile teſtamentum, non ex ſe, ſed ob ineptitudinem hæredum, qvi conformes ſe ei gerere non poterant.)

Qvia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Qvia hoc eſt Teſtamentum,qvod diſponam do- 10
mui Iſrael poſt dies illos,dicit Dominus , dando leges
meas in mentem eorum & in corde eorum ſuperſcribam
(cordibus inſcribam)*eas: & ero eis in DEUM, & ipſi*
erunt mihi in populum. (Antea per literam nihilo meliores
effecti ſunt, niſi qvod peccata perſpexére. Per novum autem Te-
ſtamentum ipſas mentes immutabo,datoq; ſpiritu legem non ta-
bulis lapideis,ſed tabulis cordis carneis infigam. Ego enim in Meſ-
ſia ipſis DEUS,& ipſi mihi populus erunt,vigore Teſtamenti iſtius.)
Et non docebit unusqvisq; proximum ſuum , & unus- 11
qvisq; fratrem ſuum,dicens; Cognoſce Dominum. (lite-
rali & vocali inſtitutione non peragetur negotium , ſed ſpiritu
meo per inſtitutionem iſtam operante. Neqve ideò agnoſcent
Dominum,qvod hic vel iſte frater perſvaſit doctrinâ ſuâ, ſed qvod
ipſum DEUM Doctorem impulſoremqve ſentient. Johan.6,45.
Eſa.54,13.) *Qvoniam omnes ſcient me à minore usq; ad*
majorem eorum.(ipſo magiſtro ſpiritu,tam in minoribus qvàm
majoribus operante. 1.Joh.2,12.20.27.)

Qvia propitius ero iniqvitatibus eorum, & pec- 12
catorum eorum non memorabor.(Non recordabor contra
legem commiſſorum,ſed per novum hoc Teſtamentum condona-
bo qvicqvid eſt delictorum adverſum me.) *Dicendo autem no-*
vum , veteravit prius. (Non enim Novum diceret,niſi anti-
qvaret Vetus.) *Qvod autem vetus antiqvatur & ſene-*
ſcit,propè interitum eſt. (itaqve jam olim ante ſexcentos ferè
annos exolevit vetus Teſtamentum,novo promiſſo, per qvod pec-
cata remitterentur, & ingreſſus daretur in cœleſtia tabernacula.
Meliores igitur iſtius Teſtamenti promisſiones,qvia obtineri poſ-
ſunt, Melius Teſtamenti iſtius ſacerdotium,qvia per illud appro-
pinqvatur ad DEUM peccatis ſponte propitium.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

CAPUT NONUM.

R*Eliqva duo membra* præeminentiam ſacerdotii CHRISTI teſtantia hoc capite exponuntur. *Qvartus* enim locus eſt de tabernaculi veteris manufacti, & novi haud manufacti comparatione. *Qvintus* de ſacrificiorum differentiâ. Non enim tantùm è perſona & dignitate ſacerdotis, verùm etiam è fœdere, loco & ſacrificiis præſtantia ſacerdotii intelligitur. Igitur *qvartò* ſic colligit Apoſtolus: Si ſtante priori tabernaculo nondum patuit via ad ſanctitatem, neqve per ſacerdotium iſtius tabernaculi cuiqvam aditus ad DEUM contigit. Vicisſim: Si CHRISTUS per tabernaculum haud manufactum ſemel ingreſſus ſancta æternam redemptionem invenit, per ipſius ſacerdotium datur aditus in cœlum. At verum prius utrumqve. Ergo & poſterius.

Antecedens primi ſyllogiſmi confirmat è lege Moſis, commemorans naturam, ordinem & ſtatuta prioris tabernaculi, è qvibus relucet ſtante illo viam ad cœleſtia præcluſam fuiſſe.

1 *Habuit qvidem & prius* (Teſtamentum) *juſtificatio-*
nes culturæ, (ſtatuta & rationes cultûs, qvibus aliqvo modo ju-
ſtitia contingebat DEUM ita colentibus,) *& ſanctum ſeculare.*
(Sanctum è mundi hujus elementis & creaturis concinnatũ, pro-
ut latè explicatur Exodi 25. & capp. cæteris. Sic naturam prioris
tabernaculi indicat Apoſtolus. Nunc ſubdit ordinem partium
ejus.) *Tabernaculum enim factum eſt primum, in qvo*
2 *erant candelabra* (ἥτε λυχνία, candelabrum) *& menſa, &*
propoſitio panum, qvæ dicitur ſancta. (Malè vertit inter-
pres. Græcè ἥτις λέγεται Ἅγια, qvod dicitur, tabernaculum puta,
ſancta, ſeu ſanctuarium Exodi 26,33. & 40,3. 4.) *poſt velamen-*
3 *tum autem ſecundum* (Nam ſancta qvoqve velo tegebantur
Exodi 27,16. & 40,28.) *tabernaculum qvod dicitur ſancta*
ſanctorum, aureum habens thuribulum (Levit. 16,12.)
& arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro
(Exo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

(Exodi 25,10.11. & 26,33.) *in qvâ* (arcâ) *urna aurea habens* 4
manna (Exodi 16,33.34.) *& virga Aaron qvæ fronduerat*
(Num. 17, 10. in latere arcæ Teſtamenti hæc fuerunt haud dubiè,
qvia coram Teſtimonio fuerunt poſita, ſicut etiam de libro legis
teſtatur Moſes, Deuteron. 31, 25. 26.) *& tabulæ Teſtamenti* 5
(veteris, ſeu ipſius legis lapideæ, qvæ incluſæ fuerunt ipſi arcæ, nec
qvicqvam præterea, prout narratur 1. Reg. 8, 9. 2. Paralip. 5, 10.)
ſuperq; (eam) *erant Cherubim gloriæ*, (glorioſa) *obumbrantia propitiatorium.* (Exodi 25,17.19. 2. Paralip. 5,7. 8. 9.)
de qvibus non eſt modo dicendum per ſingula (qvid ſcilicet unaqvæqve partium illarum deſignet.)

Cæterùm ſtatuta hujus tabernaculi attexit: *His verò ita* 6
compoſitis, in priori tabernaculo (in prius qvidem tabernaculum) *ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes* (τὰς λατρείας ἐπιτελοῦντες, cultûs munia implentes, nimirum adolendo qvotidiè thura, & adornando lampades. Exodi 30,7.) *In ſecundum autem ſemel in anno ſo-* 7
lus Pontifex (Exod. 30,10. Lev. 16,2. &c. die ſolenni expiationis) *non ſine ſangvine, qvem pro ſua & populi ignorantia,* (pro ſuis & populi delictis, ignorantiis, ἀγνοημάτων,) *offerret.*

Hinc jam infert, qvoniam clauſum manſerit ſanctum ſanctorum, licueritqve ſemel tantùm qvotannis ingredi ſoli Pontifici, nec alicui cuiqvam præter ipſum, nec ſine ſangvine qvidem, nondum patefactum eſſe aditum in ſancta, donec tabernaculum illud
ſtabat. *Hoc* (ait) *ſignificante Spiritu ſancto, nondum* 8
propalatam eſſe ſanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum. (Ac propterea CHRISTO in cruce expirante rumpebatur illud velum, qvo ſanctum ſanctorum occludebatur, ut conſtaret publicè omnibus, ſummum ſacerdotem in antitypa illis ſancta jam ingreſſum, viamqve ad habitacula

DEI

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

DEI omnibus recluſam. Matth. 27, 51. Marci 15, 38. Lucæ 23, 45.) Arguit id ipſum è ſtatutorum tabernaculi effectu & fine propriô. Finis enim eſt parabolam & ſimilitudinem præbere in præſens rerum futurarum, usq; ad tempus correctionis, qvô meliora & evidentiora ſuccedant. Effectus autem per *ἄρσιν καὶ θέσιν* indicatur. Tollitur enim, qvod neqviverunt præſtare prioris tabernaculi miniſteria, & ponitur id, qvod potuerunt. Neqviverunt ſcilicet ſecundum conſcientiam perfectum reddere miniſtrantem. Nam ſi ſemel plenam pręſtitiſſent peccatorum veniam, non eſſent repetita qvotidiè. Iterata igitur perpetuo cogitationem generabant peccati ſemper manentis, nec dum perfectè depulſi à conſcientiâ. Potuerunt autē æternam largiri corpori ſanctimoniam & juſtificare eatenus, ut ſuo tempore perfecta emundatio ſeqveretur, atqve intereà conſervarentur miniſtrantes in populo DEI, cui propter Meſsiam erat propitiatio peccatorum indubitata.

9 *Qvæ parabola eſt,* (inqvit) *nimirum prius taber-*
naculum temporis inſtantis (præſentis, pro tempore præſen-
ti,) *juxta qvam* (malè, καθ' ὅν ſc. καιρόν, juxta qvod) *munera*
& hoſtiæ offeruntur, qvæ non poſſunt juxta conſcien-
10 *tiam perfectum reddere ſervientem: Solummodo in*
cibis & in potibus, (Levit. 11. Deut. 14.) *& variis bapti-*
ſmatibus, (lotionibus) *& juſticiis carnis* (juſtificationibus
corporalibus, non ſpiritualibus conſcientiæ,) *usq; ad tempus*
correctionis impoſitis. (imposſibile enim ſangvine taurorum
& hircorum auferri peccata, infra cap. 10, 4. niſi qvatenus imagi-
nem præbent expiationis CHRISTI, & ſic fide accedente in illum
impetratur remisſio, qvo ſenſu legimus remiſſas eſſe ſacrificanti-
bus iniqvitates Levit. 4, 26. 35.)

Antecedens ſecundi ſyllogiſmi aſſerit Apoſtolus, comparando tum bona, ſacerdotis CHRISTI acqviſita, tum tabernaculum, in qvo ſacris functus eſt ipſe. Bona enim ſacerdotii Levitici erant præſentia, nempe permanſio in conſortio Iſraelitico, immunitas à pœnis corporalibus, felicitas in terrâ paleſtinâ. At bona ſacerdotii

CHRI-

CHRISTI ſunt futura, hæreditas nempe immarceſſibilis, incontaminata & immaculata in cœlis, revelanda extremo tempore. 1. Petr. 1, 4. ſimiliter tabernaculum illud erat hujus creaturæ, ex hujus mundi elementis compactum, conſtructumq; humanâ manu. At tabernaculum CHRISTI non eſt hujus creaturæ, neqve ex hujus mundi elementis conſtructum, ſed cœleſte, æternum & inenarrabile.)

Chriſtus autem (inqvit) *aſſiſtens* (παραγενόμενος, adveniens) *Pontifex futurorum bonorum per majus & perfectius tabernaculum* (majus ob capacitatem, manſiones ſuppeditantem omnibus filiis DEI, Joh. 14, 2. perfectius ob ſtructuram & pulchritudinem,) *non manufactum, id eſt, non hujus creationis.* (Prius enim illud totum ex hujus creaturæ partibus erat fabrefactum: At Chriſti tabernaculum, cœlum, inqvam, ſedes DEI & beatorum omnium, non eſt hujus creaturæ, qvicqvid nonnulli de cœlo empyreo philoſophentur: ſed alterius conditionis DEO notæ. Qvoniam ergo tanti tabernaculi ſacerdos Chriſtus eſt, ingreſſus in illud tanqvam πρόδρομος, Ergo viam ſuo ſacerdotio omnibus eodem aperuit.) 11

Seqvitur ultimum hujus probationis membrum, ſacrificii Chriſti excellentiam continens, qvod copioſiſſimè tractat Apoſtolus. *Propoſitio* eſt: *Chriſtus non per ſangvinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſangvinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione repertâ.* Hinc promta eſt concluſio: Ergo per eum patet in cœlum aditus. 12

Confirmatio propoſitionis hujus fit membratim. Nam *primò* demonſtrat, Chriſtum ſuo ſangvine conſcientias noſtras purgaſſe, & ſic verè nos redemiſſe. *Secundò* oportuiſſe id ſangvine ipſius fieri, ex natura teſtamentorum colligit v. 15. &c. & tabernaculorum comparatione v. 23. 24. *Tertiò* uno ingreſſu in ſancta, unicoqve ſacrificio totam redemptionem in æternum conſummatam, evincit *primùm* è forma ſacrificii v. 25. *Secundò* è comparatione effectuum ſangvinis animalium & Chriſti cap. 10, 1. &c. *Tertiò* è conſi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

lio & beneplacito DEI, in pſalmis declarato v. 5. *Qvartò* è conſeqvuta gloriâ v. 11. *Qvintò* è teſtimonio Spiritûs ſancti per Jeremiam v. 15. *Tum deniq;* totius probationis hujusce colophonem ſubnectit v. 19. 20. 21. 22. 23. 24.

Itaqve ut ordine progrediamur, Chriſtum nobis veram repeтiſſe redemptionem, comparatione ipſorummet ſacrificiorum de-
13 monſtrat. *Si enim ſangvis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ adſperſus* (Num. 19. res utiqve viliſſimæ) *inqvinatos ſanctificat ad emundationem carnis,* (ut qvoad externam carnis converſationem mundi haberentur, nec excluderentur ſanctuarii illius mundani conſortio, in qvo gratiam polli-
14 cebatur DEUS:) *qvantò magis ſangvis Chriſti, qvi per Spiritum ſanctum* (αἰώνιον, æternum) *ſemetipſum obtulit immaculatum DEO, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum DEO viventi.* q. d. Qvantum diſtat Chriſti ſangvis à ſangvine taurino & hircino? qvantum ille, qvi ſemetipſum obtulit, ab iis animalibus, qvæ alius offert? qvantum Spiritus æternus in Chriſto, ſpiritum animalium fluxum & corruptibilem anteit? qvantum integritas & innocentia Chriſti ſuperat integritatem vaccæ rufæ? Tantum ergò præſtabit effectus ſacrificii Chriſti effectui ſacrificiorum legalium. Illa corpus emundabant, hoc conſcientiam & ſpiritum hominis. Illa ab externa immundicia, per qvam homo ſeparabatur à ſancto: hoc ab operibus mortuis, qvæ facit homo vitâ DEI privatus ad mortem æternam, expurgat. Illa ad communionem ſanctuarii mundani proderant: hoc ad conſociationem ipſius DEI viventis & vivum cultum ejus.

Secundò hanc redemptionem oportuiſſe fieri ſangvine Chri-
16 ſti, adſtruit *duplici argumento. Primum* tale eſt: *Ubi teſtamentum eſt, neceſſe eſt mors intercedat teſtatoris. Absq; eâ non aditur hæreditas.* Firmat à jure Teſtamentario:
17 *Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt; alioqvin*

qvin nondum valet, dum vivit, qvi teſtatus eſt. Subſu-
mit: Chriſtus eſt mediator & teſtator Novi Teſtamenti. Ergo o-
portuit eum mori, & ſangvinem ſuum fundere, ut hæreditas bo-
norum ejus ad nos deveniret. *Et ideò*, inqvit, *Novi Teſtamen-* 15
ti mediator eſt, ut morte intercedente in redemptionem
prævaricationum, (ſatisfactionem pro peccatis,) *qvæ erant*
ſub priori teſtamento, (lege omnes peccato & maledictioni
obnoxios tenente) *promiſſionem accipiant qvi vocati ſunt*
æternæ hæreditatis, q.d. Chriſtus teſtamento novo tales hære-
des ſcripſit, qvi prioris teſtamenti vi, debitis erant atrocisſimis
obligati: Itaqve mortem exſolvendis eorum debitis ſubivit, ut iis
abolitis promisſionem hæreditatis conſeqverentur. Absqve enim
illa perſolutione ſi foret, cerni ab iis hæreditas nulla poſſet.

Alterum argumentum à collatione prioris Teſtamenti & ta-
bernaculi ſumtum ſic habet: Si prius teſtamentum absqve ſangvi-
ne dedicatum non eſt, ſed liber ejus, tabernaculum, vaſa taberna-
culi ſangvine mundata ſunt, nec ulla ſub eo iniqvitas, citra ſangvi-
nem eſt remiſſa, ergo poſterius, novum ſcilicet Teſtamentum, abs-
qve teſtatoris ſangvine ratum non erit, ac proinde ſangvine Chri-
ſti redemptio fuit paranda. Verum prius. Ergo poſterius.

Aſſerit antecedens teſtimonio Moſis. *Unde* (ait) *nec pri-* 18
mum qvidem ſine ſangvine dedicatum eſt. Lecto enim 19
omni mandato legis à Moyſe univerſo populo, accipiens
ſangvinem vitulorum & hircorum, cum aqvâ & lanâ
coccinea & hyſſopo, ipſum qvoqve librum & omnem
populum adſperſit, dicens:

Hic ſangvis teſtamenti, qvod mandavit ad vos 20
DEUS. (Exodi 24, 8. q. d. Hoc ſangvine confirmatur & ſancitur
teſtamentum illud, in qvo vos jubet permanere DEUS.) *Etiam* 21
tabernaculum & omnia vaſa miniſterii ſangvine ſi-

22 *mul adſperſit.* (Exod. 29, 21. 36. 37. Levit. 8, 24.) *& omnia penè*
in ſangvine ſecundum legem emundantur, (etiam lepra
Levit. 14. immunditia puerperæ Levit. 12. & ſimilia; exceptis qvi
mortuum aut morticinum aliqvid attigerant, qvi cinere vaccæ ru-
fæ, & aqvâ luſtrabantur Num. 19, 11.) *& ſine ſangvinis effu-*
ſione non fit remiſſio. (Hoc ſtatutum eſt divinum efflagitante
23 id juſtitia peccatorum vindice.) *Neceſſe eſt ergò exemplaria*
qvidem cœleſtium (ὑποδείγματα) *his mundari*; (anima-
lium brutorum ſangvine, ungvento Levit. 8, v. 10. 11. & aqva luſtrali,
ut ſupra indicatum v. 19.) *ipſa autem cœleſtia melioribus*
24 *hoſtiis* (emundari nobis & acqviri) *qvam iſtis. Non enim*
in manufacta ſancta Chriſtus JEſus introivit, exem-
plaria (ἀντίτυπα) *veterum* (τῶν ἀληθινῶν, verorum, ſcilicet
ſanctorum, in qvæ alieno ſangvine intrant legales ſacerdotes:)
ſed in ipſum cœlum, (tabernaculum non hujus creaturæ, ve-
riſſimum, ſanctum ſanctorum, in qvo DEUS inſidet Cherubis &
Seraphis, angelis, & thronis ſuis,) *ut appareat nunc vultui*
DEI pro nobis (ſuâqve advocatione & præſentia perpetuum
auxilium præſtet omnibus eo indigentibus. Qvantum ergo ta-
bernaculum CHRISTI antecellit tabernaculum illud κοσμικὸν,
tantum qvoqve antecellere debuit ſangvis, qvo introitus compa-
ratur ejusce tabernaculi. Ideoqve CHRISTUM ſangvine proprio
eum nobis emercari oportuit.)

Tertiò uno ingreſſu, unôqve ſacrificio æternam redemptio-
nem eſſe à CHRISTO inventam, docet *primùm* ipsâ formâ ſacrificii,
hoc argumento: Qvi ſemetipſum offert ſacerdos, ei unum ſacrifi-
cium ſufficit: Qvi aliena offert, ei ſæpius iterandum eſt. CHRISTUS
ſemetipſum obtulit, ſacerdotes Levitici alieno ſangvine litârunt.
Ergo CHRISTO unum ſacrificium ſuffecit, illos ſæpius idipſum repe-
tere oportuit.

Majorem probat ex lege homini peccatori fixâ: Si homini ſe-
mel

ſemel mori ſatis eſt, deinde judicium. Ergò qvi pro homine mortuus eſt, ſatis eſt ſi ſemel ſit mortuus. Verum prius. Ergo poſterius. Et per conſeqvens CHRISTO pro qvovis homine mortuo, ſuffecit ſemel mori.

Neq; ut ſæpè offerat ſemetipſum, qvemadmodum 25
Pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſan-
gvine alieno.
Alioqvin oportebat eum freqventer pati ab ori- 26
gine mundi (toties mori, qvot anni ab origine mundi lapſi
ſunt, qvandoqvidem pro omnibus ab origine mundi viventibus
mortuus eſt.) *Nunc autem ſemel in conſummatione ſe-*
culorum (ultimis temporibus ſupra cap. 1, 1) *ad deſtructio-*
nem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit. (Antea qvidem
in mundo Johan. 1, 10. ſed non per hoſtiam ſuam manifeſtatus.)
Et qvemadmodum (Καθ' ὅσον, in qvantum) *ſtatutum eſt* 27
hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium: Sic & 28
Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda
(portandum) *peccata: Secundò autem ſine peccato ap-*
parebit expectantibus ſe in ſalutem. (Non ad judicium
ſeu damnationem, ſed ſalutem & vitam æternam, peccatis ſemel
morte ſuâ extinctis.)

CAPUT DECIMUM.

HOc capite *octavum* exhortationis fidei *argumentum* abſolvitur, & nonum, decimum, undecimumqve ſubjunguntur.

Reliqva ſunt ex octavi argumenti probationibus nonnulla, qvæ porrò fidem faciant, CHRISTUM unica oblatione æternam redemptionem reperiſſe, id ex forma ſacrificii jam evicit: Nunc *qvatuor* aliis *rationibus* confirmaturus id ipſum, ſecundo loco profert comparationem effectorũ ſangvinis Chriſti & pecorini. Cujus argumentationis iſta vis eſt: Qvi ſangvis peccata tol-

tollere neqvit. Sæpius fundendus eſt ad deſignandam eorum abolitionem ſemel faciendam. Sangvis taurorum & hircorum peccata tollere neqvit, Ergo ſæpius fuit fundendus ad deſignandam peccatorum conſumptionem ſemel peragendam. *Major* patet, qvia utile eſt commemorationem peccatorum identidem repeti, & ingentis beneficii, omnibusqve expectandi famam cõtinuatis ſacrificiis crebeſcere. *Minorem* adſtruit è legis natura & conditione, ex ipſa ſacrificiorum repetitione, & peccatorum tollendorum gravitate. Qvia enim lex umbram habet rerum, non vivam & expreſſam imaginem, ideò ſacrificiali ejus ſangvine non ſunt abolita peccata, ſed futura eorum abolitio præfigurata: Nam ſi abolita forent, Novo Teſtamento nihil opus fuiſſet. Tum verò ſi ſacrificiis pecuariis exoluti eſſent peccatorum conſcientia mortales, ceſſaſſent illa tandem, nec continuatis ſemper ceremoniis eſſent freqventata. Deniqve major eſt peccatorum humanorum atrocitas, qvàm ut ſangvine bubulo aut hircino tolli qveant.

Verba contextûs Apoſtolici hæc ſunt: *Umbram enim*
1 *habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem*
(plenam & perfectam) *rerum, per ſingulos annos eisdem*
ipſis hoſtiis, qvas offerunt indeſinenter, nunqvam po-
2 *teſt accedentes perfectos facere. Alioqvin ceſſaſſent*
offerri, ideò qvod nullam haberent ultra conſcientiam
peccati cultores, ſemel mundati. (Sicut enim Chriſti corpus
propterea non immolatur amplius, qvia ſemel purgavit con-
ſcientias ab omni peccato: Sic qvoq; illa ſacrificia deſiiſſent, ſi ſe-
3 mel purgare homines potuiſſent.) *Sed in ipſis commemora-*
tio peccatorum per ſingulos annos fit. (Et ſemper immun-
ditiæ accuſantur omnes filii Iſraël, Levit.16, 16.19.) *Impoſsibile*
4 *enim eſt ſangvine taurorum & hircorum auferri pec-*
cata, (qvod ſolius DEI proprium, Eſa.43,25. & 44,22. qvi idcircò
Eccleſiam proprio ſangvine acqviſivit. Act.20, 28. De illo prædi-
ctum in Prophetis, Dan.9,24. Zach.9,11 Eſa.53,5. Dicit qvidem ſcri-
ptura,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ptura,oblatis ſacrificiis iſtis factam expiationem,ſed ea non iſtis ſacrificiis adſcribenda,ſed beneplacito DEI in futuro Mesſiæ ſacrificio imputanda eſt , qvemadmodum ulterius evincit Apoſtolus.)

Producit enim *tertii fundamenti* loco teſtimonium Pſalmi
qvadrageſimi,qvo CHRISTUS ipſe loqvens inducitur de conſilio &
beneplacito DEI non acqvieſcentis in hoſtiis aut libationibus le-
galibus , ſed in voluntario corporis Mesſiæ ſacrificio. *Ideò in-* 5
grediens in mundum (CHRISTUS pſalmo repræſentatus)*dicit:*
Hoſtiam & oblationem noluiſti (qvia voluntatem tuam
perficere neqveunt,nec peccata expiare. Alioqvi placent tolli in
fide venturi ſacrificii oblata.) *Corpus autem aptaſti mihi*
(Hebraicè אָזְנַיִם כָּרִיתָ aures perfodiſti & aperuiſti, ut toto
corpore audiens & obediens tibi ſim , tanqvam ſervus volunta-
rius. Exod.21, 6. Eſa. 50, 4. 5. corpus aptaſti mihi ad parendum.)
Holocautomata & pro peccato (peccata i. e. ſacrificia pro 6
peccatis) *non tibi placuerunt. Tunc dixi,* (jam inde à prin- 7
cipio:) *Ecce venio: In capite libri* (in volumine libri,
בִּמְגִלַּת סֵפֶר q. d. in ipſo volumine caput ego & ſumma ſum
totius libri) *ſcriptum eſt de me,ut faciam DEUS volun-*
tatem tuam, (& lex tua in medio cordis mei, tauris hircisqve
ignara.) *Superius dicens , qvia hoſtias & oblationes &* 8
holocautomata, & pro peccato noluiſti,nec placita ſunt
tibi,qvæ ſecundum legem offeruntur. Tunc dixit: Ecce 9
venio,ut faciam DEUS voluntatem tuam. Aufert pri-
mum,ut ſeqvens ſtatuat. *In qva voluntate ſanctificati ſu-* 10
mus, (obedientia CHRISTI nobis imputatâ,) *per oblatio-*
nem JEſu Chriſti ſemel, (qvi ſemetipſum voluntarium DEO
ſacrificium obtulit, eoqve expiavit peccata omnium noſtrûm
vice unâ.)

Qvar-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Qvartum pro unica expiatione *fundamentum* petit à conſecu-
ta eam CHRISTI gloria, qvam collatione aliorum ſacerdotum
exornat. Qvi enim unica oblata hoſtiâ pro peccatis ad ſempiter-
num cœlorum regnum elevatus eſt, is utiqve eâ hoſtia perfecit
qvod voluit, & peccata omnia expiavit. CHRISTUS oblata unica
hoſtiâ ad ſempiternum cœlorum regnum eſt elevatus. Ergo pere-
git qvod voluit, i.e. peccata omnia una vice ſuſtulit.
Propoſitio patet, qvia aliorum ſacerdotum nemo id unqvam
11 obtinuit. *Et omnis qvidem ſacerdos* (inqvit) *praſto eſt*
qvotidie miniſtrans, & easdem ſæpe offerens hoſtias,
12 *qvæ nunqvam poſſunt auferre peccata. Hic autem*
unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum
ſedet in dextris DEI, i.e. æternùm regnat perglorioſam po-
tentiam DEI. Firmat hanc aſſertionem verbis Pſalmi 110, 1.
13 *de cætero expectans, donec ponantur inimici ejus ſca-*
14 *bellum pedum ejus. Una enim oblatione conſumma-*
vit in ſempiternum ſanctificatos, (τοὺς ἁγιαζομένους, qvi ſan-
ctificantur. Itaqve vim peccato, morti, diabolo, inferno, unâ obla-
tione abſtulit, & peccatorum, qvicunqve erant ſanctificandi, per-
fectionem coram DEO ſolus una vice peregit, nihil reliqvum fa-
ciens niſi plenam ipſorum hoſtium abolitionem. Qvam dum
exeqvitur, glorioſa DEI dextera ipſe utitur fruiturq; jugiter. Eant
nunc & nova pro peccatis ſacrificia conqvirant, qvi volunt: ſan-
ctorum qvoqve meritis perfici cupiant, qvibus hæc ſalutis via eſt.
Nobis ſufficit Apoſtoli ſententia, dicentis, CHRISTUM unica obla-
tione univerſam perfectionem ſanctificationis noſtræ abſolviſſe.)
Deniqve Spiritus ſancti teſtimonio veteri munit dictum ſuum
Apoſtolus, allegans Jeremiæ librum, cui non habebant contraire
15 Hebræi. *Conteſtatur & nos* (ἡμῖν, nobis) *Spiritus ſanctus*
16 (loqvens in Jeremiâ cap. 31.) *poſtqvam enim dixit: Hoc au-*
tem teſtamentum, qvod teſtabor (διαθήσομαι, diſponam)
ad illos poſt dies illos, dicit Dominus, dando (διδοὺς, dans
ſc.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſc. ero,dabo) *leges meas in cordibus eorum,& in menti-*
bus eorum ſuperſcribam (ἐπιγράψω, inſcribam) *eas. Et* 17
peccatorum & iniqvitatum eorum non recordabor am-
plius. (i. e. novam illis juſtitiam infundam per Spiritum meum,
& peccata priora remittam , juſtificabo & renovabo illos.)
ubi autem remiſsio horum,jam non eſt oblatio pro pec- 18
cato.

Hisce ita demonſtratis ſubdit *Epilogum*, propoſitioni Capitis 6, 20. reſpondentem, itemqve generali totius Epiſtolæ themati, obſervato ſupra cap. 2, 1. Conſtat autem repetitione argumenti, & illatione epilogiſticâ.

Habentes itaq; fratres fiduciam in introitum ſan- 19
ctorum in ſangvine Jeſu,qvam (ἣν εἴσοδον, qvem introitum) 20
initiavit nobis,viam novam & viventem, (non veterem
illam mundani tabernaculi & mortuam,ſed novam in ſeipſo dedi-
catam,eandemq́; vivam,ſicut ipſe jam dedicator vivit) *qvam de-*
dicavit,per velamen,id eſt,carnem ſuam. (Nam ſicut ipſe
perruptâ carne ſuâ, ſeu velamine, introivit moriendo in ſancta
cœleſtia, ſic nos per eandem carnem ejus, nunc vivam, tanqvam
per apertum velamen in cœleſtia intrare poſſumus. Joh. 14, 26.)
Et habentes ſacerdotem magnum ſuper domum DEI, 21
(univerſa habitacula cœleſtia & habitantes in eis, Joh. 14, 2. ſupra
cap. 3, 6.)

Hactenus repetitio argumenti, ſeqvitur illatio : *Acceda-* 22
mus cum vero corde, (vacuo doli & hypocriſeos) *in pleni-*
tudine fidei, adſperſi corda à conſcientia mala (virtute
ſangvinis CHRISTI mundati intus,) *& abluti corpus aqva*
mundâ, (baptiſmali, Qva dum extus abluimur, purgamur intus
pariter virtute ſangvinis CHRISTI ab omni peccatorum conſcien-
tiâ, Act. 22, 16. Eph. 5, 26. 1. Petr. 3, 21.) *Teneamus Spei noſtræ* 23

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

confeſſionem indeclinabilem. Fidelis enim eſt, qvi re-
24 *promiſit.* (ſupra cap. 6, 18.) *Et conſideremus invicem*
in provocatione charitatis & bonorum operum.
(Ea enim veram fidem nunqvam non ſeqvitur, certumqve de ea
teſtimonium perhibet. Sic ſupra cap.3,12.13. Qvam partem infra
uberius explicabit.12,1.&c.)

Seqvitur nonum exhortationis hujus *argumentum,* captum à
ſubſeqventi pernicie defectorum contumacium, congruum ei,
qvod explicatum ſupra cap. 6. Sententia ſyllogiſtica hæc eſto:
Qvicqvid homini terribilem adfert mortis & judicii æterni expe-
ctationem, id vitandum, ejusqve contrarium eligendum. At vo-
luntaria ſuſcepti Chriſtianiſmi abnegatio, Spirituſq; gratiæ blas-
phematio adfert homini terribilem mortis judiciiq; æterni expe-
ctationem. Ergò illa accuratè cavenda, contrà verò qvotidianæ
& conſtanti Chriſtianiſmi exercitationi incumbendum eſt. *Aſ-*
ſumptum confirmatur à minori. Nam ſi legis Moſaicæ contemptor
protervus & contumax olim ad mortem damnabatur; Qvantò
magis Filii DEI conculcator? Deinde à divinis comminationibus,
31 Deuteron. 32, 35. 43. *Major* confirmatur γνώμῃ. *Horrendum*
enim eſt incidere in manus DEI viventis, ejusq; ultro
provocare judicium & ignem conſumentem. Concluſio
25 ſeu propoſitio orationis, primo loco ponitur: *Non deſerentes*
collectionem noſtram (ſeu hanc, qva nunc congregamur &
aggregamur ipſi in fruitione corporis ac ſangvinis, atqve annun-
ciatione ſolenni mortis ejus, ſeu illam, qva olim aggregabimur ei
extremo adventu ipſius, qvam Paulus appellat ἐπισυναγωγὴν ἐπ'
αὐτὸν, 2. Theſs.2,1. Sicut ad cadaver congregantur aqvilæ Matth.24,
28. Luc.17,37. Hæc eſt illius pararia. Qvi hanc deſerit, multo ma-
gis iſtam.) *ſicut conſvetudinis eſt qvibusdam* (Chriſtia-
niſmum hoc pacto derelinqvere.) *ſed conſolantes,* (παρακα-
λοῦντες, exhortantes, ut ſupra cap.3, 13. ad qvotidianam congrega-
tionis iſtius appetentiam.) *Et tantò magis, qvantò videtis*
ap-

appropinqvantem diem, (qvo ἐπισυναγωγὴ abſolvenda, aut
æterna ſeparatio opperienda eſt.) *Voluntariè enim peccan-* 26
tibus nobis (non metu aut ſubitaneâ delicti occupatione,
Gal. 6,1. Matth.26,41.70.) *poſt acceptam notitiam verita-*
tis, jam non relinqvitur pro peccatis hoſtia. (qvi illam
hoſtiam pervicaciter ſpernit & blaſphemat, non eſt qvod aliam
expectet.) *Terribilis autem qvædam expectatio judicii,* 27
& ignis æmulatio qvæ conſumtura eſt (conſumturi)
adverſarios. (ſicut planum in Juda proditore voluntario agni-
ti Meſſiæ. Matth.27. Luc.22.) *Irritam qvis faciens legem* 28
Moſis, ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus
moritur. (Deut.19,15. Num.15,35.& 19,20. Levit.24,14. Qvod in-
telligendum de elatâ manu,ſeu contumaciter peccantibus, ut ex-
ponitur Numer.15,30.) *Qvantò* (magis dele) *deteriora pu-* 29
tatis mereri ſupplicia eum, qvi Filium DEI conculca-
verit (crucifixerit iterum & ludibrio habuerit, ut ſolent Judæi
apoſtatæ,) *& ſangvinem teſtamenti pollutum duxerit, in*
qvo ſanctificatus eſt, (qvando veritatem cognoſcebat, & col-
lectioni Chriſtianæ intererat,) *& Spiritui gratiæ contume-*
liam fecerit, (gratiam largito,& adoptionem teſtanti volunta-
ria malitia repugnaverit,Spiritui immundo adſcribens,qvod ſan-
cti eſt.) *Scimus enim qvi dixit* (Hebræis nominatim per Mo- 30
ſen :) *Mihi vindicta, ego retribuam. Et iterum :*
(Deut.32,43.) *Judicabit Dominus populum ſuum* (com-
penſans inimicis ejus facinora ſua, & vindicans populum è manu
eorum.) *Horrendum eſt incidere in manus DEI viven-* 31
tis, (ex qvibus nulla creatura poteſt eripere.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Decimum argumentum à decoro ſumptum & honeſto ita habet: Qvi ſemel fide pugnarunt & pro futurâ gloriâ damnum ſubierunt, illos decet in certamine perſeverare. Hebræi ſemel pugnarunt & damnum ſubierunt. Ergo eos decebit perſeverare.

Aſſumptionem propriæ ipſorum conſcientiæ relinqvit
32 Apoſtolus, cum inqvit: *Rememoramini autem pri-*
ſtinos dies, in qvibus illuminati, magnum certamen
33 *ſuſtinuiſtis pasſionum. Et in altero qvidem* (τοῦτο μὲν,
tum ſanè) *opprobriis & tribulationibus ſpectaculum*
facti (θεατριζόμενοι) *in altero autem* (tum verò) *ſocii ta-*
34 *liter converſantium effecti. Nam & vinculis meis*
compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum
gaudio ſuſcepiſtis, (qvando ſub Claudio Romana urbe eſtis expulſi, aut alibi ſeu in Judæa, ſeu Aſia, ſeu Græcia à contribulibus veſtris eſtis ſpoliati. 1. Theſſal. 2.) *cognoſcentes vos habere meliorem & manentem in cœlis ſubſtantiam.* (Qvæ & præſtat dignitate, animam pariter corpusq; afficiens, & duratione.)

Undecimum fundamentum exhortationis à ſecutura utilitate petitum eſt, in hanc formam: Si perſeverantia in fide ingens adipiſcitur præmium, non eſt fiducia abjicienda. At illud eſt: Ergo
35 & hoc: Textus planus eſt: *Nolite itaq; amittere* (abjicere)
confidentiam veſtram, qvæ magnam habet remunera-
36 *tionem. Patientia enim vobis neceſſaria eſt, ut volun-*
tatem DEI facientes, reportetis promisſionem.
37 *Adbuc enim modicum aliqvantulumq; qvi venturus*
eſt veniet & non tardabit. (Ad judicium & gloriam.)
38 *Juſtus autem* (meus dele) *ex fide vivet. Qvid ſi ſub-*
traxit ſe (nolens perſeverare in fide, ſed extollens ſe adverſus obedientiam ejus. Hebr. עֻפְּלָה elata ſc. anima) *non place-*
bit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

bit animæ meæ. Nos autem non ſumus ſubtractionis 39
in perditionem, ſed fidei in acqviſitionem animæ, (animam fide ſervaturi.)

CAPUT UNDECIMUM.

HOc capite *duodecimum* exhortationis ad fidem *fundamentum* explicatur, copioſè & ſapienter, à meris exemplis petitum. Vis ſyllogiſtica talis eſt: Cujus rei teſtimonium veteres adepti ſunt, qvotqvot DEO placuiſſe novimus, ejusdem decet Hebræos eſſe zelotas. At fidei promiſſionum inviſibilium veteres omnes teſtimonium ſunt adepti, qvotqvot DEO placuerunt. Ergo fidei talis Hebræos eſſe æmulos decet.

Aſſumptum comprobat Apoſtolus primùm ſpeciali commemoratione duodecim exemplorum. Deinde communi reliqvorum Heroum & Prophetarum complexu, prolixitatem ſingularis explanationis, exempli cujuslibet, per ἀποδίωξιν oportunam amoliens.

Tractatio conſtat *propoſitione, confirmatione, & concluſione*.

Propoſitio eſt: Fidei inviſibilium ſperatorumq; bonorum teſtificationem conſecuti ſunt veteres. *Concluſio* id ipſum repetit, addens eos non eſſe adeptos promiſſionem perfectionis in Meſſia, v. 39. 40.

Confirmatio continuâ exemplorum enarratione peragitur. Ut autem promiſſionum divinarum fidem perſvadeat Hebræis, docet qvænam ſint fidei objecta propria, nimirum futura & præſentia inviſibilia; qvisqve fidei motus circa illa, videlicet ſubſiſtentia in illis tanqvam certis & à DEO indubitanter largiendis, cum ἐλέγχῳ ſeu demonſtratione vel argumento, cui mens innititur repræſentans ſibi inviſibilia tanqvam vera & incorrupta bona.

Eſt autem (inqvit) *fides ſperandarum ſubſtantia* 1
rerum (ἐλπιζομένων ὑπόστασις, eorum qvæ ſperantur fiducia, qva qvis ſtat & conſiſtit, contranitens adverſis, ſperata in dubium trahentibus. Sic uſurpatur ὑπόστασις etiam ſupra 2. Cor. 9, 4. & Hebr.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Hebr. 3, 14. imò ſic Græcis etiam Autoribus exteris uſurpatur paſſim.) *Rerum argumentum* (ἔλεγχος) *non apparentium.* In verſione Syrâ pulchrè ſonat: Eſt autem fides perſvaſio de illis rebus, qvæ ſunt in ſpe, ac ſi eſſent illis בְּסוּעְרָנָא in opere, effectu, & eſt evidentia eorum, qvæ non cernuntur.)
2 *In hac enim teſtimonium conſecuti ſunt veteres,* (DEO placuiſſe.) Talem eſſe fidem conſtat etiam è præteritis. Neqve enim vidimus DEUM univerſa hæc operantem, & credimus tamen ex inviſibilibus & nusqvam apparentibus omnia eſſe condita.

Si igitur potuit, juxta vulgatisſimam omnium fidem, ex nihilo condere hæc univerſa DEUS, qvidni fide amplectimur, qvicqvid ſe facturum promittit, etiamſi oculis ſit nullis obvium? Nam ſi jam olim ex inviſibilibus mundum fecit, poterit nunc qvoqve facere, qvæ nusqvam apparent. Si illud credimus, ergo hæc
3 qvoqve. Hinc ait: *Fide intelligimus, aptata eſſe ſecula verbo DEI* (Pſ. 33, 6.) *ut ex inviſibilibus viſibilia fierent.* (Gen. 1. 2.)

Jam producit *Exempla veterum. Primum* eſt Abelis, qvi juſti
4 titulum obtinuit à Domino JESU Matth. 23, 35.) *Fide plurimam* (πλείονα, abundantiorem) *hoſtiam Abel qvàm Cain obtulit DEO, per qvam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus, teſtimonium perhibente muneribus ejus DEO,* (qvæ reſpexit, & igne cœleſti accendit, non id facturus, niſi futuram & inviſibilem ſeminis benedicti victoriam crediſſet Abel.) *Et per illam* (fidem) *defunctus adhuc loqvitur.* (λαλεῖται, dicitur, memoratur à DEO, in cujus conſpectu pretioſa eſt mors ſanctorum & fidelium Gen. 4, 10. Pſal. 116, 15. Matth. 23, 35.)

5 *Alterum* Enochi: *Fide translatus eſt Enoch, ne videret mortem* (ſicut reliqvi Patriarchæ Geneſis 5. cap. narrati.) *Et non inveniebatur, qvia transtulit eum DEUS,*

(in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

in mundum meliorem non hujus conditus.) *Ante translatio-*
nem enim teſtimonium habuit placuiſſe DEO. (ita effe-
runt LXX. qvod Moſes ſcripſit Gen.5,22. יִתְהַלֵּךְ אֶתהָ אֱלֹהִים
ambulavit DEUM, converſatus eſt in DEO. Nam in DEO vivere
& ambulare eſt placere ei.) *Sine fide autem impoſſibile eſt* 6
placere DEO. (Et ſine fide Meſſiæ ac inviſibilium in ipſo bono-
rum expectatione nemo vivit, aut ambulat in DEO. Henoch in DEO
ambulavit, DEOq; placuit. Ergo fidē habuit) *Credere enim opor-*
tet accedentem ad Deum qvia eſt, (qvod ipſum qvoqve eſt
oculis abſconditum. DEUS enim eſt inviſibilis. Primus igitur fi-
dei gradus qvoq; inviſibilia reſpicit,) *& inqvirentibus ſe re-*
numerator ſit, (per JESUM CHRISTUM, ſine cujus fide nemo
appropinqvat DEO. Joh.14,6.)
Tertium eſt Noæ: *Fide Noe reſponſo* (oraculo) *accepto* 7
de iis qvæ adhuc non videbantur; metuens aptavit ar-
cam in ſalutem domus ſuæ, per qvam damnavit mun-
dum, (per arcam tanto opere ædificatam, ut reſipiſcerent ſpecta-
culo.) *& juſtitiæ, qvæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus.*
(Credidit enim ſe gratiam reperiſſe coram DEO, propter Meſſiam
promiſſum ſervandumq; in arca, ut è ſuo tandem ſemine Meſſias
oriretur, reliqvis diluvio abſorptis. Qvæ omnia erant inviſibilia,
qvum arcam conſtrueret.)
Qvartum Abrahami. *Fide qvi vocatur* (καλούμενος, 8
qvum vocaretur) *Abraham, obedivit in locum exire,*
qvem accepturus erat in hæreditatem, & exiit (ex Ure
Chaldæorum) *neſciens qvo iret.* (Gen. 11.) *Fide demonſtra-* 9
tus eſt (παρῴκησεν, peregrinatus eſt) *in terrâ promiſſionis*
(Paleſtinâ ei promiſſa & ſemini) *tanqvam in alienâ in caſu-*
lis habitando cum Iſaac & Jacob, cohæredibus promiſ-
ſio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

10 *ſionis ejusdem. Expectabat enim fundamenta haben-*
tem civitatem (non fluxa & terrea, qvæ nulla ſunt) *cujus ar-*
tifex & conditor DEUS. (illius poſſesſionem ſe opperiri ta-
bernaculo ſtruendo teſtabatur, mundum hunc alienum judicans,
in qvo certa poſſesſionis fundamenta nemini obveniant, qvan-
tumvis multi prævalidas urbes domosq; ædificent.)
11 *Qvintum* eſt Saræ. *Fide & ipſa Sara ſterilis virtu-*
tem in conceptionem (καταβολὴν, demisſionem) *ſeminis*
accepit etiam præter tempus ætatis (ἔτεκεν, peperit,)
qvoniam fidelem credidit eſſe eum, qvi repromiſerit.
(promiſerat.) *Metuens etiam ſibi,* (qvod primam promisſio-
nem riſu eſſet proſecuta, & ſtatim fide amplectens Verba Domi-
12 ni. Gen. 18, 15.) *Propter qvod & ab uno orti ſunt, & hoc*
emortuo (centenario, exactæ ætatis ſene) *tanqvam ſydera*
cœli in multitudine, & ſicut arena qvæ eſt ad oram
(labrum) *maris innumerabilis.* (ſecundum promisſionem
Gen. 15, 5. & 22, 17.) Claudit hæc qvinqve exempla, cum obiter ad-
13 ſperſis Jacobi & Iſaaci, ſcribens: *Juxta fidem defuncti ſunt*
omnes iſti, non acceptis promisſionibus (de Mesſia ex eorũ ſe-
mine orituro, & annexâ poſſesſione terræ Canaan ſeminisq; mul-
tiplicatione.) *ſed à longè eas adſpicientes* (καὶ πεισθέντες, per-
ſvaſi de iis) *& ſalutantes* (ſpiritu eis exultantes, ἀσπασάμενοι,
cum lætitia eas tanqvam præſentes ad ſe trahentes) *& confiten-*
tes (verbis operibusq;) *qvia ſunt* (qvod eſſent) *peregrini &*
14 *hoſpites ſuper terram.* (Gen. 47, 9.) *Qvi enim hæc dicunt,*
ſignificant ſe patriam inqvirere. (Nullus enim hoſpes ſine
15 aliqva patria.) *Et ſiqvidem ipſius meminiſſent, de qva*
exierant, habebant utiq; tempus revertendi (potuiſſent
tanto

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

tanto tempore vel Chaldæam, vel Meſopotamiam reviſiſſe.)
*Nunc autem meliorem appetunt, id eſt cœleſtem. Ideò
non confunditur DEUS vocari DEUS eorum,* (qvan-
qvam mortuorum. Exodi 3,6. Matth.22.verſ.23.) *paravit enim
illis civitatem,* (in qva degant cum ipſo, cœleſtem Hieroſoly-
mam, infra cap.12,22.23. omnibus inqvirendam c.13,14. Phil 3,19.)
Sextum Exemplum Abrahami iterum & Iſaaci. *Fide obtu-* 17
lit Abraham Iſaac qvum tentaretur, (jamjam immolatu-
rus) *& unigenitum offerebat, qvi ſuſceperat promiſſio-
nes* (tanqvam ſucceſſor, è qvo ſemen benedictum, cui hæreditas
Palæſtinæ, & multiplicatio poſteritatis daretur.) *Ad qvem di-* 18
ctum eſt, qvia in Iſaac vocabitur tibi ſemen (Gen.21,13.
non in Iſmaële, qvanqvam primogenito.) *Arbitrans qvia &* 19
à mortuis ſuſcitare potens eſt DEUS, (Et ſic promisſiones
implere. Idqve ipſum credidit Iſaacus, promptus qvippe ad ani-
mam Deo offerendam.) *Unde eum & in parabolam accepit.*
(ὅθεν αὐτὸν καὶ ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο. Unde, ex mortuis videlicet,
eum etiam in ſimilitudine accepit, retulit, recepit. Perinde enim
fuit, ac ſi à mortuis eum recepiſſet, qvem triduum pro mortuo ha-
buerat, Qvemadmodum etiam CHRISTUS, verè tamen, non para-
bolicè, triduum mortuus reſurrexit, victima oblatus DEO pro pec-
catis mundi.) *Fide & de futuris benedixit Iſaac, Jacob* 20
& Eſau. (Gen.27.)
Septimum eſt Jacobi. *Fide Jacob moriens ſingulos fi-* 21
liorum Joſeph benedixit (Manaſſem & Ephraim Gen.48,16.19.
præferens minorem majori,) *& adoravit faſtigium Virgæ
ejus.* (ſic reddiderunt LXX. עַל־רֹאשׁ הַמִּטָּה qvod alii ſuper
caput lecti. מִטָּה enim eſt ſuper qvo homo reclinat. Inclinavit
autem ſe Jacob capiti virgæ Joſeph, deſignans regiam dignitatem,
poſteris ejus obventuram. Sic fide inviſibilia complexus.)

22 *Octavum* Joſephi. *Fide Joſeph moriens de profectione*
filiorum Iſrael memoratus eſt, & de oſſibus ſuis man-
davit, (in terrâ Canaan ſepeliendis. Geneſ. 50, 14. Exod. 13, 16.)
23 *Nonum* eſt parentum Moſis. *Fide Moyſes natus, occul-*
tatus eſt menſibus tribus à parentibus ſuis, eò qvod vi-
diſſent elegantem infantem (ἀστεῖον. Eâdem voce utuntur
LXX. Exodi 2, 2.) *& non timuerunt regis edictum* (qvo in-
fantes exponere aqvis juſſerat. Nam oraculo erant edocti, libe-
randum eſſe populum per eum infantulum, narrante Joſepho
libr. 2. cap. 5.)
24 *Decimum* Moſis eſt, idqvè *triplex*. Primùm enim, *Fide Moy-*
ſes grandis factus negavit ſeeſſe filium filiæ Pharaonis
(deamantis eum, filiiqve loco habentis, Exodi 2, 10. 11.) *magis*
25 *eligens affligi cum populo DEI, qvàm temporalis*
(πρόσκαιρον, temporariam) *peccati habere jucunditatem:*
26 *Majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum*,
(theſauris, θησαυρῶν, qvibus potiri tanqvam reginæ filius pote-
rat) *improperiem Chriſti* (ducis & DEI Iſraëlitarum, qvem
contumeliâ afficiebant Ægyptii.) *Aſpiciebat enim in remu-*
nerationem, (εἰς τὴν μισθαποδοσίαν, eò tempore inviſibilem
27 compenſationem fidei oculis intuebatur.) Deinde *fide reliqvit*
Ægyptum (non ambiens reconciliationem Pharaonis) *non*
veritus animoſitatem (iram, θυμὸν) *regis* (qvi eum è Midia-
nitide, ut ſolent longæ regibus eſſe manus, retrahere poterat.)
inviſibilem enim tanqvam videns ſuſtinuit. (Ita coram
DEO ambulabat, tanqvam perpetuo eum in oculis gereret.) Aut:
Fide reliqvit Ægyptum, non cupiens in eâ morari, non extime-
ſcens iram Pharaonis mortem ei comminantis, qvod populum
vellet educere.

Ter-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Tertiò, *Fide celebravit Paſcha, & ſangvinis affuſio-* 28
nem (ad poſtes domuum) *ne qvi vaſtabat primitiva tan-*
geret eos. (Niſi enim DEO credidiſſet, Paſcha hoc fine ſancitum
non agitaſſet. Exodi 12. 13.)

Undecimum exemplum eſt Iſraëlitarum omnium, tum Ægypto
exeuntium, tum Palæſtinam occupantium. *Fide tranſierunt* 29
mare rubrum, tanqvam per aridam terram. (Niſi enim
Deo fidem habuiſſent, mari ſe non commiſiſſent,) *qvod experti*
(πεῖραν λαβόντες experimentum cujus capientes) *Ægyptii de-*
vorati ſunt. (illis enim DEUS nihil tale promiſerat.) *Fide* 30
muri Jericho corruerunt, circuitu dierum ſeptem.
(κυκλωθέντα, circuita diebus ſeptem. Joſ. 6.)

Duodecimum eſt mulieris alienigeæ, ſed qvæ plurimorum Iſraë-
litarum mater evaſit. *Fide Rahab meretrix non periit cum* 31
incredulis, (Hierichuntinis, reliqvisqve Amoreis, qvi tanto tem-
pore cognoverant Dei nomen, nec credebant tamen, Joſ. 2, 9. 10. 11.)
excipiens exploratores cum pace. (imo ſervata nupſit Sal-
moni principi Juda. Matth. 1, 5.)

Tot ſingularibus exemplis commemoratis ſubjungit cuneum
variorum, tum Regum, tum Prophetarum facta per fidem & paſſa
recenſens: *Et qvid adhuc dicam? deficiet enim me tem-* 32
pus enarrantem de Gideone (Jud. 6. 7.) *Barac* (Jud. 4. 5.)
Samſon (Jud. 13. 14. 15. 16.) *Jephtæ* (Jud. 11.) *David* (1. & 2.
Samuelis.) *& Samuel* (1. Samuelis usqve ad cap. 2.) *& Prophe-*
tis, (tum anterioribus, tum poſterioribus) *qvi per fidem de-*
vicerunt regna (ſicut Gedeon, Barac, Jephte, David, Samuel,
Eliſæus,) *operati ſunt juſtitiam* (variis modis, tùm vindican- 33
do in hoſtes, tùm condonando propter DEUM inimicis, tùm bene-
faciendo omnibus.) *adepti ſunt promiſſiones* (partim ſin-
gulares, partim communes, ut liberationes, reductiones, templi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ædificationes, ad patres placidas, migrationes, &c.) *obturave-*
34 *runt ora leonum* (ut Daniel,) *extinxerunt impetum ignis*,
(ut Azarias, Miſaël, Hananias Dan. 3.) *effugerunt aciem gladii*,
(ut Elias 1. Reg. 19. & 2. Reg. 1.) *convaluerunt de infirmitate*,
(ut Ezechias Eſa. 38.) *fortes facti ſunt in bello*, (ut Aſa, Joſa-
35 phat, Ezechias,) *caſtra verterunt exterorum*, (ut Judices,
Samuel, David, Maccabæus, &c.) *Acceperunt mulieres de re-*
ſurrectione mortuos ſuos, (ut Sareptana & Synamis 1. Reg. 17.
2. Reg. 4.) *Alii autem diſtenti ſunt* (ἐτυμπανίσθησαν, diſtenti ut
corium tympani, in cruciatibus mortui, ut habet Syrus) *non ſus-*
cipientes (aut expectantes, προσδεξάμενοι) *redemptionem*
(corporalem) *ut meliorem invenirent reſurrectionem*.
(Meliori tunc gloriâ fulgerent. 2. Macc. 7.) *Alii verò ludibria*
36 *& verbera experti*, (ut Jeremias, Michæas, Amos, Ezechiel,)
inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, (ut Zacha-
37 rias 2. Paral. 24, 21.) *ſecti ſunt* (ſerris, ἐπρίσθησαν, ut traditur de
Eſaia.) *tentati ſunt*, (ut Job.) *occiſione gladii mortui ſunt*,
(ut Urias Propheta, Jer. 26, 23.) *circuierunt in melotis* (è taxi
pelle conſutis, ut Elias 1. Reg. 19, 13. 19. 2. Reg. 2, 8. 13. 14.) *in caprinis*
pellibus, (ut Prophetę, qvorum veſtis erat horridiuſcula Zach, 13,
4. Eſa. 20, 2.) *egentes* (ut planum de Elia, & aliis Prophetis ejus
temporis) *anguſtiati* (θλιβόμενοι, preſsi) *afflicti. Qvibus di-*
38 *gnus non erat mundus*, (à qvo extrudebantur DEO illos ad ſe
rapiente) *in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpe-*
luncis & cavernis terræ (1. Reg. 18, 13. & 19, 9.)

Concludit argumentum: *Et hi omnes teſtimonio fidei*
39 *probati non acceperunt promisſionem*, (non viderunt

CHR-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

CHRISTI adventum in carne, Luc. 10, 24. nec gloriam exinde ſur-
gentem hiſce temporibus,) *DEO pro nobis aliqvid melius
providente,* (ut ipſum filium videremus & audiremus,) *ut non
ſine nobis conſummarentur.* (Ne perfectionem illam, qvæ in
viſione gloriæ JESU CHRISTI ſita eſt, ſine nobis conſeqverentur.
Nam Moſes & Elias in monte, ſanctiq; cum CHRISTO reſuſcitati
viderunt eum glorificatum, ſed non ſine Apoſtolis, qvi eâ beatitu-
dine etiam in carne agentes fruebantur.)

CAPUT DUODECIMUM.

ABſoluta ad fidem ejusqve conſtantiam exhortatione ſucce-
dit *exhortatio* ad bona opera in fide exercenda. Qvæ *bimembris*
eſt, more Paulino. *Generalis* videlicet & *ſpecialis.*

Generalis Propoſitio eſt: Certate adverſus peccatum. Con-
firmatio petitur ab exemplo CHRISTI, & DEI paterna voluntate.

Specialis exhortatio certas virtutes commendat, vitiaq; repre-
hendit. Hoc capite hortatur ad pacis & ſanctimoniæ ſtudium v. 14.
dehortatur ab amaritudine, ſcortatione & profanitate v. 15. 16.

Confirmat ab utili & pernicioſo, itemq; ab honeſto & decoro.

Reliqva ſpecialia ſeqventi capite pertexuntur.

Cæterum Propoſitionem generalem haudqvaqvam nude &
ſimpliciter effert Apoſtolus, ſed tranſitione veſtitam, & notatione
eorum, qvæ certamen Chriſtianum impediunt & remorantur.
Ideoq; (ait) *& nos tantam habentes impoſitam* (περικεί- 1
μενον, circumpoſitam) *nubem teſtium,* (ſupra narratorum,)
deponentes omne pondus (ὄγκον, tumorem, molem, qvicqvid
gravat cor, i. e. gulam, avaritiam, ſuperbiam Luc. 21, 34.) & circum-
ſtans hoc peccatum (εὐπερίστατον omni tempore paratum, in qvod
proni & faciles ſumus) *per patientiam curramus propoſi-
tum nobis certamen,* (qvod infra v. 4. vocat certamen adver-
ſus peccatum, id enim citra patientiam decurri neqvit.)

Confirmatur ab Exemplo CHRISTI, dum ait: *Aſpicientes in* 2
*autorem fidei & conſummatorem JEſum, qvi propoſito
ſibi gaudio* (ex uſurpatione divinæ gloriæ & potentiæ Phil. 2, 5.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

ſuſtinuit crucem confuſione contemptâ (αἰσχύνης κατα-
φρονήσας, ignominiam aſpernatus, ſpernens ſe ſperni) *atq; in*
3 *dextera DEI conſedit. Recogitate enim eum, qvi talem*
ſuſtinuit à peccatoribus adverſus ſemetipſum con-
tradictionem (privatim & publicè præſertim in cruce ab omni-
bus blaſphematus;) *ut ne fatigemini animis veſtris defi-*
cientes, (ſed adverſus peccatum & peccatores ſtrenuè dimicare
pergatis.)

Confirmatur ſecundò à divinâ benignitate ipſis caſtigationibus erudiente nos, ut peccato reſiſtamus. Hoc argumentum ſic informo: Filii DEI voluntati Patris ſui obedire tenentur, etiam ad ſangvinem; Chriſtiani ſunt filii DEI. Ergo Patri ſuo obedire usq; ad ſangvinem tenentur, & per conſeqvens peccato reſiſtere.

Aſſumptum firmatur teſtimonio Salomonis, per cujus os DEUS nos filios appellat, ſignificans pariter, ſe ideò caſtigare nos, ut adverſus peccatum certemus, & amoris documenta demus. Applicat oraculum Hebræis Apoſtolus, & neqvaqvam caſtigationibus fatiſcendum, ſed ex iis potius in bono proficiendum admonet, prolata earum juſtitiâ univerſalitate, contrario non caſtigatorũ dedecore. Comparato qvoq; jure & facto patrum corporalium, & ſpiritualis. Deniq; producto fructu & fine caſtigationũ eminentisſimo.

Nondum usq; ad ſangvinem reſtitiſtis adverſus
4 *peccatum repugnantes.* (Decet autem DEUM plus vitâ &
ſangvine ſuo amare. Malimus ſangvinem fundere, qvàm peccato
ſuccumbere. Vos autem eò nondum eſtis progresſi, facultatum
tantùm damno affecti, ut ſupra indicavit cap. 10, 33. 34. & exiſtima-
tionis.) *Et obliti eſtis conſolationis, qvæ vobis tanqvam*
5 *filiis loqvitur, dicens,* (Prov. 3, 13.) *Fili mi, noli negligere*
diſciplinam Domini, neq; fatigeris, dum ab eo argueris.
6 *Qvem enim diligit Dominus caſtigat: flagellat autem*
omnem filium, qvem recipit. In diſciplina perſeverate
7 (εἰ παιδείαν ὑπομένετε, ſi caſtigationem ſuſtinetis.) *tanqvam*
filiis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

filiis vobis ſe offert DEUS. Qvis enim filius, qvem 8
non corripiat Pater? (Hæc eſt caſtigationum univerſalitas.)
Qvod ſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes ſunt
omnes, ergò *adulterini* (νόθοι, ſpurii) *& non filii eſtis.* (Dede-
coroſum ergo caſtigari nolle.) *Deinde patres qvidem carnis* 9
noſtræ eruditores habuimus, & reverebamur eos; non-
ne multò magis obtemperabimus Patri Spirituum,
(qvi Spiritus nobis dedit) *& videmus? Etenim illi qvidem* 10
in tempore paucorum dierum, ſecundum voluntatem
ſuam erudiebant nos: Hic autem (Pater Spirituum) *ad id*
qvod utile eſt, (ſine omni errore) *in recipiendo* (εἰς τὸ μεταλαβεῖν, ad percipiendam ſeu participandam) *ſanctificationem*
ejus, (ut conformemur ſanctitati ejus. Atterit enim & frangit
voluntatem noſtram, ut attemperemur ſuæ.) *Omnis autem* 11
diſciplina in præſenti qvidem videtur non eſſe gaudii,
ſed mœroris, (excutiens lachrimas, incutiens dolorem.) *Poſt*
autem fructum pacatiſſimum (εἰρηνικὸν, tranqvillum) *exerci-*
tatis per eam reddit juſtitiæ. (ubi tranſiit dolor, ſeqvitur in
exercitatis placidus juſtitiæ fructus, ut DEO humiliter & tranqvil-
lè pareant juſtitiamq; operentur.

Subjungitur nunc repetitio propoſitionis, aliis verbis conce-
pta per μελισμὸν membrorum certamini & curſui aptorum exor-
nata. *Propter qvod remiſſas manus, & ſoluta genua* 12
erigite, (Eſa. 35, 3. 4.) *& greſſus rectos facite pedibus ve-*
ſtris, (ad promtè decurrendum certamen adverſus peccata.)
ut non claudicans qvis erret, (ἵνα μὴ τὸ χωλὸν ἐκτραπῇ, ut 13
ne claudum exorbitet) *magis autem ſanetur.* (ſic tumore &
ægritudine ſanatâ pugna feliciter depugnabitur.)

Ab univerſalibus hisce hortamentis ad ſpecialiora deſcendit,

in-

invitans ad pacem & ſanctimoniam, deterrens à rancore & profa-
nitate. *Pacem ſeqvimini cum omnibus*, (Rom. 12, 18.) *&*
14 *ſanctimoniam.* Vicisſim: *Ne qva radix amaritudinis*
ſurſum germinans impediat (ἐνοχλῇ turbas cieat) *& per*
illam inqvinentur multi. (Ne unus cœptet contentionem, &
15 plures eâ involvat, ut ſolet fieri Deut. 29, 18.) *Ne qvis fornica-*
16 *tor aut profanus ut Eſau, qvi propter unam eſcam*
vendidit primitiva ſua. (Ductis uxoribus adverſus parentum
vota, iisqve pluribus, ſcortator potiùs qvàm maritus. Et profanus
nimium, jus regni & ſacerdotii, Chriſtiq; de ſe progerminationem
lentium ferculo venundans. Gen. 25, 33. 34. & 26, 34. 35. & 28, 9.)
14 Confirmatur exhortatio iſta ab utili & inutili. *Nam absq; ſan-*
ctificatione nemo videbit DEUM, i. e. impurus non habe-
15 bit partem in regno CHRISTI & DEI. 1. Cor. 6, 9. Eph. 5, 5. *contem-*
plantes, ne qvis deſit gratiæ DEI, i. e. ſibi intervertat culpâ
propriâ, qvod per gratiam DEI conſecutus eſt, & porrò conſecutu-
rus: Ne qvis in vanum accipiat gratiam DEI 2. Cor. 6, 1. Exornat
ſimili Hebræis commovendis aptisſimo, Iſraëlitæ enim cum ſint,
ab Eſavi moribus & pœna abhorreant. *Scitote*, inqvit, *qvoniã*
& poſtea cupiens hæreditare benedictionem reprobatus
17 *eſt. Non enim invenit pœnitentiæ locum, qvanqvam*
cum lachrymis inqviſiſſet eam; (Iſaacus parens noluit mu-
tare benedictionem Jacobo collatam, qvantumvis cum lachrymis
rogaretur ab Eſavo. Ille enim qvod ſemel ejuraverat jus, recupera-
re non potuit. Geneſ. 27, 38. ſimiliter qvi ſemel gratiam DEI ſprevit,
poſtea eam in hora judicii nunqvam recuperabit. Matt. 25. Luc. 13.)

Alterum confirmationis argumentum ſumitur à gratia glo-
riâq; fidelium Novi Teſtamenti, præpollente veteri, ac proinde
tanto accuratius attentiusq; cuſtodienda. Argumentum tale erit:
Si veteres Iſraëlitæ reverenter habuerûnt gloriam ſuæ vocationis,
ergo magis novi. Verum prius. Ergo poſterius.

Con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Connexio Majoris nititur comparatione gratiæ & gloriæ utriusqve. Aſſumptum commemoratione pœnæ impendentis contemptoribus v. 20.21.

Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem, 18
(contrectabilem, ψηλαφωμένῳ) & accenſibilem (accenſum)
ignem & turbinem & caliginem & procellam. (Ex.19,16.)
Et tubæ ſonum, & vocem verborum, qvam qvi audie- 19
rant excuſaverunt ſe, ne eis fieret verbum. (Non ferentes
metum & horrorem DEI loqventis de monte Sinai. Exodi 20,19.
Deut. 18, 16.) Non enim portabant qvod dicebatur: Et ſi 20
beſtia tetigerit montem, lapidabitur (aut telo configetur.
ἢ βολίδι κατατοξευθήσεται. Exod.19,13. Si beſtia, ergo magis homo.)
Et ita terribile erat qvod videbatur. Moyſes dixit, ex- 21
territus ſum & tremebundus. (Deut.9,19. qvando Iſraëlitas
volebat occidere DEUS. Si ille timuit & tremuit, qvantò magis alii.
Deut.4,11. & 5,22.23.) Sed acceſſiſtis ad Sion montem, (nõ at- 22
trectabilem, ſed ſpiritualem,) & civitatem DEI viventis,
Jeruſalem cœleſtem (Apoc. 21. 22.) & multorum millium
Angelorum freqventiam. (πανηγύρει.) Et Eccleſiam pri- 23
mitivorum (πρωτοτόκων) in cœlis deſcriptorum, (per electio-
nem DEI in CHRISTO JESU, Luc.10, 20. Exod 32,31. Dan.7,10. & 12,1.
Apoc.14,4. qvi fecit eos primogenitos ſangvine ſuo, i.e. reges & ſa-
cerdotes. Apoc.1,5. & 5, 10.) & judicem omnium DEUM, &
Spiritus juſtorum conſummatorum, (qvi verſantur in con-
templatione, non in fide, ſuſcepti jam in æterna tabernacula.
2.Cor.5,7) Et teſtamenti novi mediatorem JEſum, (non 24
veteris Moſen,) & ſangvinis adſperſionẽ melius loqventẽ
(κρείττονα λαλοῦντι ſc. αἵματι, meliora loqventis) qvàm Abel.
(Abelis enim ſangvis ultionem inclamabat, CHRISTI ſangvis remiſ-
ſionem peccati æternam.) Hinc ergo infertur, cavendam eſſe pro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

fanitatem & amaritiem animi, ne primogenituræ jus adepti cum Eſavo illud amittamus. Ne excidamus conſortio cœleſtis civitatis, Angelorum & juſtorum omnium, communione item DEI & mediatoris noſtri JESU CHRISTI.

Tertium ab autoritate & majeſtate Mediatoris Novi Teſtamenti ducitur.

25 *Videte ne recuſetis loqventem. Si enim illi non ef-*
fugerunt eum qvi ſuper terram loqvebatur, (Moſen:)
multo magis nos (non effugiemus,) *qvi de cœlo loqventem*
nobis avertimus. (averſamur. JESUM puta CHRISTUM cœli Do-
minum, de cœlo loqventem, tanto excelſiorem Moſe, qvantum
terrâ cœlum. Tanto igitur certius exitium, qvanto major eſt qvi
contemnitur.)

Qvartum ſumitur ab inconcuſſa bonorum æternitate, qvæ enim
immutabilia ſunt, ſervari oportet. Immutabilia ſunt CHRISTI bo-
na. Ergo ſervari oportet ea ne profanitate & contemptu Eſavico
26 amittantur. *Cujus* (inqvit) *vox movit terram tunc; nunc*
autem repromittit dicens, adhuc ſemel & ego movebo
non ſolum terram, ſed & cœlum. (Terra enim erat mons &
ſolum Sinai, voce CHRISTI tunc concuſſa. Cœlum verò commovit
Dominus, qvando ipſe de cœlo deſcendit in hancce terram, com-
motis cœlorum exercitibus Luc, 2, 13. 14. obtenebrato ſole, & repe-
tito cum Angelis & ſanctorum agmine cœlo, qvando terram & in-
27 feros côcuſſerat.) *Qvod autem adhul ſemel dicit* (Ap. 2, 7.)
declarat mobilium translationem tanqvam factorum
(qvalia erant Palæſtina terra, templum, ſacerdotium, regnum.)
ut maneant ea qvæ ſunt immobilia. (Nam ſi immobilia
fuisſent priora, non dixiſſet, adhuc ſemel commovebo.)

Tertium hujus exhortationis membrum eſt concluſio.
28 *Itaq; regnum immobile ſuſcipientes habemus* (ἔχωμεν, ha-
beamus) *gratiam per qvam ſerviamus placenter DEO,*
29 *cum metu & reverentia. Etenim DEUS noſter ignis*
conſumens eſt, (non minus nunc qvàm olim. Deut. 4, 24.) ſic

com-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

compinguntur velut in cuneum qvatuor argumenta præcedentia. Nam qvod ait, habeamus gratiam, pertinet ad primum argumentum, qvo dicebat, nemo deſit gratiæ DEI. Qvod pudorem & reverentiam, ſpectat ad ſecundum, qvo gloriam acceſſus ad DEUM & ſanctos omnes allegavit.

Qvod DEUM noſtrum vocat ignem conſumentem, congruit cum tertio, qvo nos haud effugituros aſſeruit de cœlis loqventem Dominum. Qvod deniqve regnum nominat immobile, planum eſt ad ultimam id rationem pertinere.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

PErcenſet reliqva exhortationum ſpecialium, & verſu 20. Epilogum Epiſtolæ ſubnectit.

Hortatur autem *ſecundo loco* ad charitatem fraternam. *Tertiò* ad caſtitatem conjugalem v. 4. *Qvartò* ad *αὐτάρκειαν* v. 5. 6. *Qvintò* ad recordationem æmulationemq́; verbi ductorum. v. 7. *Sextò* ad ſtudium perfectionis v. 9. *Septimò* ad confesſionem nominis Domini v. 15. *Octavò* ad beneficentiam v. 16. *Nonò* ad obedientiam erga præpoſitos v. 17. *Decimò* ad preces pro ſe v. 18. ſingulisq́; hortationibus ſua qvædam argumenta ſuffigit, vim pondusq́; addentia.

Charitatem non ſolum in genere, ſed etiam in ſpecie erga hoſpites, captivos afflictosq́; demonſtrandam memorat: additis rationibus ab exemplo veterum, hoſpitalitatis præſtantiam teſtante, & à communitate fatorum, qvia cuivis accidere poteſt, cuiqvam qvod accidit. II

Charitas fraternitatis maneat, (nunqvam excidat aut 1
fatiſcat. 1. Cor. 13, 8. Gal. 6, 9.) *Et hoſpitalitatem nolite oblivi-*
ſci. Per hanc enim latuerunt qvidam, Angelis hoſpitio 2
acceptis, (Abraham nempè & Lot, qvorum ille CHRISTUM Ange-
lis comitatum ſuſcepit hoſpitio, ſub ſpecie trium virorum, ille
eosdem Angelos, viros putans peregrinos. Gen. 18, 19.) *Memento-* 3
te vinctorum, tanqvam ſimul vincti, & laborantium
(malè habentium) *tanqvam & ipſi in corpore morantes.*
(Qvibus per communem fragilitatem idem evenire posſit, qvod
aliis evenit.)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

III. Caſtitatem conjugalem omnibus commendat; duplici argumento, uno ab honore conjugii, altero à pernicie violatorum ejꝰ.

4 *Honorabile connubium in omnibus, cujuscunq; ſtatus aut conditionis & torus immaculatus,* (cui imputari impuritas nulla debet, ut ſolent Spiritus dæmoniorum nubere prohibentium, 1. Timoth. 4, 3. DEUS enim autor conjugii, cujus opera omnia valdè bona. Gen. 1, 2.) *Fornicatores autem & adulteros judicabit DEUS.* 1. Theſs. 4, 5. 6. 7. Prov. 5, 15. 20. & 6, 25. 30. & 7, 22. Sirach. 23, 22. &c.

IV. Avaritiam ſubmovet, *αὐτάρκειαν* præcipit, petita confirmatione è Pſalmis & Moſe, Deut. 31, 6. Joſ. 1, 6. Pſal. 56, 12. & 118, 6. qvibus

5 promittit DEUS, nos ſibi curæ fore. *Sint mores ſine avaritia, contenti præſentibus.* (1. Tim. 6, 6. 7.) *ipſe enim dixit, non te deſeram neq; derelinqvam.* (Pater noſter cœleſtis ſcit, qvod iſtis omnibus indigemus Matth. 6, 32. Luc. 12. 30. Pſal. 55, 33. 1. Pet. 5, 7.)

6 *ita ut confidenter dicamus* (cum Davide:) *Dominus mihi adjutor & non timebo, qvid faciat mihi homo?* (Tollat facultates, corpus, veſtes, ſi poteſt. Nihil poteſt, ne capillum qvidem tollere, niſi DEO permittente. Luc. 12. 7.)

V. Recordationem ductorum verbi & imitationem exinde comprobat qvod unus idemq; ſemper eſt JESUS CHRISTUS, ac proinde idem verbum, eadem fides in ipſum, eademq; retributio fidei ſemper cogitanda.

7 *Mementote præpoſitorum veſtrorum,* (τῶν ἡγουμένων, ductorum) *qvi vobis locuti ſunt verbum DEI* (ſive Apoſtoli fuêre, ſive Prophetæ ſive Evangeliſtæ, ſive Paſtores & Doctores Eph. 4, 11.) *qvorum intuentes exitum converſationis imitamini fidem,* (qvam conſtanter usqve ad mortem tenuerunt.)

8 *JEſus Chriſtus heri & hodie* (ὁ αὐτὸς idem) *& in ſecula.* (Sicut autem ille immutabilis, ſic qvoqve verbum fidesq; ejus, ac proinde nec vos alii ſitis qvam veteres, qvoniam ipſe non erit alius erga vos, qvam fuit erga iſtos.)

VI. Porrò ſtudium perfectionis appellavi, ſicut idem Paulus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Eph.4,13.14. & 1.Cor.14,20. vocat, virilitatis & ſoliditatis in fide
ſtudium, qvod hoc loco percommodè annectitur hortationi ad
imitandum fidem Doctorum, & aſſertioni immutabilitatis Jesu
Christi. Si enim Christus idem ſemper eſt, neq; Chriſtianos decet
mutabiles aut leves eſſe. Proponit autem hoc præceptum, ſicut &
alia qvædam, ἐν ἄρσει καὶ θέσει. Ἄρσις eſt: *Doctrinis variis &* 9
peregrinis nolite abduci (μὴ περιφέρεσθε, ne circumferamini
Eph.4,14.) θέσις: *optimum eſt enim gratia ſtabiliri cor,*
(qvâ qvis certò cognoſcat, qvænam à Deo donata ſint ſibi. 1.Cor.
2,12.) Firmat à comparatis primùm. Si enim bonum putatur, ali-
qvem fortem firmumq; corpore eſſe per cibos, qvantò melius eſt,
qvemqvam gratia fortem eſſe virum in Spiritu. Carpit autem hîc
Judaicum tumorem, putantium in eſcis ſacrificialibus ſingularem
eſſe efficaciam ad fortitudinem divinam. *Bonum*, inqvit, *gra-
tia DEI firmari cor, non eſcis, qvæ non profuerunt am-
bulantibus in eis.* (Nam qvot ſacerdotes Deo displicuêre, qvo-
tidiè ſaginati ſacrificiis? qvot item Iſraëlitæ?) Arguit ſecundò gra-
tia firmandum cor eſſe, non cibis, à proprietate altaris & ſacrificii
Chriſtianorum. *Habemus altare, de qvo edere non habent* 10
poteſtatem, qvi tabernaculo deſerviunt, i.e. non habemus
altare Levitico illi ſimile, cui propter ventrem & edulia qvisqvam
ſervire poſſit. Nam de noſtro altari, qvod fuit crux Domini Jesu,
non habet qvisqvam comedendi poteſtatem. Idq; patet ex ipſa le-
ge Levit. 6,30. & 4,11. 12. & 16, 27.28. *Qvorum enim anima-* 11
*lium infertur ſangvis pro peccato in ſancta per ponti-
ficem, horum corpora cremantur extra caſtra.* Id accom-
modat ad ſacrificium Jesu Christi: *Propter qvod & JEſus,* 12
*ut ſanctificaret per ſuum ſangvinem populum, extra
portam* (in monte Calvariæ, extra urbem, caſtrorum vicem obti-
nentem) *paſſus eſt.* (Ipſe enim verum eſt pro peccato ſacrifi-
cium, qvi per proprium ſangvinem cœlum ipſum ingreſſus eſt, ſan-
ctum ſanctorum non hujus creaturæ.) *Exeamus igitur ad eum* 13

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

extra caſtra (terrenæ Hieroſolymæ civitatis interfectricis,
Apoc.11,8.) *improperium ejus portantes* (non cibum ex eo
aut terrenas delitias qværentes, ſed gratiæ robur & fortitudinem.)
Tertio argumentatur ex conditione Chriſtianorum, futuram ci-
vitatem inqvirentium. Qvi enim hîc durantem civitatem non ha-
bent, neqve perfectionem gaudiorum terreſtrium, ſed cœleſtium
14 potius inqvirent. *At non habemus hîc manentem civita-
tem, ſed futuram inqvirimus*. Ergo non cibos, non exqviſi-
tas epulas, non terrena gaudia, ſed ſoliditatem divinæ gratiæ in
æternum perdurantis, inqviramus. Pſ.39,7.8.& 17,14.15. & 49,11.16.
& 103,15.16.

VII. Tranſit ad commemorationem ſacrificiorum, per CHRISTUM
pontificem à nobis offerendorum, qvæ ſunt confesſio nominis di-
15 vini, & beneficentia erga proximum. *Per ipſum ergo offera-
mus hoſtiam laudis ſemper Deo*, (tanqvam juge ſacrificium
matutinum & veſpertinum. Pſal.55,18.& 141,2. & 50,14. & 69,31.)
id eſt, fructum labiorum, confitentium nomini ejus.
(Hoſ.14,3.) Ratio eſt annexa, qvia Pontifex eſt nobis. Ergo talia per
ipſum ſacrificia offeramus.

VIII. Beneficentiam ex eodem fonte producit. *Beneficentiæ au-
16 tem & communionis* (in egenos, vinctos, hoſpites, afflictos)
nolite oblviſci. Ratio; *Talibus enim hoſtiis promeretur*
(malè vertit interpres. Græcè εὐαρεςεῖται, delectatur, tanqvam pla-
citis afficitur) *DEUS*. (Pſal.4,6. & 112,5.9. Prov.3,27. & 21,3.)

IX. Obedientiam erga præpoſitos ſvadet ab honeſto & utili, cum
17 inqvit: *Obedite præpoſitis veſtris & ſubjacete* (ὑπείκετε
cedite) *eis*. Honeſtum enim vigilanti, pro animâ & rationem
redditurо obtemperare, *ipſi enim pervigilant qvaſi ratio-
nem pro animabus veſtris reddituri*. (Ezech.3,33.) tum, ex-
pedit vobis gaudio eos afficere, nocet gemitꝰ illis ciere qvibꝰ ultio
& judicium in vos provocetur. *Ut cum gaudio hoc faciant*,

vi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

(vigilando gaudeant veſtra cauſa,) *& non gementes. Hoc enim non expedit vobis.* (imo veſtro id capiti erit. Adſtat enim judex præ foribus.)

Deniqve ad preces pro ſe fundendas hortatur Hebræos, argumento allato à juſto & utili. *Juſtum enim eſt pro innocenti orare Deum. Et expedit ipſi Paulo,* ut tanto citius liberetur, imo orantibus, ut eis reſtituatur. X.

Orate pro nobis, confidimus enim qvia bonam con- 18
ſcientiam habemꝰ, in omnibus benè volentes cõverſari.
(Sic 2. Cor. 1, 12. q. dicat, innoxii vincula geſtavimus.) *Amplius* 19
autem deprecor vos hoc facere, qvò celerius reſtituar
vobis, (ex hoc carcere liberatus; adminiculantibus votis veſtris apud DEUM, vobis reddar, fructumq; aliqvem novum faciam.)

EPILOGUS.

PEroratio Epiſtolæ *qvatuor membris conſtat. Primum* voto. *Deinde* hortatu ad modeſtam Epiſtolæ ſuſceptionem. *Tertiò* promiſſo ſui adventus. *Deniqve* ſalutationibus reciprocis. *Voto* deſcribit DEUM, qvem veneratur à ſingularibus effectis, convenientibus cum eo, qvod eum nunc qvoqve efficere exoptat. *Tum* effectum ipſum optabilem, *Tertiò* modum ſeu formam, *Tandem* finem effectus.

DEUS (inqvit) *pacis* (ſpiritualis, qvam cum ipſo, & omni- 20
bus ſanctis habemus, donatam per Spiritum. Rom. 14, 17. & 15, 13. 33. & 16, 20. 1. Cor. 14, 33. & 2. Cor. 13, 11. Phil. 4, 9. 1. Theſſ. 5, 23. 2. Theſs. 3, 16. Planè enim ſolens Paulo, DEUM vocare DEUM pacis.) *qvi eduxit de mortuis paſtorem ovium magnum* (Zach. 13, 11.) *in ſangvine teſtamenti æterni* (non veteris illius temporarii & antiqvati, ſupra c. 8, 13.) *Dominum noſtrum JEſum Chriſtum.* (Qvi eſt ἀρχιποιμὴν, 1. Pet. 5, 4. oves ſuâ animâ & ſangvine mercatus Joh. 10. Qvo è mortuis reſuſcitato nos reſuſcitati ſumꝰ, ac proinde tanqvam viventes opera DEO & Paſtori noſtro grata facere & debemus & poſſumus.) *Aptet vos in omni bono* (ἔργῳ, opere) 21
ut faciatis ejus voluntatem, (Hic eſt effectus, qvem in votis

ha-

habet.) *faciens in vobis qvod placeat coram ſe, per JE-*
ſum Chriſtum. (Hæc forma Effectus, ut faciat DEUS in vobis
grata ſibi opera per JESUM CHRISTUM, ob qvem, & per qvem
placet & fit, qvicqvid DEO fit placetqve.) Finis eſt DEI gloria, in
qva prædicandâ præit Apoſtolus: *Cui ſit gloria in ſecula*
ſeculorum Amen.

Excitatio ad decentem Epiſtolæ ſuſceptionem his verbis con-
22 tinetur: *Rogo autem vos fratres, ut ſufferatis verbum*
ſolatii (παρακλήσεως, exhortationis. Exhortatur enim per to-
tam Epiſtolam, ad fidem & opera fide CHRISTI digna.) *Etenim*
perpaucis ſcripſi vobis. (poteram fuſius multa explicaſſe, ſed
nolui oneri eſſe. Facilè igitur ſuſtinebitis verba, qvæ hortandis
vobis conſignavi.)

Tertiò ſpem adventus ſui facit ex liberatione Timothei, antea
23 concaptivi. *Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum*
dimiſſum (non amplius vinculis, ut antea, obnoxium, nec ad-
ſtrictum, ut ſe rurſus cuſtodiæ ſiſtat.) *cum qvo, ſi celerius ve-*
nerit (ad nos perlatâ hac epiſtola) *videbo vos.* (Patet hinc ſo-
lutum carcere Paulum hanc epiſtolam dediſſe. Alioqvi non
potuiſſet tam certam adventus ſui ſpem facere Hebræis. Saluta-
tiones ſunt & Apoſtoli & aliorum. Ait enim: *Salutate omnes*
24 *præpoſitos veſtros* (in omnibus Eccleſiis,) *& omnes ſan-*
ctos. Viciſſim: *Salutant vos de Italiâ fratres.*
25 (Epiſtolæ hujus conſcii.) *Gratia cum omnibus*
vobis, Amen.

Scripta eſt ab Italia per Timotheum.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)

87

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 87 4° (1,-266)